

<36602428810010

J. cam. U. 90

Gerbert.

PRINCIPIA
THEOLOGIÆ
CANONICÆ
QUOAD EXTERIOREM
ECCLESIÆ FORMAM
ET GUBERNATIONEM.

AUCTORE


P. MARTINO GERBERT,


Monacho O. S. B. e Congr. D. Blasii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.
Theologo.




PERMISSU SUPERIORUM.

TYPIS PRINC. MONAST. S. BLASII. 1758.





PRÆFATIO.



Tametſi jus canonicum ſeorſim a theologia tractari ſoleat, & diſtinctam ab ea conſtituere videatur partem; illi tamen, qui rem probe ſpectarint, & theologiæ chriſtianæ ambitum perſpexerint, aliter judicabunt, meumque probabunt inſtitutum, quod partes theologiæ chriſtianæ ordine ac juſto ſyſtemate comprehenſurus, principia theologiæ canonicæ nunc tanquam ſingularem partem exhibeam, quoad ea, quæ ad exteriorem formam, gubernationemque eccleſiæ pertinent.

Eccleſia a primis incunabulis ſuis in immenſum excrevit corpus, quod omnes monarchias & regna mundi ſua amplitudine ſuperat. Regitur univerſum corpus hoc per eos, qui ab

apostolis, quibus CHRISTUS ecclesiam formandam commisit, constituti ac ordinati, in regimine ecclesiæ invicem succedunt, ad id arctissima unione devincti, & constricti non solum unius fidei & sacramentorum communione, verum etiam quoad exterius regimen, ordinem & disciplinam per leges & canones, legitimam judiciorum formam, forum competens ac auctoritatem coercendi delinquentes, & in officio retinendi per pœnas ac vim coactivam, plena potestate in rebus, quæ religionem & ecclesiam concernunt.

His absolvitur jus canonicum, & per amplissimum sese diffundit campum canonum & decretorum ecclesiasticorum, quibus gubernatur ecclesia a legitimis pastoribus & ministris. Proinde summe necessarium est hoc studium, non singulare canonistis, sed commune theologis & clericis omnibus, qui ecclesiastico ministerio addicuntur, ut ecclesiæ administrandæ normam addiscant. Hinc in concilio Carthaginensi IV. ad suggestionem S. AUGUSTINI sequens est constitutus canon, & in codice ecclesiæ Africanæ 18. habetur: *Ut ordinandis episcopis vel clericis ab ordinatoribus placita conciliorum auribus eorum inculcentur.* Eo autem diffusius est hoc studium, quod nova simul ac vetera, si recte institutum sit, complecti debeat. Cum enim ordinem & disciplinam ecclesiæ spectet, quæ varia esse potest pro temporum ratione & circum-

cum-

cumſtantiis, qui ſedulo canonibus ſtudent, omnia noſſe & experiri allaborant, ac imprimis veteris purioris diſciplinæ eccleſiaſticæ ſcientiam: quale ſtudium S. CAROLO *Borromæo* perplacuiſſe PETRUS *a Baſilica* in ejus vita L. VII. c. 11. memorat: *Canonum ea ſcientia ipſi perjucunda erat, quæ patrum mores & acta repræſentans eccleſiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem eos communi conſuetudine tantummodo canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites judiciaque valent; conſtituit ipſe, qui iis declarandis præeſſet, unde ſacra majorum inſtituta, & ritus, optimumque eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur.*

Poteſt hoc ſtudium aut ita inſtitui, ac canones colligi eo ordine, quo in conciliis editi ſunt, ſecundum ſeriem temporis: aut per locos communes, ſedesque materiarum ac certos titulos diſtribui. Hæc ratio poſteriore ævo præplacuit, illa primis eccleſiæ ſæculis obtinuit.

Prima, quæ occurrit ejusmodi collectio, habetur in canonibus, quos apoſtolicos vocamus. Non defuerunt proxima ætate, idque imprimis evincere conatus eſt *Fr.* TURRIANUS *in defenſione pro canonibus apoſtolorum*, eos revera apoſtolorum eſſe, jam ante annum CHRISTI quinquageſimum omnes ſancitos. Alii eorum partem ſaltem apoſtolis & collectori S. CLEMENTI tribuunt, uti BINIUS, SIXTUS

Senensis, BARONIUS, BELLARMINUS, POSSEVINUS, ubi de his canonibus, aut de S. CLEMENTE agunt. Sed communis jam fere est eruditorum, non paucorum etiam Protestantium, Anglorum saltem, opinio, esse hanc collectionem diversarum constitutionum disciplinæ ecclesiasticæ, quæ in conciliis, aut ab episcopis priorum sæculorum sunt editæ. Neque enim unquam in numerum sacrarum scripturarum sunt receptæ, ut genuina apostolorum scripta: neque ante quintum sæculum nomine canonum apostolicorum venerunt, quando ad eos est provocatum, ceu ad *canones antiquos*, *canones patrum*, *canones ecclesiasticos*, sicuti etiam vocantur ad calcem constitutionum apostolicarum, quibus subjungi solent. Et si vocentur canones apostolici, haberi debent hominum potius apostolicorum (quales dicti sunt proximi apostolicis temporibus) ac traditionis apostolicæ, quam solebant respicere in suis decretis proximis post apostolos sæculis, & quæcunque non solum de fide, sed etiam de ritibus & externa ecclesiæ politia emergebant quæstiones ac controversiæ, eas secundum apostolicas traditiones determinare.

Fiebat id synodis, quales, secundum præscriptum & exemplum in actis apostolorum, habitas fuisse primis sæculis compertum est; & constat etiam, non pauca eorum, quæ his canonibus apostolicis statuuntur, in conciliis illorum

tem-

temporum esse transacta: veluti quod canone septimo decernitur, ne Pascha cum Judæis celebretur, quod teste EUSEBIO *hist. eccl. L. V. c.* 23. in plurimis episcoporum synodis statutum est. Ita, quod habetur canone 6. & 81. ne quis episcopus, presbyter aut diaconus sæculares curas, aut publicas administrationes suscipiat, ab antecessoribus suis in concilio episcoporum statutum fuisse S. CYPRIANUS epistola prima ad plebem FURNITANAM commemorat. Idemque S. Martyr, quod habetur c. 46. & 47. de baptismo hæreticorum, epistola celebri ad JUBAJANUM 73. a synodo sub AGRIPINO statutum fuisse testatur: & epistola 55. ad ANTONIANUM, quod de lapsis resipiscentibus ab ecclesia recipiendis canone 50. decernitur, a copioso episcoporum numero in unum conveniente, statutum esse asserit, ac EUSEBIUS idem factum in synodo Romana testatur *Lib. VI. c.* 43. historiæ. Ea ad hæresin Montanistarum ac Novatianorum pertinent, quemadmodum, quæ canone 53. statuuntur, hæresin Manichæorum spectant. Unde quidem constat, canones hos non ab apostolis, sed proximis post apostolos sæculis esse constitutos, quibus hæreses istæ ortæ, ab ecclesia mox sunt rejectæ. Cum his conspirant alia ex doctoribus & historia ecclesiastica illorum temporum comperta, atque istis canonibus statuta, moribus & institutis ecclesiæ primævæ apprime congruentia.

Quare non dubitat *Guiliel.* BEVEREGIUS ex Proteſtantibus Anglis, hanc collectionem codicem canonum eccleſiæ primitivæ inſcribere, & contra DALLÆUM CALVINI pariter ſectarium vindicare: qui contendit, canones iſtos opus eſſe auctoris quinti ſæculi, hæretici neſcio cujus tenebrionis. THOMAS *Bruno* in judicio de canonibus & conſtitutionibus eccleſiæ (quod in Amſtelodamenſi patrum apoſtolicorum editione, a *Jo.* CLERICO curata, ſubnectitur laudati *Guil.* BEVEREGII operi inſcripto, *Codex canonum eccleſiæ primitivæ illuſtratus*) altius quidem aſcendit, & LEONTIUM Tripolitanum Lydiæ epiſcopum Arianum (ne quid de illis auctoribus ævi noſtri dicam, qui canonem ſaltem 46. & 47. a Donatiſtis ſuppoſitos dicunt) vel ipſum collectorem horum canonum, vel ſaltem adjutorem facit; collectionem autem poſteriorem facit concilio Nicæno, ad exemplum patrum concilii illius factam, & in vulgus ſparſam, ex variis variorum hominum & ſæculorum traditionibus, partim veſtigiis virorum apoſtolicorum inhærentium, animo fixis, partim obſervatione ſola & uſu diutino roboratis, partim in uſum clericorum ſcripto tandem mandatis, compactam & compaginatam. Sed eruditi & induſtrii viri, inter quos laudatus *Guiliel.* BEVEREGIUS conſuli poteſt, oſtenderunt, tum in antiquioribus monumentis eccleſiaſticis, tum maxime conciliis œcumenicis ac Nicæno quidem paſſim ad hos canones reſpici;

ſpici; imprimis autem Antiocheni celebris concilii an. 341. viginti duos canones inter viginti quinque ex his canonibus eſſe expreſſos; & paſſim etiam in aliis conciliis, quando ad veteres canones provocatur, hos probat indigitari, licet non ita expreſſe, uti a ſæculo quinto & deinceps, quando integra collectio celebrari cœpit, in Græca præſertim eccleſia ſumma auctoritate habita, & apoſtolis adſcripta a ſexto ſaltem ſæculo. Quod parcius in occidente ac Latina eccleſia factum memoratur, vix quoad 50. priores a DIONYSIO *Exiguo* collectioni ſuæ inſertos; quin tamen eos apoſtolis aperte tribuat, quamvis jam ſub nomine canonum apoſtolicorum venirent.

Canones apoſtolorum, ut jam notavimus, ſolebant ſubjungi conſtitutionibus apoſtolorum, quæ etiam, canone ultimo apoſtolorum interpolato, referuntur inter divinas ſcripturas; ſed conſtitutiones iſtæ aperta non ſolum νοθείας, verum etiam impoſturæ continent argumenta. Nihil ſanctius deberet eſſe in eccleſia, atque ad illius exteriorem formam & diſciplinam primævam accommodatius, quam iſtæ conſtitutiones, ſi quod præſeferunt, poſſet ullo modo ſubſiſtere. Viden' ex ungue leonem: *Nos igitur duodecim apoſtoli Domini, qui una ſumus, has vobis conſtitutiones de omni eccleſiaſtica forma indicimus, præſente PAULO vaſe electionis & coapoſtolo, & JACOBO & reliquis presbyteris & ſeptem diaconis.*

L. VIII. constit. c. 4. Ita impostor ille PAULUM apostolum cum septem diaconis in idem concilium cogit, ex quibus S. STEPHANUS lapidatus est, SAULO consentiente neci ejus, ut vel ipse *Lib. V. c.* 8. *Constitutionum* fuerat contestatus: *Beatus JACOBUS, & Sanctus STEPHANUS condiaconus noster, apud nos honorati fuerunt, ii enim sunt a DEO beatitudine donati.* S. ATHANASIUS in epistola festali meminit διδαχῆς τῶν ἀποςόλων *doctrinæ apostolorum*, quam patres sanxerint legi iis, qui accedunt ad fidem, cupiuntque in pietatis verbo institui. Sed constitutionibus, de quibus agimus, hæc non congruunt, quæ episcopos potius & ecclesiæ ministros, quam catechumenos concernunt. Nec aliquid ex S. EPIPHANII testimonio *hær.* 70. *n.* 10. concludi potest, qui Audianos constitutione apostolorum abusos commemorat, additque: *Qui liber tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad ecclesiæ disciplinam attinent, omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in fide, ac catholica professione depravatum, aut ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continent.* Hæc non pauci ac inter alios ALBASPINÆUS *Lib. I. c.* 3. & MORINUS de sacris ordinat. *P. II. p.* 20. de nostris, quas habemus, constitutionibus apostolicis intelligunt, censetque MORINUS disciplinam esse ecclesiasticam, qua orientalis ecclesia ante CONSTANTINUM primum

sub

ſub ethnicis imperatoribus regebatur. *Primus*, ait, *eas in ordinem ex ore & mandatis apoſtolorum exceptas redegit, & edidit CLEMENS; deinde ſucceſſu temporis a ſynodis orientis auctæ primi auctoris nomen conſtanter retinuerunt.* Quod de oriente dicit, nemo inficiabitur opinor, qui diſciplinæ orientalis peritus, conſtitutiones illas legerit. Maxime ſi ſacræ ordinationes ſpectentur Græcorum, quarum forma in his conſtitutionibus ſit expreſſa, de qua agit MORINUS, non præciſe, ut ab apoſtolis edita, ſed ut ante 1400. annos in oriente uſurpata. Conſpirat ſimili in argumento EUSEBIUS *Renaudotius*, de liturgiarum orientalium origine & auctoritate agens, ſingulari diſſertatione in capite collectionis orientalium liturgiarum, *in Græca*, inquit, *eccleſia nihil, ut videtur, antiquius ſcriptum eſt, quod quidem ad ſacros euchariſtiæ ritus preceſque referatur, quam ea forma, quæ ultimo conſtitutionum apoſtolicarum libro inſerta eſt, & quam idcirco recentiores nonnulli ſeorſim editam, liturgiam S. CLEMENTIS appellaverunt. Verum duo maximi momenti circa illam obſervanda ſunt. Primum eſt, quod etſi viris doctiſſimis merito judicatum ſit, conſtitutiones illas ante concilium Nicænum fuiſſe collectas, non negant tamen interpolatas illas multis in locis fuiſſe, nec ab hæreticis modo, quod a veterum patrum nonnullis obſervatum eſt, ſed etiam a librariis.* P. *Auguſtinus* TOUTTE in prævia admonitione ad catecheſin V. myſtagogicam S. CYRILLI *Hieroſolymitani*, cui editioni

tioni an. 1720. paratæ immortuus est, multa in Cyrilliana liturgia communia observavit, cum ea liturgia, quæ in constitutionibus apostolicis *Lib. II. c.* 57. *& lib. VIII. c.* 5. *& seqq.* ex integro describitur: atque jam a multis observatum dicit, constitutiones apostolicas ad usum Palæstinæ & Hierosolymitanæ ecclesiæ magnam partem expressas esse: quod novis possit observationibus illustrari. TILEMONTIUS *T. II. p.* 166. in S. CLEMENTE, pro collectione diversorum usuum has constitutiones habet, paulatim in ecclesiis institutorum, quorum non pauci adhuc sæculo quarto non penitus usu invaluerint.

Inter Protestantes nuperrime *Philippus* BARATHERIUS singularibus dissertationibus constitutiones has jam sæculo tertio, imo secundo ineunte extitisse probat, ex precum formulis, observatione sabbati, administratione baptismi & cœnæ &c. Nec dubitat, apostolos omnino quædam scripto consignata reliquisse de externa forma, atque regimine ecclesiæ, quæ omnia in his constitutionibus collecta sint; a compilatore vero multa connexionis ergo, vel etiam ut major auctoritas apostolis conciliaretur, ficta scilicet miracula addita esse, ut si quis curate singula ponderare velit, spuria a genuinis facile distinguere possit. Adhuc longius processit *Guilielmus* WHISTONUS, qui eas circa annum CHRISTI 64. in secundo apostolorum concilio generali

CLE-

CLEMENTI dictatas, ac per eum ad 19. episcopos totidem ecclesiarum apostolicarum, secreti ac sacri fidei cultus & disciplinæ christianæ canonis instar, missas esse, conceptas autem 40. illis diebus, quibus CHRISTUS post resurrectionem suam cum discipulis conversatus fuerit in monte Sion. *Ne alias CHRISTUS destituisset ecclesiam suam certo aliquo systemate legum, quibus ducatur & regatur.* Nihilominus interpolatas imo corruptas, quæ nunc circumferuntur constitutiones, & quidem a S. ATHASIO, impudenter dicit, alias ac genuinas sibi adinvenisse vane plaudens in *doctrina apostolorum* Arabica, Æthiopica, & Coptica nescio qua in Anglia, nunc demum reperta & ex pluteis bibliothecæ Bodlejanæ in lucem proferenda. Adversarium imprimis nactus est doctissimum *Ernestum* GRABIUM; qui tamen constitutiones hodiernas jam ad sæculum secundum refert, cum passim ad quintum sæculum eorum referatur compilatio ex variis scriptis facta.

Sed redeamus ad ea, quæ assertæ fidei sunt & auctoritatis, institutionesque juris canonici proprie attinent, ac primum quidem vetus ex collectionibus canonum compositum. Talem *Lud.* DU-PINIUS *c.* 29. methodi studii theologici esse censet collectionem vetustiorum canonum, qui habentur sub nomine concilii Illiberitani. Huc porro refert quos concilium Arelatense primum pro universo occidente fecit, ac papam

SIL-

SILVESTRUM rogavit, ut illos publicaret, ſuaque auctoritate muniret: *Placuit per te, qui majores diæceſes tenes, potiſſimum omnibus inſinuari.* Et tamen non memorantur canones iſti ab eccleſia Romana adoptati fuiſſe, quæ primum ſolis canonibus Nicænis uſa fuit: *Alios quippe canones Romana non admittit eccleſia*, ſunt verba INNOCENTII I. ad THEOPHILUM *Alexandrinum* ſcribentis. Et ad populum Conſtantinopolitanum: *Canonibus porro obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti, quos ſolos conſectari decet eccleſiam catholicam, & juxta eos judicare.* Ex iis tamen quæ ZOSIMUM & BONIFACIUM PP. patresque Africanos inter geſta ſunt in cauſa appellationis APIARII colligitur, canones Sardicenſes Nicænis junctos fuiſſe, ſed nomine concilii Nicæni, cujus proſecutio quædam haberi poteſt concilium Sardicenſe. In concilio Chalcedonenſi legati ſedis apoſtolicæ provocaverunt ad ſolum Nicænum canonem VI. expreſſeque LUCENTIUS edixit de canonibus concilii Cpolitani I. *Canones iſtius ſynodi in ſynodicis conſtitutionibus non habentur.* Edidit *Heinricus* JUSTELLUS cum *Guilielmo* VOELLO 1661. ex vetuſtiſſimo codice patris ſui *Chriſtoph.* JUSTELLI codicem canonum Romanæ eccleſiæ, quo de ingens editoribus hiſce cum PETRO *de Marca* exorta eſt contentio, quam expoſuit *Stephanus* BALUZIUS in additione ad Lib. III. c. 3. & in præfatione opuſculis PETRI *de Marca* a. 1681 editis, præmiſſa. PASCHA-

SIUS

SIUS vero *Quesnellus* in dissertatione duodecima ad opera LEONIS codicem illum canonum negat fuisse ecclesiæ Romanæ, & de collectione, quam PETRUS *de Marca* in Rivipullensi Cataloniæ monasterio repertam putat fuisse auctoritate LEONIS M. factam, atque in occidente solam per sexaginta & amplius annos viguisse, vehementer dubitat. Nec alium putat fuisse Romanæ ecclesiæ codicem, quam quem ipse in appendice ad opera LEONIS M. ex THUANEO & Oxoniensi codice publici juris fecit. An vero ecclesia Romana diversis temporibus diversos canonum codices habuerit, an unum potius novis subinde augmentis locupletatum non omnino liquet. Certe DIONYSIUS *Exiguus* novam fecit collectionem sollicitatus, ut testatur a multis magna confusione offensis, qua priscus Romanæ ecclesiæ codex laborarit. Cui conformem *Franc.* PITHÆUS codicem canonum veterem ecclesiæ Romanæ edidit, ad veteres manuscriptos codices restitutum & notis illustratum Parisiis an. 1687. qui fere omnia continet, quæ in codice canonum ecclesiæ orientalis, & Africanæ habentur. Sed canones Constantinopolitani mutili sunt & Chalcedonenses tantum usque ad vigesimum octavum. Majore hic jure codex canonum ecclesiæ universæ dici potest, quam is, qui ex canonibus conciliorum orientalium solum constat, præeuntibus Nicænis, subsequentibus Ancyranis, Neocæsariensibus, Laodicensibus, licet vetustioribus

ribus, Gangrensibus, Antiochenis, Constantinopolitanis, Ephesinis, Chalcedonensibus. Ante Chalcedonense tamen concilium jam habuit ecclesia orientalis codicem canonum complurium, cum varii usque ad 96. ibi citentur *Act. IV. & IX.* Receptus deinceps etiam sæculo VII. est codex Africanus, quem DIONYSIUS *Exiguus* sub titulo *Synodi apud Carthaginem Africanorum* inseruit suæ collectioni eodem ordine & modo, quo apud JUSTELLUM & LABBÆUM habetur. Et in actis concilii VI. Carthaginensis, cui S. AUGUSTINUS interfuit, leguntur recitata fuisse concilia diversa universæ provinciæ Africæ, transactis temporibus AURELII Carthaginensis episcopi celebrata.

In sequentium temporum collectionibus, quæ plerumque studio & opera doctorum privatorum sunt factæ, id habetur singulare, ut decretales etiam Pontificum litteræ insererentur aut juxta seriem temporum, aut in certas sedes secundum materias distributæ. Illud primum deprehenditur in celebri DIONYSII *Exigui* collectione, qui ei decretales pontificum a SIRICIO usque ad ANASTASIUM II. inseruit. Primum autem JOANNES II. in causa CONTUMELIOSI rescribens ad consultationem CÆSARII *Arelatensis* ad litteras SIRICII P. provocat simul ac concilium Antiochenum, & canones apostolicos: quæ omnia in codice Dionysiano continebantur, unde eum sæculo sexto

in

in Galliis notum & auctoritatem nactum esse conjicitur. Eundem codicem ADRIANUS P. CAROLO M. misit, auctum decretalibus ab HILARO nempe SIMPLICIO, FELICE, SYMMACHO, HORMISDA usque ad GREGORIUM II.

Ex actis concilii Bracarensis I. colligitur, sæculo VI. in Hispania codicem canonum extitisse, auctoritate legali præditum, cui decretales pontificum adjectæ videntur usque ad GREGORIUM M., cuique postea episcopus quidam præfationem præmisit. Sequenti sæculo inde compendium ac breviarium canonum & decretalium nova methodo digestum est, in certos titulos inter se connexos. Hanc epitomen primus edidit Card. *de Aquirre* T. III. coll. concil. Hispaniæ, & ISIDORUM *Hispalensem* illius auctorem facit, ubi jam sæculo VI. MARTINUS *Bracarensis* pro ecclesia Hispanica novam collectionem canonum publicavit, concinno ordine primum quæ episcopos & clerum, deinde quæ laicos spectant tractans. In Africa FERRANDUS diaconus breviarium canonum edidit ducentorum triginta duorum, summaria exhibens tantum, & citans, quibus ex conciliis aut decretalibus quæque sint repetenda: quem CRESCONIUS itidem *Afer* episcopus imitatus, novam edidit.

In oriente codex canonum, successu temporis novis conciliorum canonibus auctus est. *Jo-*

annes autem SCHOLASTICUS patriarcha Cpolitanus ſæculo ſexto, in 50. titulos ſecundum materias, non ſervato ordine temporum, revocavit decem conciliorum canones, ac poſtea in compendium redigens, ad ſingulos titulos novellas JUSTINIANI junxit, unde nomocanonem appellavit. Cujusmodi poſtea celebrem PHOTIUS digeſſit, qui nobis jus canonicum Græcorum, politiam etiam eccleſiaſticam priorum eccleſiæ ſæculorum ſiſtit, & tam canones quam etiam leges circa res eccleſiaſticas comprehendit.

In occidente paulatim ſuppoſititiæ decretales ingruerunt: quæ jam undique in occidente ſolebant collectionibus canonum adjungi, unicam ſi forte excipias collectionem canonum ABBONIS abbatis Floriacenſis celebris ſæculo X. ne quid dicam de collectione canonum, ſeu ſtatutorum S. BONIFACII M. & Germaniæ apoſtoli nomen in MS. Corbejenſi præferente, ubi 36. articulis circa munus epiſcoporum & presbyterorum in regimine eccleſiæ & adminiſtratione ſacramentorum conciliorum ſtatuta referuntur.

Sed ut de ſpuriis decretalibus aliquid dicam, ejus compilator *Iſidorus* MERCATOR vulgo vocatur, ſeu peccator, quomodo ſe appellare ISIDORUS *Hiſpal.* humilitatis & pœnitentiæ cauſa, ut alii paſſim illis temporibus, vocat; ſed auctor hujus compilationis ſine injuria haud dicitur,

citur; quem alii paſſim tamen Hiſpanum, alii Gallum aut Germanum eſſe volunt, nemo autem Italum vel Romanum. Unde conſtat nequaquam conſciis Romanis pontificibus aut curia Romana has ſpurias decretales inde a primis Romanis pontificibus CLEMENTE &c. eſſe procuſas, ut circa judicia eccleſiaſtica dominatum ſuum protenderent. ANGELRAMNUS *Metenſis* ſæculo octavo primus earum uſum feciſſe memoratur, quin eas tamen allegaret, qui in ſua cauſa collectionem canonum a ſe factam ADRIANO P. obtulit, in qua excerpta varia ex pſeudo-decretalibus habentur. RICULPHUS vero *Mogunt.* paucis poſt annis eas in Francia publicare cœpit. NICOLAUS I. dum primus eas in cauſa RHODADI *Sueſſionenſis*, quem epiſcopi Galli depoſuerant, citat, fatetur eſſe, qui eas ad codicem canonum pertinere negent. HINCMARUS *Laudunenſis* in ſimili cauſa eas pro ſe allegavit, nec ideo ab avunculo cognomine Remenſi carpitur, quippe qui veras a falſis diſcernere non poſſet, quemadmodum etiam GERBERTUS poſtea SILVESTER II. Eæ hodie omnino detectæ ſunt, & pro ſpuriis paſſim ab eruditis agnoſcuntur.

Secus olim accidit, ubi cito omnia pervaſerunt & judiciorum formam immutarunt. Qui deinceps canonum collectiones fecerunt eas adoptarunt REGINO abbas *Prumenſis*, BURCHARDUS epiſcopus *Wormatienſis*, ANSELMUS epiſcopus *Lucenſis*, IVO *Carno-*

 tenſis,

tenſis, DEUS-DEDIT, cujus collectio canonum MSta in bibliotheca *Vaticana* extat.

Sed omnibus palmam præripuit GRATIANUS *concordantia diſcordantium canonum*, communiter recepta in judiciis & ſcholis, ubi ſtudium canonicum maxime in academia Bononienſi Romæ contigua maxime eferveſcebat, vigebatque. Tres is in partes opus ſuum diſtribuit, quarum prima *diſtinctionibus* centum & una principia juris pertractat, de jure divino & humano, de ordinationibus & miniſtris eccleſiæ, ſuperioribus & inferioribus, & eorum qualitatibus. Altera *cauſas* complectitur triginta ſex, de judiciis, & eorum materia, vique tam interna quam externa, quarum trigeſima tertia *De pœnitentia* ſeptem habet diſtinctiones. Tertia pars quinque diſtinctiones habet ac *de conſecratione* inſcribitur: de conſecratione eccleſiarum exorſa, de Euchariſtia, baptiſmo & confirmatione agit, quæ olim ſimul conferri ſolebant ſacramenta. Vocatur etiam opus GRATIANI *decretum*, & ex auctoritatibus tum canonum cum SS. Patrum plurima ſacra antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta complectitur præter decretales pontificum; quibus compilandis maxima deinceps opera inſümta eſt, indeque *decreti* & *decretalium* diſcrimen deſumitur.

Cum enim ceſſantibus fere ſynodis particularibus, aut diminuta ſaltem earum in judiciis eccleſiaſticis auctoritate, decretales ſummorum pon-

tificum

tificum augerentur, ad ſupplendam ſaltem GRATIANI operam compilationes variæ deinceps ſunt factæ. Ac prima quidem eodem adhuc quo vixit GRATIANUS ſæculo a *Bernardo* CIRCA; qua tamen aliqui faciunt duas adhuc anteriores, alteram a BOEHMERO in appendice decretalium editam, deſinentem in URBANO III. alteram apud HARDUINUM *T. VI. P. II. p.* 1694. extantem, ceu appendicem ad concilium Lateranenſe III. continentem decretales ALEXANDRI III. Sæculo decimo tertio GILBERTUS, ALANUS, *Jo.* GALLUS, BERNARDUS *Compoſtellanus*, celebres ſunt: demum compilator epiſtolarum INNOCENTII III. PETRUS *Beneventanus*, & HONORII III. TANCREDUS.

Quæ compilationes cum non omnes publica auctoritate eſſent factæ, & variæ adhuc decretales extravagarentur, GREGORIUS IX. in archigymnaſio Bononienſi publicus antea decreti interpres, uſus opera S. RAYMUNDI *de Pennaforte*, vel *Peniafort*, uti in bulla CLEMENTIS VII. qua catalogo Sanctorum inſcriptus eſt, vocatur, novam adornavit, non integras decretales ex more præcedentium compilatorum ſiſtens, ſed præcipua eorum capita, aut deciſiones tantum. Utili tamen opera ANTONIUS *Cantius* in editione decretalium an. 1570. omiſſa textui ſubjecit, quod deinceps ab aliis eſt factum, multumque perſæpe ad eviden-


tiam ſenſus facit. Laudatus BOEHMERUS in appendice decretalium collectiones duas decretalium alteram INNOCENTII IV. ex concilio generali an. 1245. alteram GREGORII X. itidem ex concilio generali Lugdunenſi II. edidit. Et *Bern. de* MONTFAUCON in bibliotheca MSStorum meminit corporis decretalium ex epiſtolis GREGORII IX. INNOCENTII IV. & GREGORII X. ſed hæ inſertæ ſunt a BONIFACIO VIII. libro, qui ſextus inſcribitur decretalium, licet quinque etiam conſtet libris ad modum decretalium GREGORII IX. cui Clementinæ acceſſerunt ex CLEMENTIS V. conſtitutionibus in concilio Viennenſi an. 1311. Quibus proinde magis omnes aſſurgunt, quam extravagantibus JOANNIS XXII. extravagantibus communibus. Quibus ſub SIXTO V. additus eſt liber VII. decretalium conſtitutionum apoſtolicarum ad plenam & perfectam juris apoſtolici cognitionem.

Subjungi ſolent etiam inſtitutiones juris canonici *Jo. Pauli* LANCELLOTI, quod fuit primum juris decretalium compendium, plerumque verbis decretalium compoſitum, juſſu quidem PAULUI IV. conſcriptum, nunquam tamen publica auctoritate & vi legis donatum; licet a PAULO V. corpori juris canonici illuſtrationis gratia annexum ſit, quatuor tantum non ut decretales quinque conſtans libris, faciliori

liori methodo, quam nos fere ſecuti ſumus in his theologiæ canonicæ principiis, accommodatis tamen ac inflexis paululum ad antiquum & præſentem rerum eccleſiaſticarum ſtatum, quem penitus ſubruere conati ſunt Proteſtantes.

Unde incipiendum nobis mox fuit de jure ſacrorum, ut eccleſiæ auctoritatem ſuam ac legitimam vindicaremus poteſtatem. Quoniam vero ſingulas theologiæ partes in ſyſtema redegimus, & per partes diſtribuimus, accurata poſtulavit methodus, ut quæ aliis partibus morali præſertim ſacramentali & liturgicæ eſſent propria, ea ſuis locis tractaremus. Quod ſine invidia fieri potuit, & cavillationem invidiamque juris pontificii hoſtium propulſat, qui confuſionem hic carpunt, tum materiarum cum jurium, quaſi forum eccleſiaſticum in alienam meſſem falcem immittat. Non parum id negotii fecit, in diſcernendis præſertim materiis, quæ ad theologiam moralem pertinent, forumque internum ab externo a multis ſæculis ſeparatum, medio loco exhibendo principia theologiæ canonicæ, præmiſſis principiis theologiæ moralis, ſubſecuturis propediem principiis theologiæ ſacramentalis & liturgicæ.

SUM-



SUMMARIA.

PRINCIPIA THEOLOGIÆ CANONICÆ.

SECTIO I.

DE JURE SACRORUM.

Caput I.

De distinctione ecclesiasticæ potestatis a civili.

§§. 1. *Principia theologiæ canonicæ.* 2. *Quoad legitimam ecclesiasticam potestatem.* 3. *A politica distinctam.* 4. *Circa exteriorem formam ac regimen ecclesiæ.* 5. *Non juribus tantum collegialibus.* 6. *Sed plena potestate divinitus ecclesiæ competente.* 7. *Neutiquam principibus jure territoriali.* 8. *Aut episcopali.* 9. *Cum quoad religionem sacræ potestati profana subsit.* 10. *Succurrit tantum protectione & executione canonum.* 11. *Estque suum tribunal personis ecclesiasticis.* 12. *Et rebus causisque sacris.*

Caput II.

De hierarchia ecclesiastica.

13. *Ordo hierarchicus a CHRISTO institutus.* 14. *Ad formam quadantenus Romani imperii.* 15. *Urbe Roma primatum tenente.* 16. *Præ aliis sedibus patriarchalibus.*

tibus. 17. *Relationibus undique ad Romanam ecclesiam factis.* 18. *Et appellationibus.* 19. *Vicariis & legatis pontificiis ubique institutis.* 20. *De cardinalibus.* 21. *Patriarcharum auctoritas.* 22. *Archiepiscoporum.* 23. *Quorum insigne est pallium.* 24. *Episcoporum eximia in ecclesia potestas.* 25. *Cum senatu clericorum seu capitulo.* 26. *Chorepiscopi.* 27. *Ac vicarii episcoporum.* 28. *Et alia dignitates.* 29. *Parochi.* 30. *Religiosi clerici.* 31. *Et prælati regulares.*

Caput III.

Quales esse, & quomodo eligi ac constitui debeant sacrorum præsides.

32. *Necessaria ecclesiæ præsulum dotes.* 33. *Quas ecclesia requirit & attendit.* 34. *In electionibus legitimis.* 35. *Vel postulationibus prælatorum.* 36. *Cura de successore dando sede vacante.* 37. *De translationibus de una in alteram sedem.* 38. *De renuntiationibus.* 39. *De supplenda negligentia in collationibus.*

SECTIO II.

DE REBUS, ET BONIS ECCLESIASTICIS.

Caput I.

De rebus sacris ad forum ecclesiasticum pertinentibus.

40. *Officium divinum ac liturgia.* 41. *Sacramenta.* 42. *Nominatim matrimonium, ejusq; impedimenta.* 43. *De quib' ad ecclesiam pertinet judicium.* 44. *Pro diversitate impedimentorum.* 45. *Et indissolubili matrimonii vinculo.*

Jo. 46. *Ecclesiæ ac alia loca sacra.* 47. *Eorumque immunitas.* 48. *Res aliæ sacræ, dies festi & jejuniorum.* 49. *Sepultura.*

Caput II.

De bonis ecclesiasticis.

50. *Sacris ministris debetur sustentatio.* 51. *Ac bona largissime in ecclesiam sunt profusa.* 52. *Ex oblationibus fidelium.* 53. *Primitiis ac imprimis decimis.* 54. *Stipendiis.* 55. *Liberalitate fidelium, & principum.* 56. *Collatis etiam dominiis & principatibus.* 57. *Cum variis immunitatibus.*

Caput III.

De canonico usu bonorum ecclesiasticorum.

58. *Ante divisionem bonorum, penes quos cura eorum fuerit.* 59. *Usus & distributio bonorum ecclesiasticorum.* 60. *Divisio eorum, & erectio beneficiorum.* 61. *Pensiones.* 62. *Exactiones & distributiones post factam bonorum divisionem.* 63. *Legitimus bonorum ecclesiasticorum usus.* 64. *Et administratio, non dominium.* 65. *Usus moderatus bonorum, non luxuriosus.* 66. *Ne alienentur, aut diripiantur.* 67. *Aut aliis modis in commercio & contractibus lædantur.* 68. *De negotiationibus clericorum.* 69. *Peculium clericorum.* 70. *Testamenta.* 71. *Spolia, annatæ.*

Caput IV.


De beneficiis.

72. *Beneficiorum varia genera.* 73. *Ordinatio facta ad certas ecclesias & beneficia.* 74. *Quorum collatio ad episcopos spectat.* 75. *De exspectativis, reservationibus &c.*


76. *Jus*

Caput III.

De pœnis ecclesiasticis.



PRINCI-



PRINCIPIA THEOLOGIÆ CANONICÆ.

SECTIO I. DE JURE SACRORUM.

CAPUT I.

De distinctione ecclesiasticæ potestatis a civili.



§. I.

Principiis theologiæ canonicæ ea proprie comprehendimus, quæ ad exteriorem formam gubernationemque ecclesiæ pertinent personasque ac res sacras, sacrisque connexas. Principia theologiæ canonicæ.

A Igi-

Igitur ſpectatur a nobis hic præciſe cœtus eccleſiaſtici ſtatus, directio, & conſervatio exterior: quod proprie *jus canonicum* dicitur ſeu *eccleſiaſticum*, circa perſonas & res eccleſiaſticas. Quemadmodum enim homo duabus conſtat partibus corporea ſeu animali, & ſpirituali; ita reſpublica duabus continetur ſocietatibus ſacra nimirum, & politica, quarum hæc præſentis vitæ, illa æternæ res curat, & eccleſia dicitur, jam poſt CHRISTUM ultra omnia regna mundi in toto orbe diffuſa; cum prius in ſingularibus familiis & ſocietatibus, ac fere una in republica Hebræorum contineretur, legibus divinis adſtricta, ſub eorum regimine, qui a DEO ad hoc inſtituti ſunt & ordinati. Has eo nomine dicimus perſonas ſacras ſeu eccleſiaſticas; res autem ſacras vocamus, quæ ad easdem perſonas ſacras & eccleſiam pertinent, circa exteriorem ejus gubernationem, judicia & actiones ad eundem finem.

Hinc eas nos hic materias omnes excludimus, quæ ad jus civile pertinent directe; indirecte autem tantum ad theologiam, ſecundum hodiernam diſciplinam ad forum internum conſcientiæ, qui eſt ampliſſimus theologiæ moralis & caſuiſticæ campus. Quoad res autem ſacras eas ſolum huc revocamus, quæ ad exteriorem formam & gubernationem eccleſiæ ac hierachiam ſacram pertinent, qui in noſtro ſyſtemate theologico id agimus, ut partes theologiæ inter ſe diſcernantur & ordinentur. Separamus igitur etiam ea, quæ ad liturgica pertinent in ſacramentis ac ritibus diſciplinaque eccleſiæ, quatenus aliter conſiderantur, quam ad formam ac gubernationem exteriorem eccleſiæ.

Hoc

Hoc mihi facere licuit, qui universas theologiæ partes seorsim dispono; cum qui præcise jus canonicum tractant, multas miscere res alias tum civiles cum theologicas necesse habuerint, quatenus ad jus canonicum quodammodo innectuntur & principiis theologicis innituntur. Recte enim Jo. GERSONIUS observavit, quod *canones, si bene inspiciamus, non sint nisi conclusiones elicitæ vel illatæ ex principiis theologicis, id est, ex evangelio & aliis libris canonicis per illos, quibus dicit CHRISTUS: Qui vos audit, me audit.* Hinc quivis conjiciet, rationemque colliget, quare in principiis theologiæ christianæ peculiarem partem constituerim, principia theologiæ canonicæ ad exteriorem formam gubernationemque ecclesiæ circa personas ac res sacras sacrisque connexas, res nimirum ac bona hujus mundi quatenus personis sacris ac ecclesiæ sunt propria.

Recommendat. licentiandorum in decretis.

§. II.

Distincta & toto cœlo diversa est sacra a politica respublica; ac legitima potestas ecclesiastica est penes eos, quos ecclesiæ moderandæ præfecit CHRISTUS, sacrumque instituit ministerium ac hierachiam.

Quoad legitimam ecclesiasticam potestatem.

Quemadmodum olim Judaicæ reipublicæ forma theocratia, ita christianæ ecclesiæ forma christocratia dici potest, cujus caput supremum & rex CHRISTUS est; eo tamen discrimine, quod mutuo sibi implicita fuerit sacra & politica res in eadem una republica; cum ecclesia christiana per omnia regna mundi

diffusa sit, quæ est ac vocatur regnum CHRISTI seu cœlorum haud raro in evangelio, quia non est de hoc mundo, ut CHRISTUS PILATO est contestatus: cum hinc invidiam conflare vellent Judæi CHRISTO, quasi cæsaris potestatem imminutam vellet ac destructam: quemadmodum etiam EUSEBIUS ex HEGESIPPO refert, DOMITIANUM tantopere in christianos sevüsse, quod imperio & majestati suæ infestos crederet; a persecutione autem cessasse, cum ex cognatis CHRISTI audisset, non esse terrenum ac temporale regnum, sed cœleste & angelicum.

Luc. XXIII. 2.

Lib. III. c. 20.

In hoc aberrabant Judæi circa MESSIAM, eum regnum temporale instauraturum persuasi, ut vel inde pateat, quam pervulgata de regno MESSIÆ fuerit persuasio, quod in veteri testamento prædictum, in novo est institutum; quod CHRISTUS dicit intra nos esse. Quemadmodum vero ad societatem civilem nascuntur homines per generationem carnalem, ita in regnum CHRISTI per regenerationem spiritualem, non solum interius ad regnum & hæreditatem æternæ vitæ, sed etiam exterius ad cœtum ecclesiæ ac regnum CHRISTI in hoc mundo, quod non est de hoc mundo.

Luc. XVII. 20.

Id a CHRISTO cœptum per apostolos est dilatatum, & in toto orbe constitutum, dicente eis CHRISTO: *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Eadem auctoritate instructos ac vicarios suos apostoli post se reliquerunt communi mortis fato functi, non sola verbi divini prædicandi & sacramenta ministrandi, sed etiam ecclesiam gubernandi potestate plenaria concredita. Cujus rei luculentissimum habetur in primæva ecclesia documentum, ejus nimirum independentiæ ab omni politica potesta-

Jo. XX. 21.

teſtate, qua invita coaluit, & excrevit ſuo vigore, & auctoritate eorum, quos CHRISTUS & apoſtoli regimini præfecerunt.

Unde patet, qua injuria hodie Pſeudo-politici ac univerſim Proteſtantes regnum hoc CHRISTI ceu inimicum & adverſum poteſtati politicæ ſtatuant, audentque hoc regnum multo nobiliſſimum præſtantiſſimumque ſubjicere regno politico, ne ſtatus in ſtatu inſtituatur ſocietati humanæ infeſtus, voluntque eccleſiam omni ſuperioritate ac dominio privatam; ſecus ac primitus fuit, ſeipſa ſubſiſtens contra omnes adverſas ſæculi poteſtates; ſuis legibus, ſuisque hierarchis gubernata, non ſolum doctoribus & auditoribus conſtans; ſed imperantibus etiam & parentibus ſeu ſubditis fidelibus; non quidem faſtu, vel armis mundanis, ſed non ideo nullis, quin longe fortioribus virtutis DEI. *Nam*, inquit 2. *Cor*. X.
apoſtolus, *arma militiæ noſtræ non carnalia* 4.
ſunt, *ſed potentia DEO ad deſtructionem munitionum &c.* CHRISTUS ſuos ita inſtituit, ne abuſi ſua hac potentia faſtum & *Matth.*
dominatum mundanum imitarentur; hinc ſuis *XX*. 25.
prohibuit κατακυριεύειν, abuti dominio. Et *Marc*. X.
PETRUS magiſtrum ſecutus ſeniores con- 42.
ſenior ipſe monet: *Paſcite qui in vobis eſt* 1. *Petr*. V.
gregem DEI providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum DEUM: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes (κατακυριεύοντες) *in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Verum eſt apud
LUCAM haberi ſimplicem vocem κυριεύειν. *Luc*. XX.
Sed in eodem exemplo, quo CHRISTUS 25.
faſtum mundanum in ſuis voluit damnare, humilitati & modeſtiæ chriſtianæ adverſum: dixit autem eis: *Reges gentium dominantur*

eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. Ita apostolus seipsum commonstrat Corinthiis: *Ipse autem ego PAULUS obsecro vos per mansuetudinem & modestiam CHRISTI, qui in facie quidem humilis sum inter vos.* Nihilominus sua etiam novit uti potestate, & idem alios facere voluit. Hinc a Mileto Ephesum vocans majores natu ecclesiæ monet: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam DEI.* Et TIMOTHEUM monet: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia.*

2. Cor. X. 1.

Act. XX. 17.

2. Timot. IV. 2.

Est hoc proprium ad imitationem CHRISTI ministris ecclesiæ; quin tamen aliquid de vigore evangelico remittant; ac se noverint multo nobiliori in regno clavum tenere quam principes hujus sæculi. *Ille quidem opportune*, ait S. CHRYSOSTOMUS, *ea, quæ sunt in terris sortitus est administranda: cæterum sacerdotii jus e supernis descendit: quæcunque enim ligaveritis &c. Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt, mihi cœlestia: mihi cum dico, sacerdotem intelligo. Itaque cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum, qui re bona male utitur; quandoquidem & JUDAS proditor fuit, verum non ob id accusatur ordo apostolicus, sed illius animus: nec crimen est sacerdotii, sed malum animi. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex residua pecuniarum remittit, sacerdos autem residua peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia: ille bellum gerit cum Barbaris, mihi*

Hom. 4. in illa Isaiæ verba: Vidi Dominum &c.

bi bellum est adversus dæmones. Major hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, & ubique in veteri scriptura sacerdotes inungebant reges. Hinc, si velint, colligant Protestantes, quomodo non coactivum, sed suasivum sit ecclesiæ regimen, nimirum non temporali aut corporali subactione, sed moderatione potestatis sacræ juxta mansuetudinem & humilitatem CHRISTI.

Suadere quippe est æquius, quam cogere:
Magis nobis convenit, & illis item
Sociare nitimur quos Numini.

ut canit S. GREGORIUS NAZ. carmine de vita sua. Quam necessarium autem idem duxerit subditorum & ad regimen propositorum ordinem, disci potest ex sermone ejus primo de sacerdotio.

§. III.

Quemadmodum olim in veteri testamento Levitarum ordo sacerdotalis singularis fuit, ita clericorum in novo testamento est a laicis distinctus, qui sacris præsunt, & ecclesiæ gubernacula tenent. A politica distincta.

Multa hodie ultro citroque inter ipsos etiam disceptantur Protestantes, an ad reipublicæ sacræ Judæorum synedrii, synagogæ, aut scholæ Judaicæ formam efformata sit ecclesia quoad gubernationem externam. Fuit in veteri testamento summus pontifex, sacerdotes & Levitæ, quemadmodum in hierarchia ecclesiastica catholicorum clerus sacer est distributus, usque ad centrum unitatis ac sacro-

rum præsidem Romanum pontificem, reliquis subordinatis in regimine exercendo, distincto clericorum ordine a laicis, qui subditorum locum sustinent. Ubi etiam, ut postea videbimus, ipsum Romanum imperium formam quamdam præbuit, ad quam effictum est ecclesiæ regimen.

Inter Protestantes autem, Anglos præsertim non pauci formam Judaicam agnoscunt JAC. USSERIUS, HER. BODUELLUS, GEORG. HICKESIUS, ex nostris autem imprimis BELLARMINUS, ut nihil dicam de DIODORO VIRGILIO, CAROLO SIGON. & quos alios citat COMPEGIUS VITRINGA; qui tamen hic synagogæ potius formam esse vult in iis, quibus a templo discrepat. JO. SELDENUS rempublicam christianam cum synedrio comparans ad S. IGNATII epistolam ad Trallianos, & SYNESII epistolam 57. provocat. Quæ sententia propius ad eam accedit, qua cum ecclesiæ potius ad templi, quatenus cum synagoga haud raro confunditur, forma composita fuerit, ac simul etiam synedrium complectitur. Quo sensu SIXTUS V. in constitutione L. utitur ad cardinalium numerum septuagesimum determinandum: *Ut ita*, orditur constitutionem, *veteris synagogæ figura sanctæ & apostolicæ veritati respondeat.* S. CLEMENS ROM. hoc late diducit argumentum ex veteri testamento, ut Corinthios rebelles potestati sacræ ad subjectionem adduceret, & omnes ad suum revocaret ordinem: *Summo quippe*, inquit, *sacerdoti sua munia tributa sunt; & sacerdotibus locus proprius est assignatus; & Levitis sua ministeria incumbunt; homo laicus præceptis*

De Synagog. vet. proleg. c. 2.

De Syned. vet. Hebr. L. I. c. 14.

Bullar. Cherubin. T. II.

Epist. I. n. 40. 41.

lai-

laicis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres! in suo statu gratias DEO habeat, in bona conscientia degens, non transgrediens præscriptam muneris sui regulam, in honestate. Sed paulo post propius rem repetit ab ipsa CHRISTI institutione, secundum veterem tamen normam. *Missus igitur est*, ait, *CHRISTUS a DEO & apostoli a CHRISTO: & factum est utrumque ordinatum ex voluntate DEI. Itaque acceptis mandatis, & certo persuasi per resurrectionem Domini nostri JESU CHRISTI, & in fide confirmati per verbum DEI cum S. Spiritus plenitudine ac securitate, egressi sunt annunciantes, adventurum esse regnum DEI. Prædicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in episcopos & diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc nove: a multis enim temporibus de episcopis & diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit scriptura: Constituam episcopos eorum in justitia, & diaconos eorum in fide.* Deinceps institutionem CHRISTI, MOYSIS & apostolorum conjungit ob eundem finem pacis nimirum & ordinis in ecclesia.

Ib. n. 42.

Is. L. X. 17.

S. CLEMENS ALEX. multa ex hoc sermone cognominis Romani excerpit & descripsit libro IV. Stromatum. Alibi autem refert de S. JOANNE, eum cum post tyranni (DOMITIANI) obitum e Patmo insula Ephesum rediisset a vicinis quoque gentibus rogatum fuisse, partim quidem ut episcopos constitueret, partim ut integras ecclesias disponeret & formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret in clerum, cooptaret. Unde quidem patet, quam

Lib. Quis dives salvetur?

inique hodie Protestantes huic distinctioni ordinis refragentur, ut sacerdotii ac hierarchiæ jura lacessant & confundant, pariter ac jam olim TERTULLIANUS in hæreticis vituperavit: *Alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: bodie presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munera injungunt.* Sic sacra & profana miscere, illa his subjugare non pudet, contra perpetuam ecclesiæ faciem & formam primitivam, qualem nobis describunt eorum temporum auctores omnes; & in nullo magis occupantur argumento SS. CLEMENS ROMAN. IGNATIUS, POLYCARPUS, CYPRIANUS; & passim testimonium præbent, HERMES, JUSTINUS M. CLEMENS AL. TERTULLIANUS, & si qui alii sunt eorum temporum auctores.

De proscript. L. 41.

§. IV.

Circa exteriorem formam ac regimen ecclesiæ.

Licet latissime se diffundat sacra potestas quoad fidem & mores vitamque christianam, quatenus tamen formam exteriorem & gubernationem ecclesiæ spectat, proprie constituit jus ac theologiam canonicam.

Jus canonicum novum a RAYMUNDO de PENNAFORT compilatum, cujus hodie est in Romana ecclesia usus, orditur a titulo de summa Trinitate, & fide catholica; sed his paucissimis delibatis, mox ad titulos de constitutionibus & rescriptis &c. transgreditur, quæ proprie sunt hujus loci, legibus

sacris

ſacris contenta, quæ canones vocantur; fidei autem capita, *ſymbola* inde a prima eccleſiæ ætate ſunt dicta.

Canones etiam ipſi hic conſiderantur quoad externam eccleſiæ diſciplinam, quoad forum externum, hodie maxime diſtinctum a foro interno: quod pœnitentiæ vocatur, & ad cauſas conſcientiæ ac peccata omnia ſe extendit contra jus naturæ, divinum, & humanum, atque ad theologiam moralem & caſuiſticam refertur, non canonicam, uti ea proprie ſumitur, definitur, reſtringiturque ad ea, quæ ad exteriorem formam gubernationemque eccleſiæ pertinent circa perſonas, ac res ſacras ſacriſque connexas: quæ ſunt objectum, & principia iſtæc conficiunt theologiæ canonicæ.

Ea olim latius patuit, quam hodie, quando externum forum ab interno magis eſt ſeparatum, demtaque eſt cavillandi occaſio, quaſi eccleſia omnia ad ſe trahat ſub ſpecie rei ſpiritualis ac peccati. Quo tamen nomine poteſtas civilis potius gratias habere debet poteſtati ſacræ, quod etiam religionis nomine ſcelerum impetum cohibeat. Cujusmodi ſaluberrimas eccleſiæ leges attulimus in principiis theologiæ moralis; deinceps ea proſequemur, quæ regimini eccleſiæ unice ſunt propria, ac diſciplinam eccleſiæ ſpectant, in qua ſoli eccleſiæ competit jus ac poteſtas legislativa, plena ſemper auctoritate exercita, fruſtra hodie demum obſtrepentibus Proteſtantibus.

Nihil dicam de legibus ſacris in ſcriptura contentis non evangelio ſolum, & epiſtolis apoſtolicis, ſed etiam illis, quas eccleſia ex veteri teſtamento adoptavit: qua ratione paulo ante formam regiminis ſacri ad normam ve-

teris

teris ordinis Levitici esse effictam intelleximus: & tota lex moralis modo etiam perfectiori ad legem novam est translata, quod
Hebr. VII. 12. apostolus ad Hebræos etiam innuit: *Translato enim*, inquit, *sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat;* ut habetur in c. *Translato* de constitutionibus: *Cum enim utriusque testamenti sacerdotia ab eodem DEO sub eadem sponsione data fuit, necesse est, ut quod de uno dicitur, etiam de altero intelligatur.*
Deuter. XVII. 8. Ita autem in veteri lege habetur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad sacerdotes & ad judicem, qui fuerit illo tempore, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint.*
1. Cor. VI. 1. Hinc apostolus arguit Corinthios, quod non ad hoc judicium recurrant fideles: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos & non apud sanctos?*
Vid. Ch. Pfaf. Origini juris eccl. c. 2. art. 2. n. ggg. Unde ipsis adversariis nostris non diffitentibus *audientia episcopalis* originem traxit, & fuit frequentata sub ethnicis, & christianis principibus in causis etiam sæcularibus, quanto magis in sacris, ubi plenam potestatem sibi soli semper vindicavit ecclesia, præeuntibus apostolis imprimis luculento argumento circa legalia, constitutione ac rescripto solemni edito:
Act. XV. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris &c.* Et paulo post de
Ib. v. 41. D. PAULO refertur: *Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta apostolorum & seniorum.*

Semper autem deinceps id sibi sumsit auctoritatis ecclesia, ut leges & canones præscriberet:

ret: cujusmodi antiquissimi habentur apostolici, licet non ab apostolis ipsis editi, sed a primis conciliis & traditione apostolica, ut innuit JUSTINIANUS. Suntque ex Protestantibus, etiam qui sæculo secundo aut certo ineunte tertio collectos dicant. Inter quos GUIL. BEVEREGIUS eos edidit cum erudito commentario sub titulo: *Codex canonum ecclesiæ primitivæ*, atque collectionem a S. CLEMENTE ALEX. factam conjicit. Ex illis autem & infinitis deinceps subsecutis canonibus patet, non liberæ observantiæ, sed necessitatis fuisse ac districtæ legis sub gravissimis pœnis intentatis, spiritualibus illis quidem, sed corporalibus ac ipsa morte durioribus: quamvis nec hæ defuerint ab ipsis apostolis inflictæ, mortis a PETRO ANANIÆ & SAPHIRÆ, cæcitatis a S. PAULO ÆLIMÆ mago, & traditionis Satanæ incestuoso apud Corinthios; quibus etiam minatur: *Iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam.*

Nov. VI. c. fin.

2. Cor.

§. V.

Nihilominus varia commenti Protestantes, ecclesiam legitima sua potestate spoliatam volunt, vix juribus quibusdam collegialibus a quibusdam admissis, & legibus conventionibus confœderationeque disciplinæ, saltem sub statu ecclesiæ pressæ.

Non juribus tantum collegialibus.

Quodsi in originem ecclesiæ indagemus principium illius & auctorem DEUM ipsum deprehendimus a primordiis mundi & institutione

legis

legis Mosaicæ; a CHRISTO autem θεανθρώπῳ in lege evangelica, qui utique plenissima potestate, DEUS simul & homo a Patre missus ac instructus fuit circa ecclesiam proprio sanguine partam: *Data est mihi*, ita apostolos alloquitur, *omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc apostolis suis denunciavit CHRISTUS, quos eadem instruxit potestate ut jam dixi: *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos:* Quos solemniter vocavit & instituit: eisque alios LXXII. associavit: *Et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: messis quidem multa, operarii autem pauci.* Hoc dicebat comparatione totius mundi, per quem universa ecclesia erat dilatanda. Quod utique fieri debuit per eos, qui jam antea ad hoc munus erant ordinati, leges etiam præordinatæ & plena potestas data, antequam societas ecclesiastica coaluerit, sacris initiandi, initiatos regendi, ligandi & solvendi, hoc est, decidendi determinandique, quidnam licitum esset quid secus, si vel ipsum CH. PFAFFIUM audiamus; qui tamen ecclesiam vix nomine collegii dignatur, in quod coire licuerit, ibique cultui divino vacare, atque dein circa administrationem disciplinæ collegialis ordinemque in conventu servandum per modum pacti, per modum conventionis, per modum confœderationis leges ecclesiasticas condere, ad quas servandas omnes se sua sponte obligent pœnisque etiam,

Matth. XXVIII. 18. &c.

Jo. XX. 21.

Matth. X, 1.

Luc. X. 12.

Origin. jur. eccl. c. 4. a. 2.

etiam, quas, *inquit*, tantiſper, ſenſu depurato., ita nuncupamus, ſeſe ita hactenus ſubjiciant, ut, ſi ea, haud luere velint, collegio dein exigantur, cum alias omnia ſurſum deorſum ruitura eſſent. Recenſet deinde jura hæc collegialia, conſtitutionem miniſtrorum, & ordinem eos in cœtum recipiendi, item cœremoniarum omnium, quæ cultum publicum conficiunt, adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum, judicia eccleſiaſtica, ubi, per compromiſſum, res controverſa ut amicabiliter tranſigatur, ad perſonas eccleſiaſticas deciſio quæſtionis controverſæ devolvitur, diſciplina pœnitentialis externa, ſejunctio item a cœtu eorum, qui contra confœderationem peccant, ab omni tamen vi externa & coactioni alienam, & quæ ſunt hujusmodi.

Ita ſibi blanditur multa eccleſiæ tribuiſſe; & certe plus aliquid indulſit, quam alii; qui omnino omni jure ſpoliant eccleſiam, & principi transſcribunt, ut videbimus. Inter quos J. Henr. BOEHMERUS neceſſitate priorum ſæculorum eccleſiæ ſub perſecutoribus preſſæ inductus, diſciplinæ quandam confœderationem agnoſcit, mutua conventione receptam, circa omne pietatis officium, firmatum & ſtabilitum per ſeveritatem quandam caſtigatricem, ut rem definit ſingulari diſſertatione tertia inter diſſertationes duodecim juris eccleſiaſtici antiqui ad PLINIUM ſecundum & TERTULLIANUM. Ubi ex PLINIO ſecundo ethnico nimirum homine nomen & rem diſciplinæ hujus confœderatæ ſumendam potius duxit, quam ex inſtitutione CHRISTI & apoſtolorum, qui plena auctoritate conſtituendam regendamque ſuſceperunt

perunt ecclesiam, & suis successoribus pariter transmiserunt; quemadmodum usque ad præsentem diem perpetuo sibi in unitate & communione ecclesiæ succedentes ecclesiam gubernarunt secundum primam CHRISTI institutionem. *Et quosdam quidem posuit DEUS in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis CHRISTI: donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Unde patet tamdiu ministeria hæc & virtutes esse debere in ecclesia, donec omnes occurramus in unitatem fidei usque ad consummationem sæculi; quod inficiari non possunt quoad unam partem saltem adversarii, scilicet perpetuos sacri cœtus ministros, pastores & doctores, *Sine quo*, ut ait PFAFFIUS, *ecclesia omnino subsistere nequit.* Et tamen, secundum conceptum suum collegialem, a communitate potestatem in episcopos apud nos catholicos transfusam esse vult, ex pacto demum & conventione ecclesiam repræsentativam agnoscens; quam meram usurpationem esse contendit BOEHMERUS episcopis jam assuetis dominatui, quem sub imperatoribus ethnicis ex disciplinæ confœderatione exercuerint; PFAFFIUS autem aliquid amplius indulgere volens, quod una manu dat, altera iterum aufert. *Atque*, ait, *hæc jura ista collegialia sunt, quæ collegio & societati christianæ, quam ecclesiam nuncupant, non solum*

1. Cor. XII. 28.

Ephes. IV. 11.

Orig. eccl. c. 1. art. 2. n. d.

Orig. eccl. c. IV. a. 2.

ſolum ex natura rei, ſed & exemplo veteris eccleſiæ, quæ ſub imperatoribus ethnicis floruit, conveniunt, qui quippe pro rei ipſius, uti jamjam diximus, exigentia in libertatem civium, quam in cœtum civium coituri ii ſibi reſervaverant, tyrannico quodam auſu haud involaturi privilegium hoc collegio lubentes meritoque permiſere. At aliter hodie ſe res habet, ubi imperantes chriſtiani ſunt. Hic enim, cum collegia communibus votis in adminiſtratione jurium ſuorum agere amplius non poſſunt, utpote per totum ſtatum diffuſa, liquet adminiſtrationem jurium communium collegialium aliis committendam eſſe.

§. VI.

Jura collegialia, quæ nulla ſunt, a collegio aliorſum transferri non potuerunt in poteſtatem civilem, ſpoliata hierarchia juribus & poteſtate divinitus ſibi collata. Sed plena poteſtate divinitus eccleſiæ competente.

In eccleſia Romana, ait PFAFFIUS, *clerus ea cum majeſtaticis quoque quibusdam juribus perverſe ad jura eccleſiaſtica tractis poſſidet, in iis vero eccleſiis, ubi ſacra mutata fuere, principes ut plurimum iis fulgent, niſi quod, tum maxime ubi principum religio a ſubditorum differt, alicubi collegiis ipſismet vel per clerum vel per communia vota jurium horum exercitium permiſſum ſit.* Hæc quam ſint ex ingenio ad arbitrium conficta, nemo non videt, qui inſtitutionem ſacri miniſterii a CHRISTO factam, atque ab apoſtolis & eorum ſucceſſoribus in primæva eccleſia uſque ad præſentem diem exercitam ſine præjudicio ſpectarit: cum *Orig. eccl. c.4. art.2.*

utique apoſtoli prius fuerint quam ſocietas eccleſiaſtica ſeu collegium, quod iſti ſtatuunt tantum & tam amplum quod omnia regna mundi ſua amplitudine ſuperet, in totum orbem diffuſum; iſti autem fingunt poſt mille & quadringentos demum annos jura ſua recuperaſſe, & in principes transtuliſſe: cum nec cogitaverint quidem de hac re populi illi, qui eccleſiæ jugum LUTHERI & CALVINI aliorumque novatorum tempore excuſſerunt: Principibus pro ſua potentia armis & pacis tranſactionibus rem totam agentibus, circa religionem: quæ negotia ſemper in conventibus ſacrorum præſulum alias tranſacta fuerunt.

Nec aliud quam *tacitum conſenſum* hic proferre ac extundere, vel ipſe PFAFFIUS potuit: quam ob rem a ſuis quoque fuit exagitatus, qui perſpexerunt, nullibi in ſacris tabulis jura iſta collegialia eccleſiæ adſcribi. Nec etiam oſtendi poteſt ullo authentico documento, tempore ſeceſſionis factæ, collegia eccleſiaſtica, juribus hisce, ſi etiam quædam fuiſſent, renunciaſſe, ac principi tradidiſſe, aut tradere voluiſſe. Cum fuerint fideles populi juris ſui hujusce plane ignari, quod primum excogitavit PFAFFIUS PUFFENDORFFIO & paucis quibusdam præeuntibus, qui jura collegialia effinxerunt, poſteriores omnes prius facta jam per LUTHERUM CALVINUM &c. religionis mutatione, atque in imperio Romano poſt cruenta bella, pactis inter principes firmata, quod nunquam antea factum fuit, aut peſſime ceſſit, ſi principes in ſacra involarunt mox ſacrorum præſulibus auſui iſti ſeſe opponentibus. *Quemadmodum*, ajebat ad CONSTANTINUM magnus OSIUS teſte S. ATHANASIO, *qui tuum impe-*

Epiſt. ad Solitar.

imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne, quæ ſunt eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt cæſaris cæſari, quæ ſunt DEI DEO. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, nec tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, imperator.

Hæc paſſim occurrunt, & a me ſingulari opere alibi ſunt laudata; dicunturque pace ipſius PFAFFII, qui non propria hæc principum jura facit; niſi quatenus ab eccleſia accepit & jam multi doluerunt, atque experti ſunt, quam male actum ſit, dum principibus jura ſacra ſunt commiſſa; quam in rem DODWELLI Parænefis ad exteros extat. *De legitima eccleſiaſtica poteſtate.*

Sed aliter res eſſe non poteſt, nec ſalva eſſe eccleſia ſine legitima auctoritate: quam qui eccleſiæ præſidibus negant, neceſſe eſt principibus conſignent, quorum armis ſecuritatem ſuam unice tuentur per pacificationes religioſas, quibus agnoſcit PFAFFIUS jura illa penes principes ſigillum civile accepiſſe, eo ut munita a cœtu ad ſe amplius retrahi non poſſint. Nec eo amplius ſe privari ſinent principes pro ſua potentia, etiam in caſu tyrannidis ſacræ ad ejusdem PFAFFII nutum: quamvis ita rebelliones nutriantur & facile ſuſcitentur, dum ſubditi alienæ a principe religionis ſunt, forte non toleratæ, quo privilegio ſolum Calviniſtæ & Lutherani in imperio gaudent: cum tamen juxta principia proteſtantica, quilibet ſuo utatur jure & libertate conſcientiæ inviolabili.

§. VII.

Multo adhuc manifeſtiore errore & uſurpatione principibus qua principi- Neutiquam principi-

bus jure territoriali. cipibus ex jure territoriali jus circa ſacra adſcribitur, contra CHRISTI inſtitutionem, & perennem eccleſiæ ſua in auctoritate vigorem.

Bene habet, quod ipſi inter ſe digladientur adverſarii, nec conveniant, quo jure principes ſacrum ſibi dominatum uſurpent in eccleſiam, quam CHRISTUS renitentibus ſæculi poteſtatibus, ac toto adverſante mundo, in toto orbe ſtabilivit per apoſtolos & eorum ſucceſſores, privative, a prima ſua origine, gubernatam ſalvam & integram, non obſtantibus diris perſecutionibus, & principum etiam quandoque chriſtianorum uſurpationibus, poſtrema præſertim ætate, ubi demum ima ſummis, ſacra profanis omnia miſcere cœperunt.

De legitima eccleſiaſtica poteſtate. Jam alibi ex inſtituto contra BOEHMERUM præcipuum hujus ſententiæ inſtauratorem provocavi ad unicam ſaltem hujus eccleſiaſtici ſtatus epocham, a prima eccleſiæ origine uſque ad præſentem rerum ſtatum. Solent quidem ad ultimam ætatem aſcendere, inter hos JO. GEORGIUS REINERIUS in meditationibus de jure principum Germaniæ, cumprimis Saxoniæ, circa ſacra, ante tempora reformationis, non dubitat ad ipſum PHARAONIS in Ægypto exemplum provocare, atque ad rempublicam Judaicam. In qua, etſi non fuiſſent diſtincta ſacra & profana, hæc ſacerdotibus & levitis, illa principibus propria; argumentum tamen peti haud poſſet, unam in rempublicam ſociatis ac coeuntibus ſacerdotio & imperio, religioneque ſtatui Judaico ita innexa, ut qui religioni fidem haud præbuit ejusdemque legibus ſe ſubjecit, civis eſſe non potuerit. Id quod jamjam aliter ſe habet, agno-

agnoſcente ipſo PFAFFIO: cum CHRISTUS in toto orbe eccleſiam ſibi conſtituerit liberam ab omni dominatu politico; regnum non de hoc mundo; atque odio haberi a mundo ſuos, nec quidquam curare vult, ſcientes, quod priorem ſe odio habuerit. *Orig. eccl. c. 4. a. 1. n. 5.*

Quodſi autem vi juris territorialis competat principi jus in eccleſiam; an eo imperatores orbis domini gaviſi ſunt etiam in primordiis eccleſiæ? an ergo primi chriſtiani apoſtoli & eorum ſucceſſores violarunt hæc jura qui invitis vel maxime principibus, ſeſeque totis viribus opponentibus, DEO magis quam hominibus obediendum rati, eccleſiam conſtabiliverunt & rexerunt. Nec hic proficit commentum ſtatus extraordinarii eccleſiæ preſſæ ſub imperatoribus ethnicis, a quo emerſa ſubdere ſe debuerit chriſtianis principibus.

Ita jam non ſub titulo juris territorialis obtinetur jus hoc ſacrorum: quod idem fuit apud ethnicos, quam chriſtianos principes; nec aliquid occurrit niſi forte prærogativa chriſtiani ac primarii membri, unde fuerunt nonnulli, qui jus principum chriſtianorum derivarunt: cum tamen hoc nomine ipſi ſe eccleſiæ ſubdiderint principes; atque id tantum habent, quemadmodum poſtea dicemus, ut zelum ſuum demonſtrent, ac potentiam pro eccleſiæ commodis & incrementis impendant, neutiquam vero ipſam ſubigant potentiæ & regimini ſuo eccleſiam. Quod qui aliquando ſibi arrogarunt, uſurpatio ea fuit in exemplum neutiquam trahenda, aut adducenda in teſtimonium legitimæ poteſtatis: quam uti contra auſus infidelium principum ſibi ſemper eccleſia conſervavit, ita idem ſtrenue agit, quantum valet contra inobedientes principes chri-

ſtianos in ſacra involantes, armis ſuis ſpiritualibus, quæ ſi nihil proficiant in terris, erit aliquando, ut eorum vim refragariæ poteſtates ſæculi experiantur; nec prævalebunt adverſus eccleſiam.

§. VIII.

Aut epiſcopali.

Monſtrum eſt jus epiſcopale, quod fuerunt, qui principibus, in pacificationibus religioſis exercitum, aſſererent, duplicem veluti perſonam & poteſtatem ſacram & profanam ipſi ſuo nomine & auctoritate ſuſtinerent.

Fuit hæc CARPZOVII & aliorum non ignobilium proteſtanticorum doctorum opinio, a ſuis ſatis refutata, imprimis a THOMASIO & BOEHMERO; qui tamen non minus abſurde, ut vidimus, poteſtatem hanc ſacram principi adjudicant, tanquam principi. Neque majeſtatem eorum ſatis amplificatam exiſtimant, niſi plenum etiam jus ac jurisdictionem in eccleſiam habeat. Ne autem eccleſiæ qua eccleſiæ dominatum aliquem transſcribere videantur, potius volunt ex jure profano majeſtatis, quam ſacro epiſcopali hanc deſumere prærogativam; quemadmodum media via incedentes alii, quorum retulimus ſententiam, collegii partim, partim ſupremæ majeſtatis titulo jus ſacrorum vendicant principi, in hoc conſpirantes, principio Hobbeſiano nonnihil moderato, qui omnia plane eccleſiæ jura civitati adſcribit; ut recte PFAFFIUS jus ſacrorum ſicut apud nos eſt epiſcopa-

Orig. eccl. c. 3. a. 3. n. II.

ſcopale, ita apud Proteſtantes principale nominari poſſe fateatur.

Sed iſti, de quibus modo agimus, invidiam novæ nomenclaturæ effugiunt, rei ipſius augent, haud abſimili abſurditate, quam olim imperatores Romani ſimul nomen ſummi pontificis uſurparunt: quod quidem chriſtiani imperatores non ſtatim deſueverunt; ſed non uſurparunt poteſtatem pontificiam; etſi zelo bono aut malo magis aut minus rei chriſtianæ ſatagerent, aut juſta tuitione, aut iniqua uſurpatione. Prærogativam autem epiſcopalem aut pontificiam ſibi arrogaſſe, nuſpiam leguntur: quidquid hic Proteſtantes proferant etiam de poſterioribus nonnullis imperatoribus. Quam in rem nuper CYPRIANUS celebre apud ſuos nomen, diſſertationem publici juris fecit de MAXIMILIANO I. pontificatum maximum affectante; ubi inter alia de ſolemnibus imperatorum veſtibus, quæ Norimbergæ ſervantur ac clericalibus ſimiles ſunt, dicit a pontificatu iſto ethnico id etiam eſſe profectum. Sunt qui illud CONSTANTINI M. apud EUSEBIUM: *Vos eorum, quæ intra eccleſiam; ego eorum quæ extra ſunt a DEO conſtitutus epiſcopus fuerim*, ita ſumunt, ut de gentilibus extra eccleſiam conſtitutis intelligatur; alii hoc ad duplicem perſonam & poteſtatem principum, ſacram & profanam trahunt.

Lib. IV. de vita Conſtantini. c. 24.

Hanc certe nec arrogarunt pii imperatores, nec tulerunt legitimi eccleſiæ præſules profanari; licet quandoque vigorem & zelum apoſtolicum & ſacerdotalem in imperatoribus collaudarint, ipſi etiam Romani pontifices, atque inter hos S. LEO M. in ſuis ad imperatores epiſtolis MARCIANUM imprimis, ſed ſacerdotalem ſanctitatem, induſtriam, ſolicitu-

dinem mentem &c. non characterem. Quomodo etiam in concilio Chalcedonensi inter acclamationes publicas imperator princeps pontifex vocitatur; potius inde, quod consiliis pontificum aspirarit in causa ecclesiæ, quam quod sacerdotale aut pontificium munus attrectarit, quod iis solis semper competiit, qui ad hoc sunt consecrati in ordine ecclesiastico ac hierachico, in quo apex & princeps est episcopatus, ut postea dicemus, independens a potestate politica a CHRISTO institutus, & pulcherrima serie usque ad summum pontificem Romanum progrediens. Eo quidem ordine id accidit qui in Romano imperio fuit, quando ecclesia christiana adolevit, ut pro amplitudine urbium & distributione provinciarum jurisdictio sacra sese passim extenderet; sed singulari divina providentia & ordinatione ecclesiæ, non indultu ac nutu principum.

Est hic hodieque Græcorum schismaticorum error æmulorum prærogativæ Romanæ sedis, ac urbis imperantis: quam sortem cum Constantinopolis tractu temporum acciperet antea dicta BYZANTIUM suæ metropoli parens, sese paulatim extulit innocue quidem primo, donec ordinem hierachicum in centro unitatis subvertere niteretur.

Videri poterat quodammodo hic episcopatus a principatu civili dependere; sed salvo saltem ordine episcopali & potestate sacra, quam penitus sublatam volunt Protestantes principi litantes, & ecclesiam subjicientes, atque in tantum assentantes, ut etiam personam episcopalem sustinere dicerent, quod in imperio Germanico contigit, ansamque præbuit exercita in pacificationibus potestas.

Sed

Sed hodie apud ipsos Protestantes exploditur hæc sententia; non ut minus tribuatur potestatis saltem externæ & juris sacrorum, sed invidia nominis & characteris episcopalis in ecclesia catholica distincto clericali & sacerdotali ordine a laico. Id quod rejiciunt Protestantes, & æquale jus sacerdotii christianorum omnium statuunt: quo nomine etiam, qui jura collegialia ecclesiæ constituunt, & principibus transscripta volunt, quandam capacitatem principum agnoscunt ad tenenda gubernacula ecclesiæ non solum absoluta, sed etiam collegialia, nec externa tantum, sed etiam interna, qualia exempla nonnulla suppetunt, non solum in Anglia ipsa in regina ELISABETH, sed etiam apud nos principibus nonnunquam sacra obeuntibus: quod haud dubie munus facile illis sui concederent, si affectarent principes nec dedignarentur.

§. IX.

Quoad religionem politica sacræ subest potestati, ultroque colla subjecerunt ac parent pii quique principes ac magistratus in causa salutis animæ.

Cum quoad religionem sacræ potestati profana subsit.

Quodsi rite sacræ & politicæ potestatis constituantur fines & mutua subordinatio, cessabunt querelæ & æmulatio, ac metus, ne statum in statu admittendo, reipublicæ salus periclitetur, quando in negotiis salutis æternæ rebusque sacris principes & magistratus subjectionem profitentur ac deferunt ecclesiæ. Non hic loquimur de directa aut indirecta potestate ecclesiæ in temporalia; quin ita terminos

utriusque poteſtatis conſtituimus, ut politicæ quod ſuum eſt in temporalibus jus, & eccleſiaſticæ in ſpiritualibus integrum ſit.

Hæc placide inter ſe coaleſcent, & in pace erit ſacerdotium ac imperium quodlibet ſua tenendo gubernacula a DEO accepta, prout apoſtolus omnem animam ſubeſſe vult poteſtatibus ſublimioribus tanquam a DEO ordinatis; idemque attendere vult, quos Spiritus ſanctus epiſcopos conſtituit, regere eccleſiam DEI, & CHRISTUS PETRO claves regni cœlorum dedit, ac paſcendas oves commiſit, quibus dum ſe aggregant principes & magiſtratus, oves eſſe haud dedignantur & ſummo ad ſalutem æternam ſibi deputant lucro; adeoque in omnibus, quæ ad hunc conducunt finem, ultro ſe ſubjiciunt, quod fore in eccleſia chriſtiana per ISAJAM eſt prædictum:

Iſ. XLIX. 22. &c. *Hæc dicit Dominus DEUS: Ecce levabo ad gentes manum & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in ulnis & filios tuos ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Quem locum mirum eſt a non paucis Proteſtantibus ad principum uſurpatam circa ſacra poteſtatem ſuſtinendam proferri aucupata voce אמניס, quaſi *curatores* deſignet: cum quidem deſignet beneficia, & munificentiam regum in eccleſiam, ſed ſimul etiam ſubjectionem, ut ſunt ex ipſis Proteſtantibus commentatoribus, qui id profiteantur, inter quos BRENTIUS ad hunc locum, *Non tantum*, inquit, *promittitur, reges & principes fore eccleſiæ nutritores, verum etiam fore eos eccleſiæ ſubjectos.*

Vid. Com. peg. Vitringa ad eundem locum.

Nec

Nec diffiteri possunt, qui collegialia saltem ecclesiæ concedunt jura, iisdem subesse reges & principes, quando a collegio in eos jura illa collata non fuerint. *Est*, inquit PUFFENDORFFIUS, *in civitate societas seu collegium mercatorum, quod statutis & directoribus consensu membrorum constitutis regitur. In id quoque collegium adscribi vult princeps collata certa sorte. Sane hac adscriptione idem non acquirit absolutam dispositionem in collegium ejusque bona, sed potius statutis se collegii subjicit, nec aliqua præ reliquis prærogativa gaudet, nisi quam magnitudo sortis collatæ aut præstatio aliqua extraordinaria vel consensus cæterorum ultro tribuit, nec in eo collegio consideratur ut princeps, sed ut mercator.* Constat certe sese submisisse ecclesiæ principes cum primum ecclesiæ nomen dederunt; id quod ipse agnoscit BOEHMERUS, & imperat. CONSTANTINO irascitur, quod se negotiis ecclesiasticis immiscere noluerit, quod juxta sua principia facere potuerit ac debuerit vi majestatis ac juris territorialis; quemadmodum juxta eos, qui jura collegialia sciscunt, ex delatione jurium collegialium spontanea facta in principem idem illis jus est.

Contra Houtuynum. p. 292.

Utrumque autem fallit tam quoad jus ipsum quam quoad factum. Toto cœlo diversa ac distincta politica a sacra potestate hierarchiaque a CHRISTO instituta, quam dimittere & alio deferre non potuit ecclesia, singulari ordini ac hierarchis divinitus assignatam & inseparabilem, utpote characteri & muneri sacerdotali intime conjunctam. *Thronus regius*, ait S. CHRYSOSTOMUS, *quamvis ob gemmas affixas admirandus videtur,*

Hom. 4. in illa Is. verba: Vidi Dominum.

detur, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est. Verum sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronunciandi habet auctoritatem. Quacunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis. DEUS ipsum regale caput sacerdotis manibus subjecit, nos erudiens, quod hic princeps est illo major, siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo, quod præstantius est. Legenda est ea integra homilia, ex qua jam superius locum descripsimus, ubi exemplo OZIÆ ostendit, quam sit funesta usurpatio principum in sacra involantium divina vindicta subveniente, quando terror & potentia principum limites excedens & alienam rem usurpans in officio teneri nequit: *Posteaquam igitur*, idem eodem loco ait sanctus doctor, *arguisset sacerdos, rex autem non cessisset, sed arma moveret, clypeos, & hastas, suaque uteretur potestate, ibi sacerdos dicit: Ego, inquit, quod erat officii præstiti, nihil amplius possum, succurrere sacerdotio quod conculcatur, leges violantur, fas subvertitur.* Idem sanctus doctor in homilia de S. BABYLA refert antiquissimum vigoris pastoralis exemplum contra PHILIPPUM, ut creditur, imperatorem, quem etiam EUSEBIUS christianum fuisse sparsos esse rumores narrat, & in pervigilio paschæ ad ecclesiam properantem, aditu prohibitum, pœnitentia perfunctum esse. Cujusmodi luculentum exemplum in THEODOSIO imperatore a S. AMBROSIO exercitum habetur ob cædem Thessalonicensem a sacris arcendo: quod se monitum divinitus in somno fecisse, epistola ad illum imperatorem asserit. Et epistola ad MARCELLINAM sororem refert, quid egerit erga eundem imperato-

Lib. VI. c. 34.

Epist. 51.
Epist. 41.

rato-

ratorem, non prius coram eo ſacrificium offerens, quam revocaſſet mandatum de reædificanda Judæis deſtructa ſynagoga. Quod DEO placitum fuiſſe, ibidem teſtatur ſe percepiſſe ex conſolatione, quam inter celebrationem myſteriorum ſenſerit. Atque vigor apoſtolicus, quo ea in re uſus eſt ex epiſtola, quam ad THEODOSIUM ob eam cauſam dedit colligi poteſt. Ipſe autem THEODOSIUS agnovit AMBROSIUM epiſcopum ſolum eo nomine dignum, teſte THEODORETO. Quod in memoriam revocat ſimile S. BASILII dictum a S. GREGORIO NAZ. relatum, eodem vigore auribus VALENTIS imperatoris ſeſe opponentis contra Arianos: quod cum præfectus juſſa principis urgens ſtupuiſſet, ac teſtatus eſſet, neminem unquam tanta ſecum locutum fuiſſe fiducia, hoc reſponſum a S. BASILIO tulit: *Neque enim in epiſcopum incidiſti: Alioquin hoc prorſus modo diſſeruiſſet, pro hujusmodi rebus in certamen veniens.* Alia ejusmodi exempla erga alios imperatores CONSTANTINUM, CONSTANTIUM &c. habentur complura. *Epiſt.* 40.

Fruſtra hic provocant adverſarii, quod ſacris olim principes non ſint interdicti, licet etiam hæretici fuerint: quæ œconomia majoris mali periculo eſt ſervata, ſervaturque, quin tamen cauſa eccleſiæ deſeratur, juxta S. AUGUSTINI regulam, excommunicationem non eſſe ſtringendam, ſi metus ſchiſmatis ſubſit, quando nimirum integram multitudinem occupat malum. Quod idem multo magis circa ſummos principes locum habet; ſi ſint pervicaces nec debitam eccleſiæ præſtent ſubjectionem. De ſubordinatis magiſtratibus autem non eadem res eſt, ſuoque loco non pauca afferemus exempla exercitæ in eos cenſuræ

a S.

a S. ATHANASIO, SYNESIO, CYRILLO ALEXANDR. &c. Quales magistratus, ut subjectionem ecclesiæ præstent, ipsi summi imperantes curarunt: quam in rem insignis habetur canon Arelatensis concilii auspiciis CONSTANTINI M. celebrati, ubi de præsidibus statuitur: *Ut cum promoti fuerint litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias: ita tamen ut in quibuscunque locis gesserint ab episcopo ejusdem loci cura de illis agatur; at cum cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur.* Licet refragarii id etiam moleste tulerint, quod de ORESTE præfecto augustali Ægypti SOCRATES testatur: *ORESTI*, inquit, *jam pridem invisa erat episcoporum dominatio, tum quod episcopi de potestate eorum, qui ad regendas provincias ab imperatore missi erant, plurimum decerperent, tum quod CYRILLUS actus suos explorare vellet.* Sed imperatores pii ipsi episcopos parentum loco venerabantur, ut de CONSTANTINO EUSEBIUS, SOCRATES *Lib. I. c.* 5. SOZOMENUS *Lib. I. c.* 18. & THEODORETUS *Lib. I. c.* 7. testantur. Hic ipse de VALENTINIANO imprimis memorabilem narrat rem cum de episcopo Mediolani eligendo ageretur: *Hominem*, ajebat, *ita instructum in sede, & gradu episcopali jam collocate, uti & nos, a quibus hoc gubernatur imperium, ei vere, & ex animo capita inclinemus; & illius reprehensionem, nam cum simus homines, errore labi necesse est, velut medicinam animorum cupide amplexemur.* Humillimi alias & sanctissimi præsules hic dignitati sacerdotali consulendum duxerunt: quod de S. MARTINO

Can. VI. conc. Arelat. I.

Lib. VII. c. 13.

De vita Constant. lib. III. c. 10.

NO SULPITIUS SEVER. in ejus vita testatum facit: *Nam*, inquit, *etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperavit potius quam rogavit; & a convivio ejus frequenter rogatus, abstinuit dicens, se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos imperatores, unum regno, alterum vita expulisset. Mensæ autem admotus, nec integrum sibi fore existimavit, si aut regem ipsum, aut eos, qui a rege erant proximi, presbyterio prætulisset.* Quod factum imperator, omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contemti erant, placeret. AMBROSIO ipso teste idem MAXIMUS assurrexit, ut osculum daret. MAXIMI conjux S. MARTINO etiam pedibus advolvebatur, mensam admovebat, aquam manibus subministrabat, cibum parabat, potum porrigebat. LEONTIUS Tripolitan. vix non talia officia ab imperatrice exigebat teste PHILOSTORGIO Hist. VII. c. 6. *Quod si cupis*, ajebat, *me ad te venire, ita ut reverentiam, qua te decet episcopum prosequi, serves; quando ego ingrediar, tum vero tu descendens e sublimi solio, reverenter mihi obviam venito, & manibus meis caput tuum submittito, benedictionem a me postulans. Deinde sedeam quidem ego, tu vero stes cum reverentia; postquam jussero sessura, ubi signum tibi dedero.* Nec commotus est his CONSTANTIUS maritus, etsi uxor conquereretur. Sed hunc fastum esse non negarim. Creditur LEONTIUS iste a nonnullis compilator constitutionum apostolicarum, in quibus (*Lib. II. c. 26.*) de episcopi dignitate ista leguntur: *Hic est princeps, & dux vester, hic rex vester & dynasta, hic DEUS vester,*

Ep. 27.

terre-

terrenus, post DEUM: ut DEI dignitate ornatus, qua clerum in potestate habet, & toti populo imperat.

§. X.

Succurrit tantum protectione & executione canonum.

Nihilominus opportune adest & sucurrit implorata politica potestas, ad tuenda ecclesiæ jura, executioni mandandas ab ecclesia constitutas leges & canones, conservandum ordinem, ac justitiam contra refragarios.

Antiquissimum habetur exemplum implorati auxilii, etiam ab imperatore ethnico AURELIANO contra PAULUM SAMOSAT. qui in domus episcopalis possessione persistebat, posteaquam a concilio Antiocheno episcopatu dejectus esset, nec ecclesiæ potestas suppeteret executioni mandandi latam sententiam. Accidit autem divina disponente providentia, ut recte omnino imperator rem ageret. *Interpellatus*, inquit EUSEBIUS, *imperator AURELIANUS rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici christianæ religionis antistites, & Romanus episcopus subscriberent.* Fallitur autem D. GODEAU interpellationem hanc a PAULO factam ratus, qui potius se gratia ZENOBIÆ sustentabat. Idem hic tenuit AURELIANUS, quod postea CONSTANTINUS M. in causa CÆCILIANI, cujus hæc sunt ad MELCHIADEM P. verba: *Visum est mihi ut idem CÆCILIANUS cum decem episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navi-*

Lib. VII. c. 30.

Hist. eccl. lib. III. p. 442.

Apud Euseb. lib. X. c. 5.

navigio trajiciat; ut ibi coram vobis, RETECIO etiam & MATERNO, & MARINO collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima DEI lex, ut nostis, postulat.

Causa cadentes Donatistæ cum iterum imperatorem interpellarent, dedit eis judicium plenius Arelatense, ubi iterum victi sunt. CONSTANTINUS autem ingenue fatetur, & agnoscit indigne ac male ad se factam esse appellationem: *Meum*, inquit, *judicium postulant, qui ipse judicium expecto.* Frustra illi contra judicium transmarinum Romanæ sedis excipiebant, & adhuc tempore S. AUGUSTINI cavillabantur. *Quid*, inquit, *quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe imperator judices misit episcopos, qui cum eo viderent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius imperatoris.* Quodsi importunitati Donatistarum aliquid dedit, fecit id veniam deprecaturus a præsulibus non reformans sententiam, sed firmans, ac executioni mandans: quod eatenus bene habet. Sed plus sibi indulsit in causa S. ATHANASII, & res male cessit. Quod non raro deinceps accidit, dum aut principes ipsi in se susciperent causæ cognitionem, aut legitimum non sequerentur ecclesiæ judicium.

Constant. epist. ad episcop. cathol.

Epist. 162.

Non inde autem vituperantur principes, quod adessent, ac succurrerent perturbatis ecclesiæ rebus: quod ipsis incumbit, & ad hoc interpellari ab ipsis ecclesiæ præsulibus solebant. Insignis eam in rem ac prolixa habetur concilii Romani sub DAMASO ad GRATIANUM epistola, qua rogant pietatem suam: *Ut jubere dignetur*, sunt patrum ver-

Tom. II. conc. p. 1001.

C ba,

ba, *quicunque vel ejus* (DAMASI) *vel nostro judicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit ecclesiam retinere, vel vocatus a sacerdotali judicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris praefectis pratoriae Italiae vestrae, sive a vicario accitus ad urbem veniat: aut si in longioribus partibus hujusmodi emerserit quaestio, ad metropolitani per locorum judicia deducatur examen: vel si ipse metropolitanus est Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus episcopus judices dederit, contendere sine dilatione mereatur.* Sed quoniam de ipso Romano pontifice res agebatur, aliud insuper petunt: *Ut episcopus Romanus, si concilio ejus causa non creditur, apud concilium se imperiale defendat, nam & SILVESTER papa a sacrilegis accusatus apud parentem vestrum CONSTANTINUM causam propriam prosecutus est.* Hoc ipse postulaverat DAMASUS, & haud dubie SILVESTER, quamvis in historia nihil prorsus de tota illa causa occurrat.

De concordia sacerd. & imp. L. IV. c. 2.

Similis est ad CONSTANTINUM S. ATHANASII appellatio, quam PETRUS de MARCA appellationis *tanquam de abusu* exemplum esse vult, quales in Gallia sunt consuetae ad Parlamentum, quod majestatem justitiamque regis repraesentet, ad quem velut ad canonum protectorem spectet, ne quid illis adversum attentetur. Sed nostra haec aetas docet, quousque judicium illud deveniat, etiam contra regis voluntatem: quod jam Emin. SFONDRATI in Gallia vindicata prodidit, sic rerum causarumque ecclesiasticarum disceptationem ad forum saeculare transferri, atque esse haec remedia morbis ipsis pejo-

Differt. III.

pejora, sæpiusque ab ipsis Gallis improbata, & eousque progressa, ut jam omnis potestas ecclesiastica sub abusus prætextu ejusmodi appellationibus eludi possit. In ecclesia antiqua vix habentur ejusmodi exempla, quæ fere male cesserunt, ut hoc ipsum S. ATHANASII; & adhuc nondum satis extricata res est, qualis ea fuerit, quemadmodum & illa SILVESTRI. Certe non ad imperatorem tanquam judicem fuit facta, sed ob vim, DIONYSII comitis auctoritate factam, in judicio Tyrio.

Non autem alio pertinet, quæcunque hic exercetur sæculi potestas, quam ad tuitionem rerum ac legum sacrarum, easque executioni mandandas, si qua se difficultas exerat, & imploretur brachium sæculare contra furores & contumaciam seditiosorum & refragariorum, quando judicia, leges & pœnæ canonicæ non proficiunt, & illis obsistitur, atque ex adverso agitur. Quam JUSTINIANUS παραφυλακὴν custodiam & tuitionem canonum vocat ab ἐξȣσίᾳ seu potestate distinctam, quam in rebus politicis habet. *Si*, inquit¹, *civiles leges, quarum nobis potestatem DEUS pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientiam, securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum, & divinarum legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definitæ sunt.* Quibus innuit, ut sibi ea custodia incumbit, ita muneris esse curare, ab aliis ut observentur ecclesiæ leges.

§. XI.

Estque suum tribunal personis ecclesiasticis.

Personarum ecclesiasticarum suum est coram ecclesiastico judice tribunal, severe caventibus sacris canonibus, ne prætereatur saltem sine episcopali indultu, suffragantibus etiam civilibus legibus.

Concilia, spectantibus & patrocinantibus principibus ac magistratibus, hoc canonibus suis statuerunt; cum primum coram principibus christianis aliud forte fieri potuisset: secus ac antea sub imperatoribus ethnicis contigit, ubi juxta apostolum causæ christianorum omnium coram ecclesia sunt actæ. Ita Antiochenum concilium habet: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aliusve quilibet ex canone, citra sententiam & litteras episcoporum provinciæ & maxime metropolitanorum ad imperatorem proficisci aggressus fuerit, is abdicetur & abjiciatur non solum a communione, sed etiam a dignitate cujus est particeps: ut qui religiosissimi imperatoris auribus molestiam afferre audeat præter legem ecclesiæ. Si autem necessarius usus hoc exigat, ut ad imperatorem se conferat, id agat cum deliberatione & consensu metropolitani provinciæ, & eorum, qui sunt in ea, eorumque litteris munitus iter invadat.*

An. 341. can. 11.

Si cui hæc auctoritas minus fortasse congrua videatur, audiat in concilio Sardicensi proponentem OSIUM omnibus applaudentibus, ne quacunque de causa id fiat, etiam non litigiosa: OSIUS episcopus dixit: *Importunitates, & nimia frequentia, & injustæ petitiones*

Can. 7. ed. gr. dia. 8.

nes

nes fecerunt non tantum habere gratiam vel fiduciam, dum quidam episcopi non cessant ad comitatum ire, & maxime Afri, qui sicut cognovimus sanctissimi fratris & coepiscopi nostri GRATI salutaria consilia spernunt, atque contemnunt; ut non solum ad comitatum multas & diversas ecclesiæ non profuturas causas perferant &c. Canon quidem iste alio etiam spectat; sed apparet ex conciliis Africanis abusum istum & usurpationem judicis incompetentis etiam deinceps restringendum & severe cohibendum fuisse visum, uti constat ex canone XII. concilii Hipponensis an. 393. & Carthaginensis III. canone qui habetur c. placuit II. q. 1. Ita vero sonat: *Item placuit, ut quisquis episcoporum, presbyterorum, & diaconorum seu clericorum, cum in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa ei fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum ammittat: & hoc in criminali judicio. In civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa ecclesia male sentiendo de judicio sæculari poscit auxilium: cum privatorum causas apostolus ad ecclesiam deferri, atque ibi terminari præcipiat.* Hinc in Carthaginensi IV. quicunque cathólici excommunicantur, qui ad judicium infidelium vel hæreticorum provocant. Et PATRICIUS in Hibernia ob eandem rationem christianos omnes communione privat, qui causam contra alium christianum ad judices detulerit, non ad ecclesiam. Sed ut ad clericos redeamus, gravissimus est concilii Chalcedonensis canon: *Si*

[Margin notes: *Can.* 9. — *T. III. conc. p.* 1479. — *Can.* 9.]

Si quis clericus habet cum clerico litem, aut negotium, proprium episcopum non relinquat, & ad sæcularia judicia ne excurrat; sed causam prius apud proprium episcopum agat, vel de episcopi sententia apud eos, quos utraque pars elegerit, judicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subjiciatur. Si clericus autem cum proprio, vel etiam cum alio episcopo negotium, aut litem habeat, a provinciæ synodo judicetur. Si autem cum ipsius provinciæ metropolitano episcopus aut clericus controversiam habeat; diœcesis exarchum adeat, vel imperialis urbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget. In hunc finem ergo erant, suntque subordinata sibi tribunalia; atque urbi imperatoriæ Constantinopoli hoc indultum fuit, non quod principis auctoritas intercesserit, sed ob concursum episcoporum in principali urbe, facilioremque executionem & tuitionem justarum legitimo judicio decisarum causarum.

Quodsi autem in provinciis aliquid a subordinatis magistratibus contra hanc immunitatem susceptum, tunc imperatoriæ fores sunt pulsatæ, non ob causam ipsam, sed violata ecclesiæ jura, ut de se S. ATHANASIUS testatur: *Quocirca hæc retulimus ad piissimos & DEI amantissimos imperatores, rogantes eorum humanitatem, ut eos qui adhuc vexantur & affliguntur, dimitti jubeant, decernantque, ut ne quis judicum, quorum officium est popularia solum curare, clericos judicet, aut ullatenus inposterum occasione curandarum ecclesiarum, adversus fratres quidvis moliatur.* Constituti autem sunt in hunc finem scholastici defensores, si quid ejusmodi occurrebat: *Qui habeant*, ut habet canon

Apolog. contra Arianos. n. 39.

Cartha-

Carthaginensis, *facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria.* Alias autem quibuscunque de causis saltem sine episcopi permissu vel contra judicium ecclesiasticum minime licitum fuit sæculare judicium expetere. Ita canone I. concilii Andegavensis fuit cautum: *Primum ut contra episcopale judicium clericis non liceat prosilire neque inconsultis sacerdotibus sæcularia judicia expetere.* Et concilium Venetense: *Clericis, nisi ex permissu episcoporum suorum, sæcularia judicia adire non liceat. Sed si quis fortassis episcopi sui judicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua adversus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non sæcularium potestatum, debebit ambire. Aliter a communione habeatur alienus.* Indiscriminatim autem videtur hoc fuisse prohibitum circa qualescunque personas & vicissim qualibuscunque personis id vetitum, ne a suo legitimo judicio abstrahere possint clericos sine speciali episcopi indultu tanquam legitimi judicis, aut nisi coactus seu pulsatus quis fuerit, quod ne fieret, graviter prohibitum sub excommunicationis pœna, juxta ac concilium Agathense sanxit: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem judicem, episcopo non permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit respondeat, nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere. Si quis vero sæcularium per calumniam ecclesiam, aut clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab ecclesiæ liminibus & a catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, arceatur.*

An. 405. T.II.conc. p. 1113.

An. 453.

Can. 9.

Can. 32.

An. 538. Idem in concilio Aurelianensi ibidem canone 32. postea fuit statutum. Et in concilio Carthaginensi circa idem tempus sæcularium
An. 541. imprimis attentatio fuit coercita: *Ut nullus sæcularium personarum prætermisso pontifice seu
can. 20. præposito ecclesiæ, quemquam clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat vel damnare. Sed & clericus, si pro causa ad petitionem cujuscunque fuerit ab ecclesiastico ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, & respondere nulla calliditate dissimulet. Sed & quæcunque causatio, quoties inter clericum & sæcularem vertitur absque presbytero, aut archidiacono, vel si quis esse præpositus ecclesiæ dignoscitur, judex publicus audire negotium non præsumat. Sane si causam habentibus placuit ire ad judicium fori ex voluntate communi, permittente præposito ecclesiæ, clerico licentia tribuatur.* Itaque ut legitima semper integra demonstraretur potestas ac tribunal, interventu ac indultu opus fuit legitimi judicis ac præpositi, cogi autem nemo potuit invitus. In
Lib. II. decretalibus GREGORII IX. generalis re-
Tit. II. fertur canon nomine conc. Parisiensis: *Nul-*
cap. 3. *lus judicum neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum ullum aut minores ecclesiæ sine permissu pontificis per se distringere aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab ecclesia DEI, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscens emendet.*

Quod etiam imperatoriis legibus cautum
Cod. Th. fuit. Ita habetur THEODOSII M. lex:
lib. XVI. *Continua lege sancimus, nomen episcoporum*
Tit. XII. *vel eorum, qui ecclesiæ necessitatibus serviunt,*
l. III. *ne ad judicia sive ordinariorum sive extraordi-*

nario-

nariorum judicum pertrahatur: habent illi judices suos, nec quisquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas attinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. In GRATIANO, ubi refertur hæc lex, non comparent hæc verba: *Quantum tamen ad causas ecclesiasticas attinet.* *Causs. XI. q. 1. c. 5.* Aliis legibus Romanis ac etiam capitularibus CAROLI M. eadem immunitas clericis indulgetur, sed nulla hic exceptio occurrit: *Ut clerici inter se negotium habentes a suo episcopo dijudicentur, non a sæcularibus.* *Baluz. T. I. p. 516.* Sed jam CONSTANTIUS indiscriminatim lege prohibuit, *in judiciis episcopos accusari*... „Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert apud alios potissimum episcopos „ convenit explorari, ut opportuna atque „ commoda cunctorum quæstionibus audientia „ commodetur. „ *Cod. Theodos. lib. XVI. Tit. II. de episc. l. XII.*

Sed ii, quorum est de jure divino cognoscere, hoc jure divino ita ordinatum edicunt, in concilio Lateran. cap. nimis. 30. de jurejur. & conc. Trid. sess. XXV. c. XX. BONIF. VIII. in cap. quamquam IV. de cens. in 6. Quod beneficium cum non sit personale, sed pro honore totius ordinis ecclesiastici indultum, negant canonistæ, clericos etiam cum juramento, ac in causa quoque mere temporali eidem renunciare posse. Sed in causis capitalibus post rem examinatam degradati traduntur brachio sæculari. Jure certe antiquo etiam cessavit hic exemtio: ita habetur can. VII. conc. I. Matisconensis; „ Ut nullus clericus „ de qualibet causa extra discussionem episcopi „ sui, a sæculari judicio injuriam patiatur, aut „ custodiæ deputetur. Quodsi quicumque ju- „ dex cujuscumque clericum absque causa cri- „

 „ mina-

„ minali, id eſt homicidio, furto aut malefi-„ cio, hoc facere fortaſſe præſumſerit, quam-„ diu epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab ec-„ cleſiæ liminibus arceatur. „ Imperatores hunc honorem perſonis eccleſiaſticis detulerunt, ut ſoli ſuo reſervarent ſupremo judicio, aut ſaltem citra imperialem juſſionem fieri haud permitterent. JUSTINIAN. *Lib. I. tit. III. de epiſc. L. XXV. & Nov.* 123. *c.* 8. *VALENT. Nov. XV.* de hujusmodi atrocibus criminibus verba faciens, legem & pœnam ſtatuens ita ſervari vult, ut nec miniſtris nec antiſtitibus ſacræ religionis in tali cauſa ſtatuat eſſe parcendum. *Vid. app. cod. THEODOS. SIRMONT.*

§. XII.

Et rebus cauſisque ſacris.

Circa res ac cauſas ſacras, ſacrisque annexas plenam habet ſemperque exercuit eccleſia poteſtatem, nemine ad noſtra uſque tempora in controverſiam vocante.

Proteſtantes, ut vidimus, qui totum concuſſerunt eccleſiæ ſtatum, eccleſiam his, ſoli ſibi competentibus, ſpoliare contendunt juribus, & legitima poteſtate circa ſacra, quam veteres imperatores potius aſſertam quam imminutam voluerunt, quidquid nonnunquam particularibus in caſibus uſurpaverint: „ Au-„ guſtæ memoriæ pater tuus (VALENTI-„ NIANUM juniorem alloquitur S. AM-„ BROSIUS) non ſolum ſermone reſpon-„ dit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit in cauſa „ fidei, vel eccleſiaſtici alicujus ordinis eum „ judi-

Epiſt. 32.

judicare debere, qui nec munere impar, „ nec jure dissimilis. „ Hæc verba rescripti sunt. Non quidem in codice habetur lex ista, alia tamen ejusdem valoris a VALENTINIANO & GRATIANO data: „ Qui „ mos est causarum civilium, iidem in nego- „ tiis ecclesiasticis obtinendi sunt: ut si qua „ sunt ex quibusdam dissensionibus, levibus- „ que delictis ad religionis observantiam per- „ tinentia locis suis, & a suæ dioeceseos sy- „ nodis audiantur: exceptis quæ actio crimi- „ nalis ab ordinariis extraordinariisque judi- „ cibus aut illustribus potestatibus audienda „ constituit. „ Similis habetur ARCADII & HONORII lex: „Quotiens de religio- „ ne agitur, episcopos convenit judicare: cæ- „ teras vero causas, quæ ad ordinarios cogni- „ tores, vel ad usum publici juris pertinent, „ legibus oportet audiri. „ Et JUSTINIANUS: „ Si ecclesiasticum sit delictum e- „ gens castigatione ecclesiastica & multa, DEO „ amabilis episcopus hoc discernat, nihil „ communicantibus provinciæ judicibus. Ne- „ que enim volumus talia negotia scire civi- „ les judices: cum oporteat talia ecclesiastice „ examinari, & emendari animas delinquen- „ tium per ecclesiasticam multam secundum „ sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ „ sequi non dedignantur leges. „ Id data quavis occasione alias etiam contestati sunt imperatores. Jam notavimus CONSTANTINUM M. intempestiva Donatistarum petitione victum, cum cedere judicio ecclesiastico nollent, pœnituisse & veniam deprecatum esse, quod causam ad se receperit, quod S. AUGUSTINUS notat. VALENTINIANUS teste SOZOMENO id palam est con- fessus

Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. de episc. l. 23.

Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. XI. de relig. l. 1.

Nov. 33. c. 1.

Epist. 43. ad Gloriosf. & Eleus.

Lib. VI. c. 7.

fessus, & rationem congruam reddit imperator: *Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est hujusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero, quibus id curæ est, seorsim, ubicunque voluerint, conveniant.* Dilaudat vehementer hunc animum imperatoris idem SOZOMENUS, erga divinum Numen adeo pie affecti, *ut neque imperaret quidquam sacerdotibus, neque omnino novare aliquid in ecclesiasticis sustinuerit, si quid sibi deterius aut rectius visum fuisset. Has enim res examine ac judicio suo præstantiores esse existimasse, quamvis eximius fuerit imperator, & ad res gerendas aptissimus.* Imperator GRATIANUS in causa schismatis URSINI, etsi initio URSINUM ipsum damnarit, sancivit tamen, episcopum Romanum reliquorum prælatorum causam examinare, ne profani judices de religione judicarent, sed pontifex religionis unacum collegis. Quam legem plurimum laudant episcopi anno 378. congregati, ejusque executionem petunt a GRATIANO. Quod eodem anno fecit imperator rescripto ad AQUILINUM, & omnino firmum vult judicium Romani & aliorum episcoporum atque a præfectis executioni mandari, non usurpando in refragarios potestatem, sed ad metropolitanos referendo; aut si reus metropolitanus sit ad Romanum pontificem, vel datos ab eo judices, vel concilium episcoporum vicinorum. Testatur ipse THEODORETUS, imperatorem, cum peteret curari, ut sicut orientales ita etiam alii concilii patres prohiberentur conventum agere, in responsis tulisse, episcopis se imperare haud posse.

Ib. c. 21.

In append. Cod. Theodos. p. 80.

Tit. II. conc. p. 1003. 1004. *epist. ad Joa Antioch. apud Garn. p.* 60.

Idem

Idem sacrorum præsules, ut jam observavi, intrepide monuerunt, nihil principibus pro sua potentia in sacris competere juris, quod jam tunc adulatores principibus inspirabant: *Allegatur imperatori*, inquit S. AMBROSIUS, *licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli gravare imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto DEO subditus. Scriptum est: quæ DEI, DEO, quæ cæsaris, cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœniorum jus commissum est, non sacrorum.* Semper invicte ecclesia suum hoc retinuit jus, atque legibus etiam firmavit; ita ex synodo Remensi sub EUGENIO III. in decretales relatus est canon: *Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. Sed episcopi, abbates, archiepiscopi, & alii ecclesiarum prælati de negotiis ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant: nec propter eorum probibitionem, ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.* Ibi inter alia habetur, judicem ecclesiasticum posse per viam denunciationis evangelicæ seu judicialis, procedere contra quemlibet peccatorem, etiam laicum: maxime ratione perjurii, vel pacis fractæ. Quod spectat jus novum, ubi separatum est externum ab interno tribunali, quo olim mixto ecclesia districtis censuris & pœnis in quævis grandia animadvertit peccata ac canones edidit. Nunc autem causæ publicæ sacræ ad forum seu judicium ecclesiasticum spectantes in jure canonico determinantur quoad spirituales vel spiritualibus annexas,

Epist. ad Marcellinam sororem.

An. 1148. *c.* 4. *Lib. II. Tit. I. c.* 2.

Can. novit ille. 13.

xas, & quæ ecclesiam respiciunt, unde emergit distinctio fori etiam mixti & causarum connexarum, quas distinguunt canonistæ, & nos suo loco, quantum satis est ad principia theologiæ canonicæ, explicabimus. Hæc universim delibanda fuerunt, quatenus ad generalem rei canonicæ notionem faciunt, quam initio mox dedimus, & in progressu evolvemus, præcisis illis, quæ ad alias theologiæ partes pertinent, subsequentes præsertim, sacramentalem ac liturgicam.

CAPUT II.

De hierarchia ecclesiastica.

§. XIII.

Ordo hierarchicus a CHRISTO institutus.

Gubernacula tenet, ac ecclesiæ præsidet amplissima auctoritate illustrissimus hierarchicus ordo a CHRISTO & apostolis institutus, ecclesiæ compagem continens, suapteque sustentans.

Sess. XXIII. Can. VI.

In orat. I. S. Gregor. Nazianz.

Si quis dixerit, ita definit concilium Tridentinum, *in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, & ministris, anathema sit.* „ Ecclesiæ nostræ hierarchia (juxta ELIAM Cretensem) interjecta est in„ter cœlestem & Mosaicam seu legalem, & cum „ harum utraque participat. Cœlestis enim „ divinarum rerum speculationem ab omni

„ mate-

materia remotam habet, divinæque formæ, „ ad quam nulla res sensibilis pertingere po- „ test, similitudinem quandam habet. „ At vero hierarchia legalis ritibus quibusdam corporeis & observationibus sensibilibus addicta erat, infirmis & egenis, juxta apostolum, elementis deserviens. Partim vero spiritualibus rebus partim corporalibus detinetur ecclesiastica hierarchia, prout mente & corpore constamus, atque ecclesia spiritualibus donis & potestate, partim etiam exteriore forma insigni gaudet, per totum orbem diffusa, & omnia mundi in se continens regna. Memorabilis est S. CLEMENTIS ALEXAND. sententia de profectu & progressionibus hierarchiæ hujus terrestris in cœlestem: „ Nam (inquit) hic „ quoque in ecclesia progressiones episcopo- „ rum presbyterorum sunt, ut arbitror, imita- „ tiones gloriæ angelorum, & illius œconomiæ „ ac dispensationis, quam dicunt scripturæ il- „ los exspectare, qui insistentes vestigiis apo- „ stolorum vixerunt in perfectione justitiæ „ convenienter evangelio. Hos sublatos in nu- „ bibus, scribit apostolus, primum quidem „ diaconos futuros, deinde cooptandos esse „ in presbyteratum per profectum gloriæ. „ DIONYSIUS, qui de cœlesti & ecclesiastica hierarchia ex instituto scripsit, etsi pro Areopagita illo non habeatur, non incongrue tamen totam hanc rem est prosecutus, & conjunxit utramque hierarchiam triumphantis & militantis ecclesiæ; ab ovo rem exorsus, initiationis nimirum per sacrum baptismi lavacrum, quo ecclesiæ quidem adscribimur omnes, & renascimur membra reipublicæ ecclesiasticæ, sicuti nascimur in hunc mundum ad societatem humanam: ut quemadmodum

Lib. VI. Stromat.

status

ſtatus politicus ſubſiſtit & regitur legitima poteſtate; ita ſacer eccleſiæ ſtatus ſeipſo ſicuti conſtitit, eccleſiaque a CHRISTO eſt conſtituta, ſe ſuſtineat & gubernetur. Hoc S. PAULUS egregie ſimilitudine corporis humani expreſſit, variis membris conſtantis, quæ non eundem uſum habent, caput autem eſt ad regendum totum corpus; & inter alios mentem apoſtoli S. CHRYSOSTOMUS expoſuit, eccleſiæ præſules caput interpretatus, notans ſimul æmulationem, quam hæc differentia generet, & eccleſiam turbis, ac veluti incendio quodam totam invaſerit. Quod eo non valet, ut idcirco ſubordinatio iſtæc debita non prorſus ſit neceſſaria, atque legitimum ſuum eccleſiæ competat regimen, ſine quo ſubſiſtere neutiquam poteſt, atque idcirco a CHRISTO & apoſtolis inſtitutum ſubſiſtit. „ Apoſtoli noſtri (ſunt verba S. CLEMENTIS ROM.) cognoverunt per „ Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, „ quod futura eſſet contentio de nomine e„ piſcopatus: ob eam ergo cauſam conſti„ tuerunt ſupradictos & deinceps futuræ ſuc„ ceſſionis regulam tradiderunt, ut cum illi „ decederent, miniſterium eorum ac munus „ alii viri probati exciperent. „

Ita ergo in eccleſia DEI conſtituitur & ſubſiſtit ſacra poteſtas ac regale ſacerdotium, non, uti in veteri teſtamento certæ tribui, ac ſucceſſioni carnali aſſignatum, ſed commune quidem omnibus, certis autem ad id munus idoneis perſonis per ordinem hierarchicum commiſſum, ut CHRISTI & apoſtolorum locum in eccleſia teneant, ac ſemper tenuerint, quibus fideles integerrimam obedientiam & ſubjectionem præſtent, atque in ipſo miniſte-

rio

rio ſacro ſit debita ſubordinatio ad unum, conſervandæ unitatis cauſa, caput. *Quemadmodum*, inquit S. IGNATIUS, *novi ſanctos facere presbyteros, non reſpicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, ſed ut prudentes in DEO cedentes ipſi, non ipſi autem, ſed Patri JESU CHRISTI omnium epiſcopo.* Neoterici iſtic litigandi anſam arripuerunt ex verbis illis νεωτερικὴ τάξις, quaſi non perſonam ſed dignitatem ipſam epiſcopalem, quæ eſt principalis in hierarchia eccleſiaſtica, νεωτερικὴν τάξιν ſeu inſtitutum novum appellet. Sed apertiſſimam falſitatem redarguunt, non ſolum contextus ipſe ac integra illa epiſtola, verum etiam reliquæ ſancti martyris epiſtolæ omnes, cum reliquis fere primævæ eccleſiæ ſcriptis, ut jam ſtudioſe non ſemel tantum obſervavi: quod in hoc nervus conſiſtat diſciplinæ populi, formæ ac regiminis eccleſiaſtici pulcherrimo ordine ad unitatem capitis tum tota in eccleſia, cum ſingulis quibusque particularibus eccleſiis, quæ integrum quoddam conſtituunt corpus ſub capite epiſcopo atque huic coordinantur, ſi rite ſit ordinatum corpus non ſolum ex fidelibus ſubditis, ſed etiam illis, qui ſacris præſunt: *Nam memorabile veſtrum presbyterium*, idem ait S. IGNATIUS, & in Epheſiis collaudat, *dignum DEO, ita coaptatum eſt epiſcopo, ut chordæ cythara.* Hæc eſt illuſtriſſima eccleſiaſtica hierarchia variis ordinibus ad unitatem fidei & eccleſiæ contra hæreſes & ſchiſmata ordinata.

Ad Magneſ. n. 3.

n. 4.

Hoc unice ſibi propoſitum habuiſſe S. IGNATIUM in ſuis epiſtolis diſcere etiam potes ex Jo. PEARSONIO proteſtante anglo doctiſſimo; „ Confluebant (ait) ad eum in iti- „ nere

Vindic. Ignatiana c. 13.

„ nere ab ecclesiis Asiæ & episcopi, & presby„ teri & diaconi complures ordine & munere „ & nomine & dignitate distincti; de suarum „ ecclesiarum statu eum certiorem faciebant: „ ad illorum ecclesias epistolas exarabat, sub „ martyris auctoritate, & summi in Syria epi„ scopi, monita iis dabat. Quod ei maxime „ necessarium videbatur præcipue inculcabat, „ ut ab hæreticis & schismaticis caverent, ne „ illi latius adhuc serperent. Remedium huic „ malo maxime opportunum judicabat, ut „ clero suo omnes adhærerent, & christianam „ unitatem colerent: omnesque cleri ordines „ sui loci dignitatem obtinerent. Crebro igi„ tur ordines sacros distinguit, & enumerat, „ & singulorum nonnullos jam suo officio fun„ gentes nominat; hæc autem recte fieri non „ potuerunt, nisi & ordinum nomina distincte „ enuntiaret. Neque enim tres ordines bene „ distinguere, aut cuique sua officia & dignita„ tes recte assignare potuit, nisi cuique etiam „ proprium aliquod nomen affigeret; neque „ singulares homines tunc temporis certis or„ dinibus distinctos, & officia diversa in ea„ dem ecclesia exequentes, commendare po„ tuit, nisi sub certi gradus nomine atque „ charactere. „

In eo autem est PEARSONIUS, ut commonstret triplicem in primitiva ecclesia, quem primum ex canone concilii Tridentini dedimus, hierarchicum ordinem ac gradum episcoporum, presbyterorum, & diaconorum seu ministrorum, quem Protestantes sustulerunt, instaurant autem Angli episcopales contra Puritanos, & alios, qui aut omnino episcopalem prærogativam rejiciunt, aut saltem indifferenter habent. Plurimum autem disputatur de primæva institutio-

tutione apostolica, ac ecclesiæ primitivæ forma & regimine, quod plerique Protestantium enervant ex illis etiam, qui episcopatum non penitus exterminatum eunt, sed tamen ejus potestatem legitimam diminuunt, vel non aliunde quam ex confœderatione disciplinæ repetunt, veluti inter alios THOM. BRUNO, *Ad can.* qui edidit judicium de canonibus & constitu- II. tionibus apostolicis, quod insertum est volumini secundo apostolicorum patrum ed. Amstelod. *Part. II.* aliis suis gentilibus contradicentibus, inter *p.* 177. quos imprimis memorandus est EDUARDUS *an.* 1724. STILLINGFLEETUS, qui quæ prius scripserat contra hierarchiam revocavit, & in singulari dissertatione de potestate ecclesiæ circa excommunicationem probat, ecclesiam esse societatem, eamque distinctam a societate civili ac proinde habere jus infligendi pœnas, idque non ex solo membrorum consensu, sed ex legibus ab auctore societatis illius constitutis. Idem alii commonstrarunt, & idcirco tam successionem episcoporum apostolicam, quam etiam scripta temporum apostolicorum illustrarunt. Illud inter alios WHARTONUS in Anglia sacra egit, quemadmodum SAMMARTHANI in Gallia sacra, & UGHELLUS in Italia sacra; hoc multi præstiterunt non solum circa S. IGNATIUM, sed alios etiam scriptores apostolicos, BARNABAM, POLYCARPUM, CLEMENTEM ROMAN. quem eum in finem HEN. WOTTONUS edidit, illustravitque dissertationibus. Ubi queritur permultos divinam cleri originem & a laicis distinctionem impugnare, & clerum omnibus suis juribus & privilegiis exuere conari. Legitimam autem successionis apostolicæ constituit auctoritatem episco-

porum, penes quos clavis est regiminis ecclesiastici, & in unum revocatur pulcherrimo ordine Hinc in alios superiores hierarchas usque ad centrum unitatis eadem unitatis ratio recurrit. Quam in rem lectu digna est epistola S. LEONIS ad ANASTASIUM Thessalonicensem suum in Illyrico vicarium, circa finem. Et S. GREGORIUS M. quale debeat istud esse regimen pastorum exponit, ne in schema politicum seu etiam tyrannidem degeneret. Neve pro lubitu legibus solutum existimetur, quod sæpe summi pontifices sunt contestati, procul esse ut aliquid a sacra sede contrarium sacris canonibus & decretis patrum progrediatur: *Contra quos*, contestatur ZACHARIAS papa, *inauditum esse*, *quod aliquando judicaverit.* Alias autem amplissima est ista potestas, & soluta omnino a civili, cui se etiam reges & principes subjiciunt, unde GERBERTUS Remensis postea papa præcellentiam sacræ potestatis egregie extollit sermone quodam apud MABILLONIUM, in numeroso cleri conventu habito, lectuque dignissimo, de episcopis, qui sunt supremi hierarchæ ex successione apostolica, qua amplissima auctoritate ecclesiam regunt, & sacra moderantur proprio vigore & tribunali, quæ fuit olim *audientia episcopalis* dicta, ad quam si unquam locus etiam aliis quam sacro ordini est datus, non defectu plenæ potestatis, sed venia est facta, ut conspirante utraque potestate robur adderetur & protectio potestatis civilis adesset ecclesiæ.

Lib. III. epist. 53.

Epist. ad S.Bonifac.

§. XIV.

§. XIV.

Singulari divina providentia factum est, ut ecclesia, florente & undequaque sese diffundente Romano imperio adolescens, ejus veluti indueret formam, ac schema.

Ad formam quadantenus Romani imperii.

Ipsi apostoli in prima ecclesiæ constitutione hoc deprehenduntur secuti consilium divino instinctu, ut ubicunque civilis magistratus esset præcipuus, ac urbium eminentia, ibi etiam ecclesiasticum statuerent magistratum, ac senatum quemdam presbyterorum, cui præfectus apostolus, episcopus, seu angelus esset: „Cujus (sunt verba Jos. BINGHAMI „theologi Angli) jurisdictio non ad singula- „rem quamdam congregationem adstricta erat, „sed super omnem regionem, civitatis ali- „cujus jurisdictioni subjacentem, quæ προάστεια, „vel παροικία, vel uti nunc vocatur, „diœcesis ecclesiæ erat, explicata. Secundum „hoc exemplar, ut probabile est, PAULUS „TITO præcepit, ut constitueret in Creta „insula presbyteros κατὰ πόλιν oppidatim, „hoc est ecclesiasticum senatum & magistra- „tum, in quocunque loco antea civilis qui- „dam magistratus fuerat: qui, quemadmo- „dum ex subsecuta historia ecclesiastica disci- „mus, episcopus erat cum presbyteris suis, „qui junctim seniores & senatus ecclesiæ vo- „cabantur. Civitates imperii suos quoque ma- „gistratus in imperio circumjacente habebant; „sed hi magistratibus civitatis subditi ex illis „generatim electi erant, uti vir quidam do- „ctus ex FRONTINI libro de limitibus „agra-

T. III. orig. eccl. L. IX. c. 1. §. 1.

Fr. M... rice ...

cef. epifc. p. 390.

„ agrariis aliisque antiquariis Romanis obfer-
„ vavit. In eundem modum unaquæque ec-
„ clefia civitatis fpirituales miniftros in omni-
„ bus oppidis & vicis, ad civicam regionem
„ fpectantibus, habebat; & hi ipfi ab ecclefia
„ matrice, tum quod ad poteftatis fuæ exer-
„ citium, tum quod ad eorum inftitutionem
„ dependebant; quacum ecclefiæ oppidanæ
„ fubordinati & ad reddendam ei rationem ob-
„ ligati effent, non fecus ac magiftratus fub-
„ ordinati in civili regimine erant. „

Hæc poteft dici diœcefeon conftitutio prout hodieque nomen fuum fuftinent, antiquis autem temporibus ampliorem ambitum complectebantur, & latius quam ipfæ provinciæ patebant, in quas divifum erat Romanum imperium, incertum autem eft quo tempore: aliis ut laudatus obfervat BINGHAMUS, ad VESPASIANI tempora, aliis ad prima ecclefiæ exordia revocantibus, divifionem autem diœcefeon ad CONSTANTINI ætatem; hincque vult, ecclefiam in conftituenda metropolitica & patriarchali poteftate exemplum ab hac reipublicæ effigie defumfiffe. Quod divinæ providentiæ eft dandum efflorefcente femper magis magisque ecclefia, & dominatum fuum extendente. Lucem huic rei haud fpernendam afferunt, quæ idem BINGHAMUS *ex notitia imperii* affert, quæ ARCADII & HONORII temporibus confecta creditur, qua univerfum imperium in tredecim diœcefes fub quatuor præfectis prætorio, & centum circiter & viginti provincias in illis comprehenfas dividitur. Atque huic rei confirmandæ valet, quod de ecclefia Hierofolymitana & Conftantinopolitana conftat: quarum prior etfi antiquiffima effet & fanctiffima, nihilominus

minus ſuberat metropoli cæſareæ Paleſtinæ; hæc autem Byzantium dicta primum Heracleæ Thraciæ metropoli ſuberat, donec nomine pariter & ſplendore aucta Conſtantinopolis dicta, & ſedem imperatorum nacta, Romæ æmula fieret, & eccleſiaſticam ſuam jurisdictionem protenderet, prælata etiam Alexandriæ Ægypti, & Antiochiæ Syriæ in oriente; quæ jam apoſtolorum temporibus cum eminerent principis apoſtolorum PETRI ſedes habebantur, antequam principem urbem Romam propriam is ſibi dicaret, & morte etiam ſua vindicaret.

Ut hinc pateat non inſtituti alicujus humani, ſed apoſtolici eſſe hanc formam, eccleſiæ regimini peraccommodam, quæ ab uno capite ac centro unitatis digreſſa, in inferiores ſedes veluti unius arboris ramos, ac immenſi corporis membra ſe protenderet: *Concordia*, ut verbis S. CYPRIANI utar, *mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut, ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere, & gregem CHRISTI lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri.* *Epiſt. ad S Stephan.* Patuit id deinceps ſemper in quibusvis cauſis eccleſiaſticis, mutuo epiſcoporum conſilio & opera tranſigi ſolitis; ut licet ſui cuique epiſcopatui eſſent conſtituti fines, cauſæ tamen religionis communes eſſent omnibus: *Nam*, ut pergit S. CYPRIANUS *etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas, quas CHRISTUS ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus.* Hæc eſt communio poteſtatis eccleſiaſticæ, cum debita tamen ſubordinatione uſque ad centrum unitatis communi epiſcopali officio: *Communis eſt nobis omnibus, qui fungimur epiſcopatus officio (quamvis ipſe in eo celſiore faſtigio præemineas) ſpecula paſto-*

Contra epist. Pelagii præfat. ad Bonif.

ralis, ut S. AUGUSTINUS ad BONIFACIUM papam ſcribit. Atque ſic ſtatus eccleſiæ monarchico-ariſtocraticus dilucidatur & explicatur, quem catholici ſtatuunt plus aut minus alterutri deferentes parti; ut tamen centrum unitatis omnes conſtituant Romanam ſedem apoſtolicam, etiam Galli, qui alias pluſculum ariſtocratiæ tribuunt in eccleſia. Qui ſi ſibi conſtare velint, quatenus in Romano pontifice centrum unitatis conſtituitur, ut quemadmodum fideles, & inferiores antiſtites epiſcopo, ita hic archiepiſcopo, & ſic aſcendendo uſque ad ſummum Pontificem tota ſibi eccleſia arctiſſime cohæreat & unita ſit, nihil derogare valent prærogativæ Romanæ ſedis ac PETRI apoſtolorum principis.

Secus Græci ſchiſmatici ſciſcunt, qui regimen eccleſiæ ex humano inſtituto repetentes, atque ex urbium præcellentia tantum dimetientes, ſeſe ab unitate eccleſiæ ſciderunt; non attendentes, quo conformata eſt eccleſia ad rationem Romani imperii, ſingulari DEI providentia eſſe factum, auctoribus ipſis apoſtolis, qui aut potioribus urbibus dederunt epiſcopos, aut ipſi præfuerunt, ac epiſtolas ad tales urbes dederunt, uti conſtabit epiſtolas D. PAULI percurrenti; procul ab omni ambitu, & faſtu ſæculari, ſed pro eccleſiæ emolumento & ſplendore, quæ occupare debuerat, & dominari toti orbi. Quare conſtituta eccleſia deinceps non opus fuit conformare ſe formæ imperii, ut quando mutationem ſubiit, eam ſequendam non ſemper duxerint præſules, licet forte honoris quemdam ordinem indulgerent, prout canone Chalcedonenſi eſt conſtitutum: *Quæcunque autem civitates per litteras imperatorias metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruan-*

Can. 13.

fruantur, & qui ejus ecclesiam administrat episcopus, servato scilicet veræ metropoli suo jure. Exemplo esse potest vel ipsa Constantinopolitana sedes, quæ licet a duobus conciliis œcumenicis privilegium acceperit, diu tamen reluctata est Romana sedes. S. BASILIUS se strenue opposuit novæ metropoli Tyanensi, & S. INNOCENTIUS papa ea de re consultus ab ALEXANDRO Antiocheno antiquitatem servari, nec ad mobilitatem necessitatum mundanarum DEI ecclesiam commutari voluit. Novella JUSTINI imperatoris hujusmodi ea in re habetur: „ Quæ vero ad sacerdotia spectant, ea volumus in pristina manere forma, negotio ipso nec circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel novationem suscipiente: sed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item metropolitanis in suo permanentibus ordine: ut quantum ad ipsa nihil penitus innovetur. „

§. XV.

Urbs princeps Roma, principem apostolorum PETRUM pastorem nacta, primatum tenet non honoris tantum, sed etiam jurisdictionis, quam semper, licet non eadem disciplina, exercuit.

Urbe Roma primatum tenente.

Primatum honoris, qui summæ sedi Romanæ demerent, vix fuerunt, nec Græci quidem schismatici. Atque ex ipsis Protestantibus sunt, qui haud improbandum putant ordinem hierar-

chicum qui in ecclesia Romana obtinet. Qua de re adeundus est Chr. PFAFFIUS *in Origin. juris ecclesiastici*, ubi Phil. MELANCHTHONIS & aliorum eam in rem laudat sententiam. Nec fuit hic læva LEIBNIZII mens; nec ipse penitus abhorret PFAFFIUS. Sed nervum potestatis ecclesiasticæ succidunt hi eo ipso, quod legitimam non statuant hanc potestatem, ac veram illius dominicam institutionem. Qua in re incurrunt idipsum quod maxime hic solent ingerere, contentionem inter hierarchas ecclesiasticos eo redigentes, *quis eorum videretur esse major*, ordinem tantum & præeminentiam non sacram jurisdictionem admittentes.

Id quidem nemo facile inficias eat, non eodem semper modo eam esse exercitam, nec eundem semper fuisse exteriorem ecclesiæ tum aliarum cum Romanæ imprimis splendorem, quem ampliorem est nacta, postquam primum e statu suo presso est emersa, & deinceps etiam diviso & collabente imperio Romano aucta principatu urbis Romæ, Romanis pontificibus nullis amplius principibus obnoxiis. Quod non sine Numine divum est factum, ut inter tot orbis dominos & principes expeditius jura sacrorum exercerentur obtinerenturque. Quod dum non attenditur, confunditur sacer cum politico dominatu, divina cum humanis juribus, ac ob principum temporumque favorem, quo exteriorem splendorem consecuta est ecclesia imprimis Romana, in invidiam vocatur ipsa sacra potestas, & primatus Romanæ ecclesiæ non honoris tantum sed etiam jurisdictionis.

Dum penes unum aut paucos erat orbis dominatus, christiani principes multa circa sacra

cra ſategerunt, non pro ſuo arbitratu aut ſacra aliqua poteſtate, quæ ſemper penes ſacrorum præſules reſedit, ſed zelo & ſtudio juvandi eccleſiam; niſi quando potentia abuſi in ſacra involarent contra legitimam auctoritatem, ingenti ſemper eccleſiæ damno. Alias vero recte ſuſtentarunt eccleſiæ gubernacula in ſuis præſulibus imprimis Romanis pontificibus, quibus non ſolum quietam ſedem ſuam, ſed etiam vacuam reliquerunt Romanam urbem, & ſua poteſtate auctoritatem firmarunt, non contulerunt. Quam in rem ſingularis eſt VALENTINI III. lex; quam etiam ſolent in invidiam trahere, præſertim autem PHOCÆ imperatoris indulgentiam, quaſi is primum epiſcopi œcumenici titulum & prærogativam Romano pontifici conceſſerit, ineunte demum ſæculo octavo, deinceps magis magisque aucta potentia Romani pontificis orientali imperio ab occidentali abſciſſo, unde pontifici urbis Romæ principatus acceſſit, politicus, non ſacer utique, quem ſemper obtinuit; licet poſtea nemini obnoxius quoad temporalia expeditius, fortiusque eum exercuerit, quam antea, ubi adhuc juxta OPTATI Milevitani phraſin, non reſpublica fuit in eccleſia, ſed eccleſia in republica, id eſt in imperio Romano. Qua mutata facie non hierarchia & juriſdictio ſacra eſt immutata, quidquid circa rempublicam & principes acciderit circa temporalia, quæ hic non diſquirimus; ſed principia theologiæ canonicæ proſequimur; & jam in eo ſumus, ut jus ſacrorum Romanorum pontificum in eccleſiam notemus, quod ſemper exercuerunt, exemplo PETRI, cui ſucceſſerunt, quique a CHRISTO, ut ex evangelio conſtat, ſingularem paſcendarum ovium

Lib. III. cont. Parmenionem.

vium

vium curam accepit præ cæteris, pro quibus singularem amorem CHRISTO debuit contestari; atque hanc curam, ut ex actibus apostolorum constat, fideliter semper gessit; successoribus in Romana ecclesia idem pro commisso munere pastorali præstantibus in tota ecclesia.

Sic proximus post mortem PETRI successor S. CLEMENS suum esse duxit ortum Corinthi schisma compescere pastorali data epistola. ANICETUS, SOTER, ZEPHYRINUS, VICTOR, controversiam de paschate in se susceperunt transigendam, quemadmodum postea S. STEPHANUS, SIXTUS II. litem de rebaptizandis hæreticis; reluctante quidem etiam S. CYPRIANO, ut tamen alias prærogativam Romanæ sedis agnosceret, non ordinis tantum sed & jurisdictionis plenissimæ. Quod vel epistola ad ipsum S. STEPHANUM data prodit
Epist. 68. in causa MARCIANI Arelatensis: *Quapropter* scribit, *facere te oportet plenissimas litteras ad episcopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra MARCIANUM pervicacem & superbum & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur.* Percurrendæ mihi forent omnes majores ecclesiæ causæ, quæ privatis judiciis, ac pacifice transigi haud potuerunt *in partibus;* atque recurrendum fuit ad Romanam sedem, cujus prærogativa erat omnium ecclesiarum suscipere curam, testibus SO-
Socr. lib. II. c. 15. Sozom. lib. III. c. 8. CRATE, & SOZOMENO auctoribus Græcis, in causa itidem in oriente orta: ambabus partibus S. ATHANASIO & adversariis Eusebianis rem ad Romanum pontificem deferentibus: *Nam*, ut inquit SOZOME-

MENUS, *in litteris suis fatebantur, Romanorum quidem ecclesiam apud omnes magnificam esse, quippe quæ jam inde ab initio domicilium apostolorum & pietatis origo ac metropolis extiterit; licet fidei doctores ad eam ex partibus orientis advenissent.* Nemo ignorat concilii Sardicensis hanc in rem decretum & episcoporum Romæ in concilio congregatorum ad imperatorum petitio, imperatorisque rescriptum, *ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ, sive a proconsulibus vel vicariis, auctoritate adhibita ad episcopale judicium remittatur, vel ad urbem Romam sub prosecutione perveniat: aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio, ad metropolitani in eadem provincia episcopi deducatur examen; vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos quos Romanus pontifex judices dederit, sine dilatione contendat.* Accidit enim, ut ecclesiastici causæ suæ diffisi potentium sæculi perfugium quærerent, quod etiam INNOCENTIUS queritur in causa S. CHRYSOSTOMI apud PALLADIUM; quare illinc etiam tutela & prosecutio judiciorum ecclesiasticorum fuit quærenda, quando vis ac coercitio sacra nihil proficiebat, quam sacrorum præsules imprimis Romani pontifices stringebant cum contestatione divini judicii. Sic SIRICIUS gravissime legem inter alias cœlibatus constituit, ut, *si quis ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum, & gehennæ pœnas subiturum.* Memorabile est, quod apud eundem habetur: *Litteras dare placuit non quæ nova præcepta aliqua imperent,*

Gratian. ad Aquilin. T. I. ep. decret. p. 532.

Dial. de de vita S. Chrysost.

Ep. decret. T. I. p. 658.

rent, sed quibus ea, quæ per ignaviam desidiamque aliquorum neglecta sunt, observari cupiamus, quæ tamen apostolica & patrum Ib. p. 651. *constitutione sunt constituta.*

Hanc nimirum præcipuam semper curam habuerunt Romani pontifices, ut invigilarent undique canonum observantiæ. Quod si hoc solum libertatibus suis tutum volunt Galli, ut canonum ecclesiasticorum regula gubernentur, eam quam ipsi Romani pontifices semper sunt contestati, fovent mentem. Nuperrime in ipsa Romana curia Em. QUIRINUS hoc principium adhibuit circa abrogationem festorum, veritus, ne ex indultis novis nascatur detrimentum regulis avitis. Sed facile contingit, ut hic in applicatione aberretur, & si quæ novæ edantur saluberrimæ constitutiones contemnantur sub tali prætextu.

Ex altera vero parte usuvenit, si adiaphora etiam ad unam regulam revocandi contentio sit, ut nonnunquam pulcherrima disciplina & consuetudines particulares ecclesiarum abrogentur. Interim fatendum est, nihil esse concinnius in ecclesia, quam conformem ecclesiæ disciplinam, qualem ecclesia Romana in occidente quam maxime inducere semper allaboravit secundum ritum Romanum, quod in oriente obtinere haud potuit, quam etiam conata sit. S. LEO ecclesiam Alexandrinam obstringere voluit, data ad DIOSCORUM epistola, ad omnes ecclesiæ Romanæ ritus. Idemque nobis documentum præbet quam ecclesia Romana omnibus invigilaverit ecclesiis, ANATOLIUM Cpolitanum adigens ad deponendum archidiaconatu ANDREAM, qui olim contra FLAVIANUM steterat, & clero dejiciendum ATTICUM eandem ob causam; quod evi-

evicit, ægre licet ferente ANATOLIO, pontificem tantopere ſe rebus eccleſiæ ſuæ miſcere. Etiam alii ſanctiſſimi viri BASILIUS MELETIUS, patres Africani &c. nonnunquam ſunt exacerbati & conqueſti, atque Romani pontifices aliquid humani paſſi, decepti ſpecie facti, falſisque relationibus.

Quin & ipſi, mortalium ſorte non exemti, in judicium ſunt vocati, ne quid de MARCELLINO, MELCHIADE dicam, DAMASUS, SYMMACHUS &c. Sed reverentia eſt habita ſummæ ſedi, enituitque imprimis Gallorum zelus in cauſa SYMMACHI, ut hodieque ſcripta AVITI & ENNODII teſtimonio eſſe poſſunt ac documento, quanta hic ſit adhibenda pietas & religio, ne in judicium vocetur vicarius CHRISTI ac ſupremus in eccleſia judex.

§. XVI.

Fruſtra ſunt, qui contra Romanæ ſedis prærogativam canonem VI. concilii Nicæni urgent, ubi par Alexandrino epiſcopo in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim tribuitur poteſtas, quæ eſt Romano pontifici in eccleſias *ſuburbicarias*. Præ aliis ſedibus patriarchalibus.

Commentum hoc JAC. GOTHOFREDUS celebris juriſconſultus protulit in lucem, edita Francofurti an. 1618. de ſuburbicariis regionibus & eccleſiis, ſeu de præfecturæ & epiſcopi urbis Romæ diœceſi conjectura, quam mox ſub cenſuram revocavit JAC. SIRMONDUS; GOTHOFREDUS autem pro-

proximo post anno vindicias pro conjectura adversus censuram JAC. SIRMONDI protulit, eique succenturiatus est Cl. SALMASIUS discipulus celebris jurisconsulti DIONYS. GOTHOFREDI, qui fuit JACOBI pater; non tam studio erga GOTHOFREDOS, quam odio in Romanam ecclesiam Calvinianæ sectæ itidem ut illi addictus; solentque detractores Romanæ sedis canonem illum Nicænum passim objicere, quo decernitur, *ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quem RUFINUS in versione & epitome canonum Nicænorum ita exhibet: *Ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicarum ecclesiarum sollicitudinem gerat.* In canone ipso Nicæno mox additur: *Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis sua privilegia ecclesiis serventur. Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque metropolitani sententia factus sit episcopus, eum magna synodus definit, non oportere episcopum esse.* Ex quibus quidem, atque ex illis, quæ tunc actitata sunt circa MELETII Alexandrini schisma, sensus & finis hujus canonis conjici potest, qui de jure ordinandi & potestatem exercendi legitimam in suffraganeos episcopos agit, quod singulare erat in his tribus præcipuis & patriarchalibus sedibus, ut etiam sedes metropoliticas sub se haberent, ac integras provincias non diœceses tantum Alexandrinus e. g. per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: quod jus invaserat MELETIUS episcopus Lycopolitanus in sua, aut forté aliis

Hist. lib. I. c. 6.

etiam

etiam provinciis & regionibus, epiſcopos conſtituens, & alios clericos inſtituens, invito Alexandrino præſule. Quoad hoc ergo tantum comparatio inſtituitur Romanum inter & Alexandrinum epiſcopum, quoad eccleſias *ſuburbicarias*, quas vocat RUFINUS.

Ingens autem eſt catholicos etiam inter diſceptatio, quid illis intelligatur & comprehendatur, quæ RUFINO earum regionum gnaro cognitæ quidem eſſe potuerunt, ſæculis autem ſequentibus mutata imperii Romani diviſione definiri tam facile amplius haud potuerunt, atque inde lites hactenus fervent inter eruditos, ad cauſam autem præſentem trahi haud debent de primatu Romanæ eccleſiæ, quidquid illæ eccleſiæ ac regiones ſuburbicariæ ſint: cum ex illis, quæ paulo ante attulimus, atque ex tota antiquitate eccleſiaſtica innumeris documentis conſtet cauſarum quarumvis ſategiſſe Romanum pontificem, qui præter totius eccleſiæ præſidium dicitur ſimul eſſe patriarcha occidentis, primas Italiæ, archiepiſcopus & metropolitanus Romanæ provinciæ, atque epiſcopus urbis Romæ, uti poſt alios expendit SS. BENEDICTUS XIV. (de cujus morte dum hæc p. 29.
ſcribo, triſtis affertur nuncius) in inſigni opere *de ſynodo diœceſana*, ubi erudite hanc ipſam de ſuburbicariis regionibus tractat quæſtionem, laudatis variis doctoribus qui hoc verſarunt argumentum: dum alii diœceſanam, alii metropoliticam, alii patriarchalem intelligunt jurisdictionem, & prout hanc plus minusque extendunt, etiam amplificant ſuburbicarias regiones, de quibus in ſacris monumentis antiquis nihil habetur; in codice autem Theodoſiano non determinatur, quouſque patuerint, unde enata eſt tanta conjecturarum varietas,

ut fuerint ex Proteſtantibus præter eos, quos jam citavi non pauci, qui confinia tantum urbi proxima ad centum millia paſſuum ſeu centeſimum inde milliarium, quouſque ſe territorium ſeu jurisdictio præfecti urbis Romæ protendebatur, per regiones ſuburbicarias intelligant; alii tamen ex ipſis etiam Proteſtantibus jam indulgentiores, regiones iſtas ſuburbicarias easdem eſſe exiſtimant cum decem provinciis diœceſis Italicæ, quæ ſub vicario urbico fuerunt conſtitutæ, qui cum altero vicario Italiæ diœceſin Italicam diviſam tenuit: ita ut vicarius Romanus ſeptem provincias Italiæ Campaniam, Tuſciam ſimul cum Umbria, Piceni partem dictam ſuburbicariam, Apuliam ſimul cum Calabria, Brutios cum Lucania, Samnium, & tres inſulas, Siciliam, Sardiniam, & Corſicam ſub ſua habuerit jurisdictione. Quæ jam communior eſt etiam inter catholicos opinio, mentique concilii Nicæni eo propius accedere videtur, quod ad exemplum eccleſiæ Romanæ ſingularem aliquam jurisdictionem & poteſtatem adſcribat Alexandrinæ pariter ac Antiochenæ eccleſiæ, quæ tunc fuerunt præcipuæ eccleſiæ dictæ deinceps patriarchales, licet tota hæc amplitudo non exhauriatur canone iſto Nicæno: ut proprie tantum ſit ampliatio poteſtatis metropoliticæ, qualis eſt primatuum: juxta ac antea ex BENEDICTO XIV. hanc prærogativam Romani pontificis diſtinximus, quæ non eſt inutilis, quoad præſentem tractationem principiorum theologiæ canonicæ, quoad leges pontificum, ſynodos item & jurisdictionem eccleſiaſticam, prout diverſimode a Romano pontifice exercetur, ac decreta emanant, non omnium nationum moribus & conſuetudinibus congruentia.

§. XVII.

§. XVII.

Undequaque ad Romanam ſedem in rebus dubiis cauſisque majoribus relationes ſunt factæ, ac fieri debuerunt; reſcriptaque non conſilii tantum, ſed legis vim obtinuerunt ad dirimendam litem. Relationibus undique ad Romanam eccleſiam factis.

Varia diſtinguuntur majorum cauſarum genera, quæ aut negotia univerſalis eccleſiæ tum quoad fidem & mores, ritus & diſciplinam concernunt; aut poſt judicium epiſcopale, dum aliter tranſigi non poſſunt ad ſedem Romanam referenda ſunt: quæ proprie ſunt hujus loci ad formam exteriorem regimenque eccleſiæ ſpectantia. Ita ut etiam in rebus ad diſciplinam pertinentibus legis vim habeant, ſecus ac Jo. GERBASIO eſt viſum, qui id negotii a clero Gallicano in comitiis an. 1665. accepit, ut tractatum *de cauſis majoribus* conſcriberet; quem tamen poſtea INNOCENTIUS XI. peculiari bulla damnavit an. 1680. atque in eo etiam PETRUM de MARCA adverſarium habuit, quod reſponſa pontificum legis locum habere negaret, quaſi eorum non ſit leges condere, ſed ſaltem antiquos canones interpretari; PETRUS autem de MARCA expreſſe dicit, quod reſponſa illa non ita accipienda ſint, ac ſi ſimplicis tantum conſilii vicem ſubirent, ſed veluti deciſiones habendæ ſint ex canonibus aut ex traditione petitæ, ad quarum obſervationem epiſcopi erant adſtricti. In cujus rei comprobationem provocat ad SIRICII mandatum HIMERIO Tarraconenſi datum, ut reſpon- *De conc. ſacerd. & imp. lib. VII. c. 13.*

ſa ſua deferri curet in omnium coepiſcoporum notitiam.

Jam ſuperius diximus hanc eſſe præcipuam pontificum curam, ut obſervationi canonicæ invigilent, quam jugiter ſunt profeſſi: *Non quo*, inquit INNOCENTIUS, *nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen apoſtolica & patrum conſtitutione ſunt conſtituta.* Quod non eo ſumi debet, ac ſi pontifici nulla ſit poteſtas legislativa, ſed quod ea arbitraria non ſit contra avitas leges, ſtudio potius ingenti diſciplinæ ac ordinis eccleſiaſtici conſervandi. Pariter ac de cauſis judicialibus in eadem epiſtola dicit pontifex, ut poſt judicium epiſcopale ad ſedem apoſtolicam referantur, qua in re provocat ad veterem conſuetudinem & ſanctam ſynodum, Sardicenſem nimirum. Et JULIUS pontifex, ad quem canon ille directus eſt, jam ad hanc conſuetudinem provocavit: *An ignoratis*, inquit apud S. ATHANASIUM, *hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc quod juſtum eſt decernatur.* Quod indicat ejusmodi cauſam majorem, quæ præcipuam aliquam ſedem attinet, etiam ante judicium aliud ad Romanum tribunal fuiſſe referendam; qualis tunc erat cauſa de S. ATHANASIO epiſcopo Alexandr. *Sane*, pergit, *ſi qua hujusmodi ſuſpicio in illius urbis epiſcopum cadebat, ad hanc eccleſiam illud reſcribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, poſteaquam quod libuit, egere, nos quibus ea crimina explorata non ſunt, ſibi ſuffragatores eſſe volunt. Nequaquam talia ſunt PAULI ſtatuta, non hæc patres tradiderunt: ſed aliena eſt*

Epiſt. ad victric. Rotbomag.

Apol.cont. Arianos.

est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro aliter toleretis, quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a B. PETRO apostolo, ea vobis significo: non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent.

§. XVIII.

Et appellationibus.

Injuste oppressis commune perfugium semper fuit apostolica sedes, interposita appellatione legitime facta, non subreptitie, id, quod exosas reddidit appellationes.

Antiquis temporibus, quando stata erant conciliorum, singulis annis semel aut bis, tempora, hæc erant ordinaria tribunalia, quibus querelas suas exponeret, qui se injuste a suo episcopo vexatum depositum aut excommunicatum putavit. Concilium Nicænum auctoravit mox canone II. hoc concilii principalis tribunal. Quodsi vero hoc non suffecisse vel satisfecisse est visum, numerosiora plurium provinciarum, aut pro gravitate causæ etiam plenaria ac œcumenica christiani orbis cogebantur concilia. Ejusmodi censeri potest Sardicense concilium, quod lege sanxit ac indulsit, ut qui in justo judicio gravatum se existimaret, Romanam sedem, cui tunc JULIUS præerat, posset implorare ac appellare: „Quodsi „ aliquis (ita rem OSIUS patribus proponit) episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, „ & putat se bonam causam habere, ut iterum „ concilium renovetur; si vobis placet, sancti „ PETRI apostoli memoriam honoremus, „ Can. 3. P. II.

 „ ut

„ ut ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt,
„ JULIO Romano epiſcopo: & ſi judicave-
„ rit renovandum eſſe judicium, renovetur,
„ & det judices. Si autem probaverit talem
„ cauſam eſſe, ut non refricentur quæ acta
„ ſunt: quæ decreverit confirmata erunt. Si
„ hoc omnibus placet? Synodus reſpondit:
„ Placet. „ Et mox, GAUDENTIUS
Can. 4. epiſcopus dixit: „ Addendum ſi placet huic
„ ſententiæ quam plenam ſanctitate protuliſti,
„ ut cum aliquis epiſcopus depoſitus fuerit, eo-
„ rum epiſcoporum judicio, qui in vicinis
„ locis commorantur, & proclamaverit agen-
„ dum ſibi negotium in urbe Roma, alter epi-
„ ſcopus in ejus cathedra poſt appellationem
„ ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non
„ ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio epiſco-
„ pi Romani determinata. „ Ut vero res rite
ordinata eſſet, iterum OSIUS epiſcopus di-
xit: „ Placuit autem, ut ſi epiſcopus accuſa-
„ tus fuerit, & judicaverint congregati epiſco-
„ pi regionis ipſius, & de gradu ſuo dejece-
„ rint: ſi apellaverit qui dejectus eſt, & con-
„ fugerit ad epiſcopum Romanæ eccleſiæ, &
„ voluerit ſe audiri; ſi juſtum putaverit, ut
„ renovetur judicium vel diſcuſſionis examen,
„ ſcribere his epiſcopis dignetur, qui in finiti-
„ ma & propinqua provincia ſunt, ut ipſi dili-
„ genter omnia requirant & juxta fidem veri-
„ tatis definiant. Quodſi is qui rogat cauſam
„ ſuam audiri iterum, deprecatione ſua move-
„ rit epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo
„ presbyterum mittat; erit in poteſtate epi-
„ ſcopi quid velit & quid æſtimet. Et ſi de-
„ creverit mittendos eſſe qui præſentes cum
„ epiſcopis judicent, habentes ejus aucto-
„ ritatem a quo deſtinati ſunt; erit in ſuo ar-
„ bitrio.

bitrio. Si vero crediderit, episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit. „

Erat tunc summe necessaria ista provisio, quando in judiciis episcopalibus factione contentioneque Eusebianorum omnia erant perversa, & apud solam sedem Romanam asylum, quo omnes perfugerunt, & patrocinium, auxilium ac justum acceperunt judicium. SOCRATES, & SOZOMENUS, & S. ATHANASIUS hos recensent. Qui ipse S. ATHANASIUS hic in censum maxime venit, cum aliis imprimis S. PAULO Constantinopolitano, MARCELLO, ASCLEPA: qui præcipue fuerunt, quos calumniis suis impetivere Eusebiani; Romæ autem absolutionem, sedibus restituti, acceperunt, nihil prævalentibus Eusebianorum artibus, favente CONSTANTE, cum CONSTANTINUS in locum depositorum alios intrudi haud sivisset. Fuit autem restitutionis sententia in concilio Romæ solemniter facta, præsente ipso S. ATHANASIO. Nec potuerunt Eusebiani, post mortem JULII, successorem LIBERIUM, quam id etiam egerint, alio deducere.

Socr. lib. II. c. 13. *Soz. lib. III. c.* 7. *Apol.* 2.

An. 341.

Romani pontifices constanter inhæserunt canoni Sardicensi in codice canonum id concilium jungentes Nicæno. Quæ res postea in Africa simultatem excitavit sub ZOSIMO occasione notissimæ appellationis APIARII abusi isto privilegio cum aliis non paucis, jam sub S. CYPRIANO, cum FELICISSIMUS Romam appellasset a sententia Africanorum episcoporum; quam ob rem S. CYPRIANUS ad S. CORNELIUM scri-

Epist. 59.

ſcribens graviter eſt conqueſtus, *quod navigare auſi ſint, & ad PETRI cathedram atque ad eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis & profanis litteras ferre.* Omnino autem improbat iſtas appellationes easdem ob rationes, quibus poſtea uſi ſunt patres Africani epiſtola ad COELESTINUM P. fervente adhuc APIARII cauſa, & lite, ob canonem Sardicenſem nomine concilii Nicæni allegatum, poſtquam in concilio præſente legato pontificio FAUSTINO, frequentes decreverunt, ex oriente autographos & genuinos canones Nicænos repetere.

Pluribus in conciliis Africanis vetita eſt transmarina appellatio. Et deinceps etiam aliæ controverſiæ fuerunt hac de cauſa coortæ, acciditque non ſolum in cauſa APIARII, ſed aliis etiam deinceps, ut ſubreptiones ejusmodi appellationum palam fierent, præſertim in cauſa ANTONII, qui ex concilio etiam primatis Romam appellaverat, & reſtitutionem impetraverat. Qua de cauſa S. AUGUSTINUS graviter ad COELESTINUM P. ſcripſit. Haud abſimiles in Galliis eveniebant caſus, ac imprimis S. HILARIUS Arelatenſis in invidiam eſt adductus ob appellationem CELIDONII in judicio epiſcoporum Gallorum damnati, fruſtra conante S. HILARIO S. LEONEM P. ac concilium Romanum in ſuas trahere partes. Conſilium dedit AUXILIARIUS præfectus Galliarum (qui etiam S. LEONEM Romæ eam ob cauſam convenerat, nec a ſententia ac animoſitate contra S. HILARIUM revocare poterat) & modum expoſuit, quomodo cum Romanis agendum ſit ſummiſſe. Nec tamen, an

Epiſt. 209.

an secutus sit S. HILARIUS istud consilium, constat. Sed nec ausus est S. HONORATUS, qui vitam S. HILARII scripsit, de hac re suum interponere judicium.

Deinceps non defuerunt simultates variæ in Galliis præsertim ob ejusmodi appellationes, præsertim postquam in medium productis epistolis decretalibus magis invaluerunt, ac imprimis se HINCMARUS Remensis opposuit, cujus hodieque extat de judiciis appellationum epistola ad JOANNEM VIII. alia item ad NICOLAUM I. ob appellationem ROTHADI, qui a judicibus ab ipso pontifice delegatis appellaverat, quod non raro contigit; pariter ac appellatio ab ipso Pontifice ad successorem, quomodo CONTUMELIOSUS ab AGAPITO ad JOANNEM successorem appellavit, soletque etiam appellari a Pontifice male informato ad melius informandum, & quæ aliæ sunt fori formulæ; suntque innumeri casus & artes ad protrahendas causas, & eludenda judicia humana, ac judices etiam ecclesiasticos circumveniendos, ab errore ac subreptione neutiquam exemtos, quam numerosi etiam quandoque fuerint in conciliis; ut id dici debeat de Romana sede apud eam innocentes quosque perfugium reperiisse; licet etiam non raro subreptio intercurrerit in hujusmodi quæstionibus facti, ac litibus strepituque judiciorum. Qua de re legi meretur S. BERNARDUS *lib. III. de considerat. c. 2.*

§. XIX.

Variis in locis ac regionibus Pontifices vicarios constituerunt, ac legatos suos undique terrarum mittunt,

Vicariis & Legatis pontificiis ubique institutis.

tunt, rerum ecclesiasticarum, quibus invigilare debent, causa.

Celebris & antiquissimus est vicariatus Thessalonicensis in Illyrico, quam in rem magna habetur epistolarum summorum Pontificum copia, testaturque DAMASUS vel se solum magnnm earum numerum dedisse ad S. ASCHOLIUM, quamvis earum paucæ hodie extent. Tam S. ASCHOLIUS quam ejus successor S. ANISIUS munus suum, quod acceperunt, sanctissime obierunt; quod ab eorum successoribus identidem est renovatum, atque ex epistola S. INNOCENTII ad RUFUM patet, Illyrici etiam orientalis, commissam esse curam: ut causas, quæ alias Romam deferri debuissent, potestatem haberent, si fieri posset, in partibus transigendi; nominat provincias Achajam, Thessaliam, Epirum, Cretam, Daciam, Mœsiam, Dardaniam, Prevallem ei subditas, optionemque dat eligendi sibi episcopos, quibuscum causas suæ & aliarum provinciarum sibi commissarum queat discutere. S. COELESTINUS P. epistola ad PERIGENIUM, BASILIUM, PAULUM, & alios Illyrici episcopos ad obedientiam apostolicæ sedi & episcopo Thessalonicensi præstandam hortatur, ob loci distantiam causas ei dijudicandas committens. Inter alia cavet, ne sine ejus consilio ullus ordinetur, ullus usurpet eodem inscio commissam illi provinciam; colligere nisi cum ejus voluntate episcopos non præsumant. Congruit hoc canoni VI. Nic. ubi statuitur, ut in Alexandria similiter & in Antiochia & in aliis provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates & auctoritas ecclesiæ servetur. Id vero singulare est, quod vice

Roma-

Romani pontificis id muneris commiſſum ſit epiſcopo Theſſalonicenſi. SIXTI III. in hoc genere eſt epiſtola ad PERIGENIUM epiſcopum Corinthi, qui hanc obedientiam præſtare tergiverſabatur, uti etiam ex S. LEONE diſcimus. Declarat SIXTUS epiſtola alia, non ita diminutum iri jus metropolitani provinciarum ſingularum, *ſalvo ejus privilegio, quem honorare debeant, amplius honorati*, inquit, *in provincia ſua jus habeant ordinandi, ſed hoc inſcio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem majores cauſæ deferantur antiſtitem. Ipſe optimos ſolertiſſimosque de veſtro numero eligat, quos negotiis ſecum adſciſcat arbitros.* Res ea non raro lites excitabat, fuitque varium vicariatus illius fatum, atque etiam diminutum prærogativa ſedis Conſtantinopolitanæ.

Epiſt. 1.
Epiſt. 13.
Epiſt. 8.

Colligimus vero ex GELASIO apoſtolicam ſedem etiam Conſtantinopolitano epiſcopo hanc injunxiſſe curam, ut orientalis eccleſiæ rebus invigilet, & pontificem certiores reddere eos conſueviſſe, atque unacum illis rerum ſategiſſe. Nihil dicam de Alexandrina eccleſia Romanæ cæteris olim arctius obſtrictæ. Quod patuit occaſione hæreſum præſertim Arianæ, Neſtorianæ, circa quam S. CYRILLO vices ſuas commiſit COELESTINUS, & inſigni Phrygio donaſſe fertur, quo uti deinceps ſibi patriarchæ Alexandrini honori duxerint.

T. IV. conc. p. 1209.

In occidente vicariatus hic apoſtolicus varias habuit vices, nonnunquam ſingularibus perſonis, nonnunquam ſingularibus ſedibus commiſſus. Diſcimus ex epiſtola SIMPLICII papæ ſingularem exiſtimationis famam, quam ſibi in eccleſia comparaverat ZENON Hiſpa-

T. IV. conc. p. 1068.

Hispalensis episcopus, in causa fuisse, vicarium apostolicæ sedis constituendi: commisisseque id singulariter, ut impediat, ne decreta apostolica & regulæ sanctorum patrum violarentur, quod semper fuit studium apostolicæ sedis, quod sæpius in suis epistolis contetestantur. Hodieque vel inter ipsos Gallos lis est de vicariatu Arelatensi, qui videtur personalis tantum fuisse. A ZOSIMO P. PATROCLO, atque a HILARIO P. LEONTIO Arelatensi, id commissum est muneris, ut quotannis concilium nationale convocarent, atque litteras formatas dijudicarent, quas etiam ZOSIMUS P. a PATROCLO sumi voluit. Singularis est S. CÆSARII Arelatensis vicariatus a SYMMACHO commissus non solum in Galliis, sed etiam Hispania, ut invigilet negotiis religionis, concilia, quando opus esset, cogeret, nullus clericus se inscio Romam pergeret. PELAGIUS SAPAUDO eundem vicariatum conferendo provocat ad exemplum prædecessorum. HORMISDAS S. REMIGIUM Remensem vicarium constituit in toto CLODOVEI regno, ut observationi canonum invigilet, concilia convocet, controversias inter episcopos dirimat, sibique renunciet, quæ pro fide & veritate sua & apostolica auctoritate egerit. S. GREGORII extat epistola, qua MAXIMINUM Syracusanum suum in Sicilia constituit vicarium, quæ est suburbicaria regio. Amplior fuit potestas S. BONIFACIO (dum in Germaniam pergeret) commissa apostolica: qualis dici potest aliis omnibus data, qui in varias regiones fidem prædicandi atque ecclesias constituendi Roma sunt digressi.

T. II. conc. p. 1567.

T. IV. conc. p. 1310.

Ep. II. ad Sapaudum.

T. IV. conc. p. 1412.

Lib. II. ep. 7.

Idem

Aliud dicendum de nunciis apoſtolicis ac legatis ad omnis generis negotia eccleſiaſtica tractanda, ac dijudicandas cauſas miſſis. Conteſtatur vero S. LEO, nullum eos præjudicium ordinariæ epiſcoporum jurisdictioni facere. A quo tempore ſtabilium ejusmodi nunciorum apud principes & regna epocha repetenda eſt. Qui JULIANO Coenenſi ſuas vices Cpoli commiſit: ubi eum voluit commorari, ac curare quidquid fidem & diſciplinam attinet, quam in rem plures dedit ad eum epiſtolas. Solet jam triplex legatorum diſtingui genus: legati a latere, quo nomine intelliguntur cardinales a ſummo pontifice, cujus lateri quaſi adhærent, in præcipuis negotiis a pontificis latere, cui arduorum negotiorum cauſa alias aſſiſtunt, mitti ſoliti ad imperatores, reges & principes. Legati nati vicariis antiquis æquiparari poſſunt in arduis negotiis pontificis nomine & auctoritate ſuapte inſtructi: quo diſtinguuntur a *legatis miſſis* ordinariis & extraordinariis, qui apud principes & regna undique jam ſolent ſubſiſtere, in eccleſiaſticis negotiis uſi inſigni auctoritate: ut præſidibus & proconſulibus comparentur, quibus olim imperatores provincias regendas committebant, quo tanto facilius univerſum populum Romanum in obedientia retinerent.

Epiſt. 86.

§. XX.

Cardinalium olim non ignotum fuit nomen ac munus tum alibi cum Romæ; hodie ampliſſima eſt dignitas ac officium pontifici operam in negotiis cauſisque eccleſiaſticis navandi.

De Cardinalibus.

Auctor

Auctor insignis tractatus de studio conciliorum, bibliothecarius regius, non dubitat, institutionem cardinalium Romæ tam antiquam facere, quam ipsos diaconos & presbyteros: quorum illi curam pauperum ac morum christianorum habebant, hi in diversis urbis regionibus, ut vocabantur, incumbebant instructioni fidelium, administrationi sacramentorum, celebrationi sacrificii Missæ, aliisque functionibus pastoralibus: quibus personæ religiosæ certos fundos ad sustentationem diaconorum & presbyterorum constituerunt, qui sunt *tituli* appellati, retento fundatorum nomine veluti EQUITII, PAMACHII, pontificum JULII, CALISTI, DAMASI, matronarum VESTINÆ, LUCINÆ, EUDOXIÆ. Assignati ejusmodi *tituli* ac fixi, *Cardinales* sunt dicti, & qui eos possidebant presbyteri, & diaconi cardinales. Ita in conciliis sub SYMMACHO & GREGORIO M. habentur subscriptiones presbyterorum SS. JOANNIS & PAULI tit. PAMACHII: & ita alii presbyteri & diaconi diversarum regionum: ubi etiam duo aut tres occurrunt presbyteri in quibusdam titulis amplioribus. Deinceps autem omisso fundatorum nomine, atque solo retento ecclesiarum, subscripserunt in conciliis subsequentibus sub PAULO I. an. 761. & EUGENIO II. nomine presbyterorum S. R. E. tit. SS. JOANNIS & PAULI, duodecim apostolorum, S. CLEMENTIS. Diaconi necdum tituli mentionem fecerunt, sed regionis urbis suæ curæ commissæ, ut solertissimus auctor animadvertit, dicitque haud constare, an ante annum 963. designarint se presbyteros & diaconos cardinales: quomodo subscripserunt

P. I. c. 2.

Tom. VI. conc. p. 1694. T. VIII. p. 122.

T. IX. conc. p. 648.

pſerunt in conciliabulo contra JOANNEM II. Inſtitutionem epiſcoporum cardinalium minus antiquam facit, vixque putat aliquid determinati haberi ante annum 769. ſub pontificatu STEPHANI III. inter ſubſcriptiones plurium epiſcoporum an. 998. ſub GREGORIO V. notat BENEDICTUM epiſcopum Lavicenſem ſubſcripſiſſe tam pro ſe, quam aliis omnibus epiſcopis cardinalibus. Primum in aliis regionibus dignitate cardinalitia ornatum ſtatuit CONRADUM archiepiſcopum Moguntinum, qui an. 1163. ob perſecutionem FRIDERICI I. ad ALEXANDRUM III. P. refugit, tunc Turonis degentem, a quo epiſcopus Sabinenſis eſt renunciatus.

Idem notat an. 845. in concilio Metenſi cap. 54. epiſcopos monitos eſſe, ut titulis cardinalibus hoc eſt parochiis aptos præficiant. Quod frequenter in S. GREGORII M. epiſtolis occurrit, tam quoad diaconos & presbyteros, quam etiam epiſcopos Cardinales, quibus proprios, fixos & ordinarios deſignat, atque Cardinali alicubi opponit peregrinum. GELASIUS vero P. Cardinali epiſcopo opponit viſitatorem epiſcopum, qualis COELESTINUS, ad quem ſcribit, fuerat creatus; fuitque olim frequenter factum, ut, donec novus epiſcopus crearetur, alius *viſitatoris* nomine eccleſiam præter ſuam propriam cui Cardinalis præerat, gubernaret. Accidit autem, ſicut in aliis titulis Papæ e. g. Sanctiſſimi &c. ut ſucceſſu temporum apud alias eccleſias in deſuetudinem nomen Cardinalis deveniret, in eccleſia Romana autem retineretur, ac in culmen dignitatis maximæ eveheretur, qua hodie reſplendent Cardinales purpurati pontificibus, quos ſuo e gremio eligunt, in negotiis maximis eccleſiæ operam dantes in toto orbe catholi-

Tom. X. conc. p. 1493.

Lib. IV. ep. 18.

Frag. ep. ad Cœleſtinum.

tholico, ac Romæ potissimum varias in congregationes divisi e. g. S. officii, interpretum concilii Trid. sacrorum rituum, & super negotiis episcoporum & regularium.

§. XXI

Patriarcharum auctoritas.

Præcipua in ecclesia post Romanam sedem inde ab antiquissimis temporibus fuit potestas patriarchalium sedium Alexandrinæ & Antiochenæ, quibus accessit Hierosolymitana, & Constantinopolitana immensum sibi vindicavit jus, Romæ æmula.

Patriarcharum nomen non est ecclesiæ coævum, ac quando etiam jurisdictio apertius se ostentavit, nomen archiepiscoporum præcipuarum sedium antistites haud raro acceperunt, ipsi etiam Romani pontifices, uti sæpius præsertim in concilio Chalcedonensi nominantur. Egregie hallucinatus est SALMASIUS: qui cum apud VOPISCUM legisset in epistola quadam HADRIANI imperatoris memorari patriarcham Ægypti, hoc nomen tunc jam gessisse conjecit episcopum Alexandrinum: cum illic potius intelligendus veniat Judæorum patriarcha, quod tunc fuit insigne munus & dignitas. Montanistis S. HIERONYMUS exprobrat, quod episcopis tertium demum dent locum post patriarchas & cenones, quos vocabant. In concilio Chalcedonensi promiscue patriarchæ & archiepiscopi nomen occurrit, atque etiam Romano pontifici tribuitur. SOCRATES de concilii Cpolitani patribus memorat, quod patriarchas consti-

Vit. Saturnini.

Epist. ad Marcell.

Lib. V. c. 8.

constituerint. Putat autem VALESIUS ad eum locum non de veris & ordinariis, sed de extraordinariis legatis intelligi debere: qui ad stabiliendam rectam fidem per singulas dioeceses fuerant constituti, quales in actis illius concilii leguntur veluti unitatis ecclesiasticæ centrum constituti singularis meriti episcopi, non sedium prærogativa perenni, qualis est patriarchalis, fuitque initio sedibus præcipuis apostolicis singularis, qui ad D. PETRUM suam originem referebant: unde multi sunt, qui jurisdictionis ac primatus D. PETRI hanc quamdam partem esse existimant, atque inde derivant, BARONIUS, PETRUS de MARCA, VALESIUS, RICHERIUS, PAGIUS, SCHEELSTRATIUS, THOMASSINUS. Qua de re alibi mentem meam exposui, de communione potestatis ecclesiasticæ ex instituto tractans, cujus nempe hujusmodi dignitates sunt insignis pars in hierarchia ecclesiastica, qua per varios dignitatum ordines & gradus ecclesia coadunatur & rite gubernatur. Pertinet huc canon Nicænus VI. de quo jam memini. Ex quo colligere licet, jus illud antiquum quidem fuisse, sed cum nomine ampliatum deinceps: *Antiqui mores serventur*, ita enim habet canon ille, *qui sunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem & episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis sua privilegia ac suæ dignitates serventur.* In concilio Constantinopolitano I. ita statuitur: *Episcopi ad ecclesias, quæ sunt ultra diœcesin suosque limites, ne accedant: sed secundum canones Alexandriæ quidem episcopus Ægyptum solam regat. Orientis*

Conc. Nic. can. 6.

Can. 2.

F *tis*

tis autem episcopi orientem solum administrent, servatis privilegiis & praeeminentiis, quae sunt in Nicaeni concilii canonibus Antiochenae ecclesiae. Et Asianae dioecesis episcopi, quae sunt in sola Asiana, administrent: & Thraciae episcopi Thraciam tantum regant, & Ponticae Ponticam. Hic partim metropolitica, partim patriarchalis prærogativa ſtatuitur; ſed non eadem amplitudine, qua deinceps aucta eſt. In eodem concilio initia quidem dignitatis Cpolitanæ jacta ſunt, eaque Romæ primo loco eſt adjuncta, ſed forte unicam Thraciæ diœceſin aut titulum honoris tantum accepit, quæ poſtea in concilio Chalcedonenſi aucta eſt, ſancitumque *Can.* 28. oportere ſanctiſſimum archiepiſcopum regiæ Cpolis novæ Romæ eisdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinare metropolitas in Aſiana & Pontica & Thracia diœceſibus.

In hoc ergo præcipue auctoritas poteſtasque patriarchalis conſtituitur, ut ſicut archiepiſcopi & metropolitæ ſub ſe epiſcopos habeant; ita Patriarchæ metropolitas, quorum ordinatio & in concilia convocatio ad ipſos pertinuerit, item appellatio a metropolitanis & ſynodis provincialibus, cum poteſtate in metropolitanos etiam & eorum ſuffraganeos, ſi metropolitani officio defuerint, exercere cenſuram eccleſiaſticam; debuerintque res magni momenti ad eos referri. Secundum hoc quædam ſedes patriarchales dici potuerunt præter eminentiores illas Alexandrinam, Antiochenam, juxta laudatum canonem Cpolitanum, e. g. Cæſareenſis in Ponto, Epheſina in Aſia &c. Qualis etiam ſedes Hieroſolymitana dici poteſt: quæ alias mater eccleſiarum, cum diu ſub nomine ELIÆ Cæſareenſi metropolitano paruiſſet,

in

in concilio Nicæno ad hoc etiam conſtricta, paulatim caput erexit. Certe enim JUVENALI in Epheſino & Chalcedonenſi concilio inter primos locus eſt conceſſus; atque hic ipſe JUVENALIS occaſionem nactus opportunam, ſedem ſuam extulit, ut in patriarchalem aſſurgeret, cum jam ante inter S. CYRILLUM Hieros. & ACACIUM Cæſareenſem graves fuerint controverſiæ.

Cui auſui primum Romani pontifices obſtiterunt, ſed non ita fortiter, ut patriarchatui Conſtantinopolitano, cui ſe imprimis S. LEO conſtanter oppoſuit: & deinceps ejus ſucceſſores. Veluti conſtat etiam ex GELASII P. tractatu *de anathemate*. Sed hoc non obſtante magis magisque ſemper ambitio patriarcharum Cpolitanorum, imperatorum patrocinio fretorum, excrevit, ut reliquos etiam patriarchas ſubigeret, & in totum orientem dominatum uſurparet, nomen etiam œcumenici ſimul aſſumeret. Qua de re primum PELAGIUS papa graves dedit litteras ad JOANNEM Cpolitanum, & acta concilii, ubi ſæpius hoc nomen comparet, caſſavit. Sanctus vero GREGORIUS M. adhuc vehementius auſum iſtum & ambitionem carpit. NICOLAUS I. in reſponſis ad Conſulta Bulgarorum demum veros dicit patriarchas, præſules ſedium ab apoſtolis ſatarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanum autem patriarchatum favori principum tribuit. Pariter WALAFRID. STRABO primarias patriarchales ſedes ab apoſtolis repetit, quibus cæteri patriarchæ ſubſint. Hinc Aquilejenſes etiam patriarchæ volunt repetenda ſua jura. Primates autem regnorum integrorum, licet pluribus præſint provinciis, non ideo

De orig. & prog. rerum eccleſ. c. 31.

tamen patriarchæ dicuntur, ſed proximum ab illis locum tenent in hierarchia eccleſiaſtica.

§. XXII.

Archiepiſcoporum.

Eximia ſemper fuit in eccleſia metropolitica poteſtas ac tribunal uſque ad hodiernum diem in negotiis & cauſis eccleſiaſticis dijudicandis extra aut intra ſynodum.

Jam diximus eccleſiam in Romano imperio effloreſcentem, ad illius formam ut plurimum fuiſſe conſtitutam. Apoſtoli ſingillatim Romani imperii provincias peragraſſe, paſſim in actis apoſtolorum memorantur. Ubi quas fundarunt eccleſias, a provincia, aut illius primaria urbe eis nomen indiderunt. Solet etiam apoſtolus in ſuis epiſtolis eccleſias a ſuis provinciis, in quibus erant, nominare. Et D. PETRUS primam ſuam epiſtolam inſcribit chriſtianis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bythiniam, quæ totidem erant Romanæ provinciæ. Et D. PAULUS epiſtolas vel ad totam in aliqua provincia eccleſiam, ut ad Romanos & Galatas; vel ad metropoliticam ac primariam provinciæ eccleſiam, ut ad Corinthios, Epheſios, Coloſſenſes & Theſſalonicenſes, vel denique ad primum in provincia epiſcopum, metropoli præfectum dirigit, uti ad TIMOTHEUM & TITUM. Aperte innuit TITO apoſtolus, cujus rei cauſa ipſum in Creta ſtabilierit ac reliquerit: *Ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.* De TIMOTHEO id S. CHRYSOSTOMUS pro certo habet: *Mani-*

Tit. I. 5.

Hom. XV. in 1. Tim.

Manifestum est hinc, ait, *quod TIMOTHEO credita fuerit ecclesia, imo gens fere tota Asiatica.* Et EUSEBIUS: *Ex his TIMOTHEUS quidem Ephesinæ ecclesiæ episcopatum primus accepisse dicitur, quemadmodum etiam TITUS insulæ Cretæ ecclesiarum episcopus fuisse memoratur.* Idem de successoribus TIMOTHEI & TITI refert EUSEBIUS aliis locis, de POLYCRATE, quod episcopis Asiæ præesset, de PHILIPPO ecclesiæ Gortynensium & reliquarum simul ecclesiarum Cretæ. Item de S. IRENÆO, quod paræciis Galliæ præfuerit. Sic de epistolis & synodis Palæstinæ & Ponti agens, THEOPHILUM Cæsareensem, & NARCISSUM Hierosolymitanum, ac PALMAM præsidem utpote antiquissimum nominat. Quod singulariter est notandum, atque etiam in Africa usitatum fuit, ut præter ecclesiam Carthaginensem in reliquis provinciis senior jus metropoliticum exercuerit, unde etiam illic senes sunt dicti. Videtur id in Ponto adhuc tempore S. BASILII obtinuisse, ut colligitur ex illius *epist.* 28. *ad eccl. Neocæsar. can.* 58. Quomodocunque ergo, semper aliquis primatus & procathedria inter episcopos fuit, seu ut vocat concilium Illiberitanum, prima cathedra episcopatus, qualesque vocantur in can. 34. apost. πρῶτοι, κεφαλαί. „ Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet, eum qui in eis „ primus est, & existimare eum ut caput, & „ nihil facere quod magni sit momenti præter „ illius sententiam, sed ea sola facere unumquemque quæ ad suam parochiam pertinent, „ & ad pagos qui ei subsunt. Sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. „ Qui sane canon luculentus est, atque a concilio

Lib. III. c. 4.

Lib. V. c. 24.

Lib. IV. c. 23.

Lib. V. c. 23.

Antiocheno eſt renovatus, & ita explicatus:
An. 341. „ Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque provincia,
can. 9. „ ſcire oportet, epiſcopum qui præeſt metro-
„ poli, etiam curam ſuſcipere totius provinciæ,
„ eo quod in metropolim undequaque concur-
„ runt omnes qui habent negotia. Unde viſum
„ eſt eum quoque honore præcedere: reliquos
„ autem epiſcopos nihil magni momenti ag-
„ gredi ſine ipſo, ut vult, qui ab initio obti-
„ nuit patrum canon: vel ſola quæ ad unius-
„ cujusque parochiam conferunt, & regiones
„ quæ ei ſubſunt. Unumquemque enim epi-
„ ſcopum habere ſuæ parochiæ poteſtatem, &
„ adminiſtrare pro unicuique conveniente reli-
„ gione, & totius regionis curam gerere, quæ
„ ſuæ urbi ſubeſt, ut etiam ordinent presby-
„ teros & diaconos, & unaquæque cum judi-
„ cio tractent, nihil ultra facere aggrediantur
„ ſine metropolis epiſcopo: neque ipſe ſine
Can. 14. „ reliquorum ſententia. „ Poſtea ſtatuitur:
„ Ut, ſi anceps fuerit inter epiſcopos provin-
„ ciales judicium, metropolitanus epiſcopus
„ a vicina provincia alios convocet, ut per
„ eos ſimul & per comprovinciales epiſcopos,
Can. 16. „ quod juſtum viſum fuerit approbetur. „ Et:
„ Si quis epiſcopus vacans in eccleſiam vacan-
„ tem proſiliat, ſedemque pervadat, absque in-
„ tegro perfectoque concilio, hic abjiciatur ne-
„ ceſſe eſt, etſi cunctus populus quem diripuit
„ eum habere delegerit: perfectum vero con-
„ cilium illud eſt ubi interfuerit metropolitanus
„ antiſtes. „ Ex quibus aliisque canonibus
jura metropolitica haud obſcure colligi poſſunt,
electio nimirum & ordinatio ſuorum ſuffraga-
neorum, quod conſtanti uſu ac pluribus cano-
nibus eſt aſſertum: controverſias decidere in-
ter provinciales ſuos epiſcopos ſubortas, & alios
etiam

etiam clericos, interposita appellatione: item invigilare rebus ecclesiasticis suæ provinciæ, causisque ac negotiis majoris momenti. Quæ tamen in conciliis agitari solebant, quorum convocandorum potestas erat penes metropolitanum. Litterarum etiam formatarum cura ad eum potissimum pertinet juxta canonem Illiberitanum: *Placuit ubique & maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, & suo testimonio comprobent.* Et conc. Carthag. III. *Ut episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo cujusque provinciæ, ut ab eo præcipue possint sumere formatam.*

Can. 58.

Can. 28.

Contigit non raro augeri, diminui, aut dividi provincias, unde sæpe lites & simultates sunt coortæ, quando non consentientibus partibus in conciliis hæc sunt facta. Pacifice in concilio Hipponensi Stephensis provincia a Numidia est divisa. Non ita feliciter in concilio Taurinensi Narbonensis in duas provincias ecclesiasticas est divisa, PROCULO Marsiliense constituto secundæ Narbonensis metropolita. Gravissimæ autem controversiæ fuerunt inter Arelatensem & Viennensem de primatu. Qua de re in eodem concilio est decretum, ut is gauderet primatu, qui suam urbem metropolin esse comprobaverit. Circumferuntur eam in rem litteræ ZOSIMI P. in favorem PATROCLI Arelatensis, sed eas alii pro suppositis habent, alii tamen pro genuinis agnoscunt. Scripsit autem ad episcopos provinciæ Viennensis, & Narbonensis secundæ, non attentis iis, quæ in concilio Taurinensi in favorem PROCULI sunt constituta, Arelatensique

An. 393. *T. II. conc. p.* 1155.

p. 1156.

*Vid. Tilm. mem. T. X. p.*841. *not.* 5. *sur le pape Zosime.*

integra sua vult esse jura. Sed postea S. LEO iratus S. HILARIO Arelatensi jura illa diminutum ivit, atque provinciam divisit. S. AVITUS vero Viennensis ab ANASTASIO P. jurisdictionem etiam in episcopum Arelatensem accepit. Quod cum EONIUS Arelatensis SYMMACHO conquestus esset, hic rem retractavit ad EONIUM & S. AVITUM litteris datis. Atque etiam sub S. MAMERTO, dum is episcopum Diensem ordinasset, eadem recruduit controversia, hodieque inter eruditos res in utramque partem disceptatur: quemadmodum in Hispania de primatu Toletano ac Hispalensi, cum circa Bracharensem & Tarraconensem res dudum sit decisa. Ecclesia Toletana quietam pacificamque possessionem quingentorum fere annorum, atque primatiæ jura in dioecesi Hispalensi exercita pro se urget. Cum per S. AUGUSTINUM lux evangelii iterum Britanniæ est illata, rescripsit S. GREGORIUS M. ad interrogationem nonam, ut jurisdictione in Britanniam contentus, Arelatensi nihil detrahat. Et sub NICOLAO I. lis est mota circa jura Turonensis ecclesiæ in minorem Britanniam, cum episcopus Dolensis subesse detrectaret, cui sese pontifex opposuit. AGAPETUS II. similem controversiam dirimendam habuit inter ecclesiam Laureacensem & Salisburgensem; quod postea fuit confirmatum a BENEDICTO VII. epistola data ad episcopos Galliarum & Germaniæ, nominatim ad præcipuarum Germaniæ sedium præsules Moguntinum, Trevirensem, Magdeburgensem, Coloniensem, Juvaviensem seu Salisburgensem, Bremensem, misso Laureacensi pallio. Quæ jam concidit sedes & Salisburgensi plenum mansit jus.

T. IV. conc. p. 1291.

Lib. XI. ep. 64.

T. IX. conc. p. 619.

Ib. p. 716. 718.

Fue-

Fuerunt etiam in Galliis motæ lites circa medium ævum ob imminuta metropolitica jura pontificibus ad ſe rapientibus res epiſcoporum judicandas *in prima*, ut vocant, *inſtantia*, faventibus litteris decretalibus: opponente ſe imprimis HINCMARO Remenſi, contra cognominem HINCMARUM Laonenſem, Remenſis nepotem. Qui ſcripto 55. capitulorum vetera metropolitica jura defendenda ſuſcepit, quibus apud metropolitanos & concilia provincialia ejusmodi judicia tranſigenda, antiquo uſu, & vigore canonum erat cautum.

§. XXIII.

Quorum inſigne eſt pallium.

Pallium, quod non uniusmodi ſemper fuit, olim etiam ab imperatoribus conceſſum, non inſigne tantum eſt dignitatis, ſed etiam jurisdictionis metropoliticæ a pontifice concedi ſolitum.

Quoniam de pallio in jure canonico ſingularis titulus habetur, etiam de eo aliquid dicendum eſt viſum: quod electus etiam confirmatus & conſecratus archiepiſcopus ante acceptum pallium ea, quæ ſunt muneris epiſcopalis, exercere non debeat, licet alios jurisdictionis actus poſſit obire, exceptis illis, qui archiepiſcopo ſunt proprii, uti viſitare provinciam, concilium provinciale congregare &c. Deſcribi ſolet a canoniſtis pallium ſingulare ornamentum deſumtum ex corpore D. PETRI, & a ſummo pontifice archiepiſcopis datum, deſignans plenitudinem paſtoralis & ar- *C. 3. eod. tit.*

chiepiscopalis officii, quo archiepiscopus certis solum diebus, & intra ecclesiam uti potest.

Facile patet longe aliam esse rationem hujus pallii, quam veteris illius *imperialis*, ab imperatoribus præcipuis episcopis iis præsertim in sedibus, ubi residere solebant, datum, ut eo in divinis officiis pro majori ornatu uterentur. Romani pontifices illud primum suis vicariis concesserunt, ut scribit VIGILIUS papa ad AUXONIUM Arelatensem: *Agenti vices nostras pallii non desit ornatus.* Non voluit tamen illud prius mittere, quam imperatorem certiorem fecisset, & obtinuisset consensum. PELAGIUS I. pallium similiter misit dum eum vicarium suum pariter constituit: *Ut*, ad eum scribit, *in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris.* Vel hinc atque ex GREGORIO M. constat, insignem & augustam tunc adhuc fuisse vestem *habitus exterioris clariorem cultum, indumenti munificentiam.* Collígitur tamen ex JOANNE DIACONO in vita S. GREGORII non amplius integram ad tegendum corpus fuisse vestem: *Pallium ejus*, inquit, *bysso candente contextum, nullis acubus perforatum sic ipsum circa scapulas devolutum fuisse, non autem confixum, sicut vetustissimis musivis vel picturis ostenditur.* Nec etiam lanea fascia tunc fuerit, qualis hodie est in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur: ex quo circulo impendet pectori fascia similis, & alia ex adverso inter humeros demittitur; utraque habens crucem rubeam, præter eas, quæ in ipso circulo extant super humeros. MARTENIUS in librum sacrament. S. GREGORII excudi fecit antiquissimas imagines S. GRE-

T. V. conc. p. 321.

Lib. VII. ep. 112.

Lib. IV. c. 80.

GREGORII & S. REMIGII pallio ornatas, cui cruces haud inerant; secus ac sunt pallia Græcorum a crucium multitudine πολυςαύρια dicta. Alias vocant ὠμοφόρια superhumeralia, de quibus extat canon concilii VIII. *Ut designati ad superhumeralia gestanda, certis illa temporibus statisque locis ea gestent, ne hujusmodi cultus per fastum & superbiam abutantur, aut quovis tempore divini officii, & quavis ecclesiastica functione deferant. Eos etiam, qui monachi fuerint, & ad episcopatus honorem sunt provecti, aut religiosam vestem suam, habitumque monasticum servent, statuimus. Quodsi episcopus præter designata tempora humerale ὠμοφόριον tulerit, aut monasticam vestem abjecerit, vel corrigatur vel deponatur.* Monachi apud Græcos ac etiam episcopi pallia gestabant, quæ μανδύας vocabant, sed utique distincta a superhumerali ejusmodi seu pallio. Can. 14.

Quoad id vero ut certis tantummodo ac præcipuis festis induatur, a Romanis pontificibus fastus episcoporum Ravennatensium fuit coercitus, qui illo communiter sunt usi, forte quod illud ab imperatore acceperint, quemadmodum legitur VALENTINIANUS apud BARONIUM ad an.432. illis honorem pallii & omnis pontificalis decoris contulisse. Si tamen genuinum est illud instrumentum.

§. XXIV.

Ecclesiæ regimen universæ per orbem inter episcopos est divisum, qui sunt successores apostolorum suisque Episcoporum eximia in ecclesia potestas.

que in diœcesibus eorum potestatis participes, præter curam & communionem potestatis ecclesiasticæ.

Semper hæc potestas legitima episcoporum in ecclesia est agnita, donec eam Protestantes non tamen omnes conculcarunt; nam in regnis septentrionibus Suecia & Dania pariter ac in unitate fratrum Bohemorum, & in Anglia præsertim episcopalis dignitas est conservata. Et CH. PFAFFIUS in singulari dissertatione de successionis episcopalis apud Protestantes pretio .... ejusdemque in ecclesias Protestantes reducibilitate, alios etiam laudat testes ingenuos, imprimis confessionem Augustanam ejusque auctorem MELANCHTHONEM, ac ipsum LUTHERUM, aliosque tam ex Calvinistis, quam Lutheranis Remonstrantibus, qui in sua apologia episcopaturire dudum sunt visi. Non pauci consilium suppeditarunt reducendæ dignitatis: qua de necessitate vel convenientia illic etiam agit PFAFFIUS secundum principia protestantica, quæ nervos legitimæ potestatis ecclesiasticæ non ordinis tantum, sed etiam jurisdictionis sacræ succidunt, ac soli episcopales Angli nobiscum veras illius origines ex institutione CHRISTI & successione apostolica tuentur contra Presbyteranos seu Puritanos, qui discrimen episcopos inter & presbyteros juris tantum humani esse contendunt.

Quod omnes negant catholici etiam qui ordinem ipsum episcoporum & presbyterorum unum faciunt, a jurisdictione distinguentes, hancque jure etiam divino solis episcopis attribuentes, quatenus apostolis in regimine ecclesiæ

cleſiæ plena ſuccedunt auctoritate; non quidem omnino apoſtolica, nulli loco adſtricta, ſed certis limitibus ſuarum diœceſium ſingulis paſtoribus juxta S. CYPRIANUM portione gregis adſcripta, quam regat unusquisque & gubernet. Quomodo apoſtolus TITUM Cretæ reliquit, & TIMOTHEUM Epheſi inſtituit. Et TERTULLIANUS, *Ordo epiſcoporum*, inquit, *ad originem recenſus, in JOANNEM ſtabit auctorem.* De quo CLEMENS ALEXAND. memoriæ prodidit, in libro, *quis dives ſalvetur?* quod, cum ex inſula Patmo Epheſum rediiſſet, ad finitimas quoque provincias ſe contulerit, ut epiſcopos conſtitueret, & homines ſibi a divino Spiritu indicatos in clerum quemdam ſeu ſortem Domini ſeponeret. Atque teſtatur S. HIERONYMUS *in catalogo ſcript. eccl. in JOANNE*, eum noviſſimum omnium ſcripſiſſe evangelium, rogatum ab Aſiæ epiſcopis: quos jam PAULUS a Mileto mittens Epheſum vocat majores natu eccleſiæ, epiſcopos nimirum & presbyteros, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis civitatibus, ut teſtatur S. IRENÆUS: qui alibi de eccleſia Romana dicit, quod fundantes, & inſtruentes beati apoſtoli eccleſiam LINO epiſcopatum adminiſtrandæ eccleſiæ tradiderunt, atque ad hanc ſucceſſionem provocat, ſicut & alii plerique doctores imprimis EUSEBIUS: qui id ſibi conſtitutum habuit, ut præcipuarum ſedium epiſcopalium ſucceſſiones in ſua hiſtoria recenſeat, & paſſim mentionem injicit epiſcoporum apoſtolicorum. Teſte THEODORETO: *Eosdem olim vocabant presbyteros & epiſcopos: eos autem qui nunc vocantur epiſcopi, apoſtolos nominabant.* Et alibi:

Adverſ. Marcion. Lib. IV. c. 5.

Lib. III. c. 14.

Lib. III. c. 3.

Lib. I. c. 28.

Coment. in 1. Tim. III. 1.

Ita

Ita Philippensium apostolus erat EPAPHRODITUS. Ita Cretensium TITUS, & Asianorum TIMOTHEUS apostoli. Frequenter autem successores apostolorum vocantur, ac seipsos, sine invidia, sic nominant, etiam pleno in consessu & conciliis: principes etiam & quidem principes sacerdotum rectores, præpositos, antistites προεςῶτας, προέδρες, ἐφόρες, patres patrum: unde sunt, qui putant nomen papæ coaluisse ex prima utriusque vocis syllaba: quod olim commune fuit episcopis quemadmodum & titulus *sanctissimi*, ac *vicarii CHRISTI.* Quæ ac alia ejusmodi dignitatem potestatemque episcopalem maximam designant in ecclesia.

Coment. in Phil. I. 1. Vid. Bingh. orig. eccl. L. II. c. 2.

De potestate ipsa jam non semel memini & deinceps memorandum erit in toto hoc decursu tractatuque de principiis theologiæ canonicæ, quia conficit ac complectitur universam ecclesiasticam potestatem, qua suam ecclesiam instruxit CHRISTUS. *Quotquot*, inquit S. IGNATIUS, *DEI & JESU Christi sunt, hi sunt cum episcopo.* Et alibi: *Cum episcopo subjecti estis ut JESU Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secundum JESUM Christum vivere.* Rationem autem reddit secundum CHRISTI sententiam atque missionem quam ab ipso acceperunt. *Quemcunque*, ait, *mittit paterfamilias ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum.* Et ad Magnesianos: *Itaque hortor, ut hoc sit vestrum studium in DEI concordia omnia agere episcopo præsidente DEI loco.* Hinc ad Smyrnæos scribens, omnino nihil fieri sine episcopo vult. Et idipsum S. POLY-

Epist. ad Philad. n. 3. Ad Trallan. n. 2.

Epist. ad Ephes. n. 3.

n. 6.

n. 8.

POLYCARPUM hortatur: *Nihil sine tua voluntate fiat, crebrius conventus fiant, nominatim omnes inquire.* Et ad Smyrnæos: *Ubi comparuerit episcopus, ibi & multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit JESUS Christus, ibi catholica est ecclesia.* n. 4. n. 8.

Ita coadunatur ecclesia ac regitur unanimi episcoporum sententia in communione potestatis legitimæ ut alibi ex instituto docui, & jam dudum S. CYPRIANUS librum de unitate ecclesiæ hoc in argumento insignem dedit. *Unitatem*, inquit inter alia, *firmiter tenere & vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* Unde quidem constat, vinculum hujus unitatis esse episcoporum præsidium, & communem auctoritatem, quam qui violant ecclesiam dissipant, & divinam violant institutionem. *Cum sit idem*, ait S. Martyr, *a CHRISTO una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post DEI traditionem post connexam & ubique conjunctam catholicæ ecclesiæ unitatem, humanam conetur ecclesiam facere.* Contra tales severissimi sunt apostolici canones: *Si quis clericus episcopum contumelia affecerit injuste, deponatur, ait enim scriptura, principi populi tui non maledices. Si quis presbyter contemnens episcopum suum seorsum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat episcopum in causa pietatis & justitiæ, deponatur quasi principatus amator existens. Est enim tyrannus; & cæteri clerici, quicumque tali consentiunt deponantur, laici vero segregentur. Hæc autem post unam & secun-* Epist. 55. Can. 56. Can. 32.

secundam & tertiam episcopi obsecrationem fieri conveniat. Nimirum est hoc suave CHRISTI jugum ac dominium, non tyrannicum quo reges gentium dominantur, sed sicut dicit apostolus & TIMOTHEUM instruit: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia.*

2. *Tim.* IV. 2.

Quisque etiam episcopus finibus suis se continere debet. *Episcopus*, statuit synodus Antiochena, *in aliam civitatem, quae ei subjecta non est, non ascendat, nec ad regionem, quae ad eum non pertinet.* Apud GRATIANUM plures antiqui canones in eandem rem proferuntur, estque a concilio Tridentino eadem res gravissime interminata. In concilio Sardicensi iste canon ab OSIO propositus, a patribus est constitutus: *Ut episcopi de sua provincia, in qua sunt episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus sint invitati, ne videamus januam claudere charitatis. Quodsi in aliqua provincia aliquis episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, ne unus a duobus ex alia provincia advocet episcopum cognitorem.* In sua autem cujusque dioecesi plena est episcopis auctoritas: *Ut attendentes sibi*, sunt conc. Trid. ex S. PAULO verba: *& universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant.* Ad omnia sese extendit haec vigilantiae cura, quatenus salutem animarum & ecclesiae gubernationem spectat, quoad observantiam salutarem omnium legum, fidei, morum, & disciplinae ac universae vitae christianae directionem, lites & controversias transigendas, judicia formanda, res ecclesiae tuendas, ac conservandas, tam spirituales, quam temporales.

An. 341. *can.* 22.

Caus. 9. *q.* 1.

Sess. VI. c. 5.

Sess. VI. c. 1. *de reformat.*

§. XXV.

§. XXV.

Corona & ſenatus clericorum adfuit ſemper in gubernanda eccleſia epiſcopo: quod nunc *capitulum* vocatur canonicorum cathedralium, & ſede vacante jurisdictionem epiſcopalem exercet.

Cum ſenatu clericorum ſeu capitulo.

S. IGNATIUS vocat ſpiritualem coronam presbyterii eccleſiæ Magneſienſis. Similiter vocantur in conſtitutionibus apoſtolicis conſiliarii epiſcopi & eccleſiæ corona. Ratio etiam redditur ex ſacro conſeſſu: *Sit ſolium epiſcopi in medio poſitum & ex utroque ejus latere ſedeant.* Hinc throni ſecundi nomen venit, presbyteris iſtis a primis eccleſiæ temporibus tributum. Solemne enim fuit illis cum epiſcopo ſedere, & in concilio Carthaginenſi IV. ſtatutum eſt: *Ut epiſcopus quolibet loco ſedens ſtare presbyterium non patiatur.* Et mox: *ut epiſcopus in eccleſia in conſeſſu presbyterorum ſublimior ſedeat.* Hinc vocat S. CYPRIANUS, cleri ſacrum venerandumque conſeſſum. Qui plurimis in locis teſtatur, quanti hunc conſeſſum fecerit; atque etiam CORNELIUS ad S. CYPRIANUM: *Omni actu*, inquit, *ad me perlato placuit contrahi presbyterium, adfuerunt etiam epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari debeat, conſenſu omnium ſtatueretur.* Pariter S. CYPRIANUS de clero Romano nobis teſtis eſt, epiſtolis ad ipſum datis, & ab eo viciſſim receptis. Nec aliter S. CLEMENS ROM. niſi nomine eccleſiæ ſuæ ad Corinthios

n. 13.
Lib. II. c. 57.
C. 34.
C. 35.
Ep. 46.

duxit ſcribendum. Conſtat ex præcipuis antiquis cauſis & negotiis, ea nonniſi communi presbyterorum ac cleri conſilio transacta fuiſſe, quem ſenatum eccleſiæ ORIGENES, HIERONYMUS & alii vocant. Ita etiam vocat ſenatum apoſtolicum S. IGNATIUS, qui paſſim prodit, quanta huic presbyterio au-
n. 2. ctoritas fuerit, qualis obedientia præſtari debuerit: qui SCOTIONEM laudat Magne-
n. 6. ſianis, quòd ſubditus ſit epiſcopo, *ut gratiæ DEI, & presbyterio ut legi JESU Chriſti;* & poſteà loquitur de epiſcopo *præſidente DEI loco, & presbyteris loco ſenatus apoſtolici.* Si-
n. 2. militer hortatur Trallianos, *presbyterio ſubditos eſſe, ut apoſtolis JESU Chriſti.* Et paulo poſt: *Revereantur presbyteros ut conſeſſum DEI, & ut conjunctionem apoſtolorum.* In epiſtolis ad Epheſios, Smyrnæos, & POLYCARPUM paria ſæpius repetit, & munia præſtantiamquè hujus presbyterii extollit, quod in omnibus rebus & conſultationibus ſacris epiſcopo aderat. Viſa eſt ſucceſſu temporum hæc communio poteſtatis alicubi remitti, atque diverſa etiam munia in canonicis cathedralibus deſiderari, ſed dignitatem tamen ſuam ſuſtinent. Et in ju-
Tit. de his quæ fiunt a prælatis ſine conſ. cap. 4. re canonico refertur ex ALEXANDRO III. *Novit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput, & illi membra eſſe probantur. Unde non decet te, omiſſis membris aliorum conſilio in eccleſiæ tuæ negotiis uti, cum id non ſit dubium & honeſtati tuæ, & ſanctorum patrum inſtitutionibus contraire.* Et apud GRATIANUM refertur ex conc. Car-
Can. 6. thag. IV. *Ut epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia ſuorum clericorum: alioquin irrita erit ſententia epiſcopi, niſi clericorum præſen-*

præsentia confirmetur. In concilio Lateranensi III. statutum est, ut in cunctis ecclesiis, universim ac semper, quidquid a majori & saniori parte capituli fuerit constitutum, prævaleat, suumque consequatur effectum, omni appellatione remota, nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter fuerit objectum & ostensum. Et si alicubi extet consuetudo contraria, ea nec valeat, nec obliget, licet juramento firmata sit. Quod refertur c. cum in cunctis I. Tit. *de his, quæ fiunt a majori parte capituli.* Alia autem sunt, in quibus consilium petere debet, alia quæ non sine consensu capituli facere potest novo jure determinata singulari Tit. *de his, quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli.* An. 1179.

Amplissimam hodie exercet capitulum jurisdictionem sede vacante, secus ac olim fuit, ubi, *ut vicinior episcopus ecclesiæ ipsius curam districtissime gerat*, statuitur canone II. concilii Valent. *Secundum Regiensis consilii statuta*, & usum ecclesiæ sæculorum non paucorum: quamvis hodierna praxis propius mori primitivæ ecclesiæ conveniat præsertim Romanæ, ut testatur clerus Romanus ad S. CYPRIANUM scribens: *Qui videmur præpositi esse vice pastoris, & custodire gregem.* Viget hoc nunc in omnibus, quæ jurisdictionem ordinariam episcopalem ex jure communi concernunt, *ne* tamen *sede vacante aliquid innovetur*, prout titulo singulari in jure canonico cavetur.

§. XXVI.

Frequens olim erat chorepiscoporum ministerium officiumque in vi- Chorepiscopi.

 cis

cis ac pagis loco ac vice episcoporum; ut distinguantur ab episcopis vacantibus, aut quales solent hodie pontifices *in partibus* instituere.

Ministerium istud ordinarium erat in majoribus dioecesibus, qualis e. g. fuit Cæsareensis, quæ tempore S. BASILII test. S. GREGORIO NAZ. 50. chorepiscopos numerabat, atque ex S. BASILIO constat, magnum eorum numerum fuisse, qui sub eo dioecesin regebant. De quibus etiam tota est illius epistola 54. ut eos in ordinem redigeret, ac ad officium revocaret, quod de clericis a se institutis ac ordinatis non amplius fideliter ad episcopum referrent, & limites subordinatæ potestatis suæ excederent. Quam in rem est etiam canon conc. Antioch. an. 341. *Ii, qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi episcopi ordinationem, manuumque impositionem acceperint, visum est ut suum modum sciant, & sibi subjectas ecclesias administrent, earumque cura & sollicitudine gerenda contenti sint: constituant autem lectores, hypodiaconos & exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment; nec presbyterum nec diaconum ordinare audeant, absque urbis episcopo, cui subjicitur ipse & regio. Si quis autem ea, quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore, quem habet. Fiat autem chorepiscopus ab episcopo civitatis, cui subjicitur.* Inde multi concludunt, quod ab uno tantum episcopo suo ordinationem acceperint, eos episcopali charactere insignitos non fuisse saltem ordinarie. Alii secus existimant,

Ep. 142.

Can. 10.

ducti

ducti maxime auctoritate S. ATHANASII, qui expresse videtur ordinem chorepiscoporum a presbyteris distinguere, de Mareote regione Alexandrina ita locutus: *In qua nunquam episcopus fuit aut chorepiscopus: sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos.* *Apol. 2.*

Sed de hoc alius est dicendi locus: nunc eas tantum prosequimur partes, quas in regimine ecclesiæ chorepiscopi habebant. Qui in conciliis etiam generalibus jure suffragii gaudebant. Quo nomine in concilio Nicæno plures subscripserunt tanquam chorepiscopi provinciæ Cælosyriæ, Cappadociæ, Bythyniæ. Et in concilio Ephesino CÆSARIUS chorepiscopus Alcesiorum. *T. II. conc. p. 51. & seqq.*

S. LEO & varia deinceps concilia chorepiscopis maxime infensi fuerunt, ut ministerium istud penitus exterminatum irent. Quod PETRUS de MARCA sub finem sæculi XI. jam omnino accidisse ex SIGEBERTI historici hallucinatione colligit, qui ex muneris accessione, quod sua tempestate penes archidiaconos erat, eos cum chorepiscopis confudit. *DAMASUS*, inquit, *papa decrevit, ne quid contra episcopos præsumant archidiaconi, qui dicuntur chorepiscopi, id est villarum & regionum episcopi.* Quæ est vera originatio vocis hujus quod essent τῆς χώρας ἐπίσκοποι ruris episcopi, non ut RHABANUS MAURUS existimavit, quod *ex choro sacerdotum* essent. Usurpationes eorum in causa fuerunt, quod totum illud munus ecclesiæ præsules excisum vellent, licet iis non raro episcopi ipsi locum dederint; quod, ut in talem episcopum animadvertit concilium Meldense, *propter* *Sigeb. in chron.* *De instit. sacerdot. L. I. c. 5. c. 44.*

desidiam, aut sæcularem pervagationem vel propter infirmitatem modum suum chorepiscopis transcendere consenserit. Ubi etiam prospectum est, ne aliquid post obitum episcopi ministerio, specialiter episcopis debito, attentarent. Agebant id reges, ut ex FLODOARDO observavit PETRUS de MARCA, ut videlicet episcopo quolibet defuncto per chorepiscopum solis pontificibus debitum ministerium perageretur, ut res & facultates ecclesiæ sæcularium usibus impenderentur.

De conc. Sac. & imp. L. II. c. 15.

Quæ videntur episcopali characteri chorepiscoporum favere, secus ac PET. de MARCA existimat, ac probare contendit vel inde potissimum, quod chorepiscopatus ministerium sit & officium, nimirum ut ex EBBONIS Remensis opusculo, *de ministris ecclesiæ*, refert, omnem sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere atque dirigere &c. Admittit tamen accidisse, ut chorepiscopatus conferretur alicui episcopo vacanti, qui jam episcopalem consecrationem acceperat. De his statuit conc. Antioch. *Si quis episcopus vacans in ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat, absque integro perfectoque concilio, hic abjiciatur.* Videri queat S. GREGORIUS NAZIANZ. fuisse ejusmodi episcopus vacans σχολάζων, ut laudatum vocat conc. Antioch. Qui a S. BASILIO episcopus Sasimorum factus, sedem illam non tenuit a patre socius & coadjutor ecclesiæ Nazianzenæ postea factus; licet contestetur se ecclesiam illam, ad quam cononica electione promotus haud fuerit, tantum ad dies vitæ sui parentis recturum. Unde postea ecclesiæ Cpolitanæ præfectus, nec eam retinuit. Suppetuntque alia ejusmodi exempla sedibus suis

Can. 16.

detur-

deturbatorum, aut eas nunquam obtinentium episcoporum: quales hodie episcopi in partibus constituuntur a pontifice, qui quam semel assumpsit provinciam providendi ecclesiis orientis prosequitur, soletque titulos ecclesiarum in partibus infidelium suis officialibus & episcoporum suffraganeis conferre.

§. XXVII.

A chorepiscopis antiquis distinguuntur hodierni suffraganei episcoporum in amplis dioecesibus vicarii in episcopalibus, quemadmodum alii vicarii in spiritualibus, & officiales in contentiosis ordinarii judices. Ac vicarii episcoporum.

Suffraganei hodierni respondent potius veteribus Περιοδευταῖς, quos concilium Laodicenum institui vult, ne passim in pagis episcopi instituantur, ita autem habet: *Quod non oportet in vicis & pagis episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est circumcursatores: eos autem, qui prius constituti sunt, nihil agere sine mente episcopi, qui est in civitate.* Can. 62. Ratio redditur in concilio Sardicensi: *Licentia vero danda non est ordinandi episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter: quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi & auctoritas. Non debent illi ex alia provincia invitati facere episcopum, nisi aut in his civitatibus, quae episcopos habuerunt; aut si qua talis aut tam populosa est civitas, quae mereatur habere episcopum.* Can. 6. In concilio generali Africae Carthaginensi renovatur canone

An. 397. can. 42. ne hoc ipsum fiat sine episcopi consensu: *EPIGONIUS episcopus dixit; Multis in concilio hoc statutum est a cœtu sacerdotali, ut plebes, quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ episcopum nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, id est episcopos.*

Hodie, ubi amplissimi sunt episcopatus præsertim in Germania nostra habent episcopi suos in pontificalibus vicarios generales seu episcopos suffraganeos: quomodo alias ac olim sunt dicti omnes episcopi, qui in aliqua provincia metropolitano cuidam suberant. In spiritualibus vero & quæ jurisdictionem spectant, habent vicarios proprie sic dictos generales, qui nonnunquam generale mandatum habent ad totam episcopi jurisdictionem, a vicariis foraneis distincti, quos episcopi habentes amplam diœcesin in certa aliqua ejus parte constituunt. Alias qui hoc munus gerit vocatur *officialis*, estque solummodo vicarius episcopalis in contentiosis, ac judex ordinarius, ut perinde ac ipsum episcopi tribunal habeatur ejus vicarii, quod nondum distinguit INNOCENTIUS IV. in duas partes vicarii in spiritualibus & contentiosis, seu officialis. Memorantur tamen jam sæculo XII. officiales episcoporum a PETRO BLESENSI. Atque eos etiam spectant, quæ singulari titulo in jure canonico de officio judicis ordinarii habentur distincto ab officio & potestate judicis delegati; licet proprie loquendo etiam vicariis episcoporum sit delegata jurisdictio, sed in universum: cum id alias fiat ad causas singulares, & judex delegatus ordinarie subdelegare non possit, nisi sit a pontifice Romano delegatus. Qua de re canonistæ consuli possunt

C. Romana I. de offic. vic. in 6. ep. 25. Lib. I. Decretal. tit. 31.

sunt

sunt ad titulum specialem, *de officio & potestate judicis delegati.*

§. XXVIII.

Sunt & aliæ dignitates & munia tam cathedralis ecclesiæ, quam ruralium quoad integram diœcesin, vel illius partem ad causas ecclesiasticas agendas, cleri disciplinam & institutionem. Et aliæ dignitates.

Ad ordinem unitatemque in clero conservandam, aucto clericorum numero, quidam reliquis præfectus erat. Id quod initio ordinationis potissimum tempore determinabatur. Sic S. LEO papa ad DORUM episcopum Beneventanum perscribit, ac jubet *omnes presbyteros in eo ordine permanere, quem unicuique ordinationis suæ tempus adscripsit.* Hi successu temporis archipresbyteri sunt dicti. Similiter archidiaconus, & ubi multiplicatus fuit numerus inferiorum clericorum Primicerius, qui ut plurimum subdiaconus fuit. In concilio Carthaginensi IV. jam singularis etiam cura, qua episcopus onera sua cum eis partiebatur, eis fuit commissa, ut *archiepiscopus gubernationem viduarum, pupillorum & peregrinorum non per seipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat.* *Vid. Thomass. de benef. P. II. L. I. c. 48. Can. 17.*

Ad archidiaconum hoc munus potissimum pertinere videri poterat, qui inde ab antiquissimis temporibus bonorum ecclesiæ administrationem habebat, ad exemplum ecclesiæ Hierosolymitanæ ab apostolis institutis septem diaconis. Quo in majoribus ecclesiis aucto numero, sem-

per aliquem præcipuum habebant, qui κατ' ἐξοχὴν diaconus aut archidiaconus eſt dictus: ut vel exemplum S. LAURENTII ſuppetit, apud quem judex magnum ſe theſaurum inventurum ſperabat, utpote penes quem rei eccleſiaſticæ adminiſtratio eſſet. Id quod magnam ipſis auctoritatem conciliavit, epiſcopis in eos rerum quarumvis exteriorum curam exonerantibus. Unde etiam ſupra presbyteros ſeſe efferebant, & ſub ſeipſos archipresbyteros habebant: utpote qui in exterioribus ab his etiam archidiaconis dependebant, antequam præſertim bonorum eccleſiæ diviſio & proprietas eſſet invecta. In jure etiam canonico prior eſt titulus de archidiacono quam de archipresbytero, & *c.* 1. de archipresbytero hoc ipſum innuitur. Cum is altera poſt epiſcopum haberetur perſona, jurisdictionem eccleſiaſticam omnem exercens, antequam epiſcopi munus vicariorum generalium & officialium inſtituerent. Cum archipresbyteri interiora tantum gubernarent, minora autem primicerii, ſic diviſis officiis præſertim in abſentia epiſcopi; *Quia*, ut inquit S. MARTINUS P. *in abſentia Pontificis archidiaconus & archipresbyter & primicerius locum præſentant Pontificis.* Idque alias etiam egerunt; ſed hoc munus habent hodie reſtrictum ab illis vicariis, quos memoravi; cum prius archidiaconus in omnibus eſſet vicarius epiſcopi: „Ut archidiaconus poſt epiſcopum „ſciat, ſe vicarium eſſe ejus in omnibus & „omnem curam in clero tam in urbe poſito„rum, quam eorum, qui per parœcias habita„re noſcuntur, ad ſe pertinere; ſive de eo„rum converſatione, ſive honore, & reſtau„ratione eccleſiarum, ſive doctrina eccleſiaſti„corum vel cæterarum rerum ſtudio & delin-

Epiſt. ad Theod.

C. ut archid. i. b. t.

„quen-

quentium rationem coram DEO redditurus „ est. Et ut de tertio in tertium annum, si epi- „ scopus non potest, parœciam universam cir- „ cumeat, & cuncta, quæ emendatione indi- „ gent, ad vicem sui episcopi corrigat & e- „ mendet. „ Hoc jam est præcipuum munus archidiaconi; sed etiam subordinatum vicariatibus generalibus episcoporum. Nec penes ipsos est rei ecclesiæ cathedralis cura, sed penes præpositos, quæ est præcipua dignitas ecclesiæ cathedralis, cui decani accedunt in sacris pollentes & capitulo cathedrali præsidentes.

Cum archidiaconatus totam diœcesin spectet, archipresbyterorum autem esset duplex genus archipresbyteri, illi præsertim, qui per diœcesin in capitulis ruralibus sunt constituti, quo tempore præsertim magis adhuc viguit auctoritas archidiaconorum, expresse illis subesse sunt jussi secundum responsum INNOCENTII III. *Quod archidiaconus secundum statuta B. ISIDORI imperat subdiaconis & levitis: parœciarum sollicitudo & earum ordinatio ad ipsum pertinet, & audire debet jurgia singulorum. Archipresbyteri autem, qui a plebibus decani nuncupantur ejus se noverint jurisdictioni subjacere.* Id etiam statuitur in capitulis VALTERI, ut archidiaconi sollicite inquirant in doctrinam & mores presbyterorum cardinalium seu curatorum. Quoad archipresbyteros & decanos hodie prius illud nomen urbi episcopali est reservatum; qui vero capitulis ruralibus præsunt, decani vocantur, atque in conciliis etiam *pastores pastorum* vocantur, seu *decani christianitatis*, qui statis temporibus curatos sibi commissos ad capitulum vocant, & ab illis ceu superiores agnosci debent. Sed

Cap. ad hæc. 7. h. t.

T. VIII. conc. p. 637.

restri-

restricta eorum etiam est potestas, si ad ea considerentur, quæ HINCMARUS in suis capitularibus de eorum officio præscribit in visitatione & ordinatione suarum parochiarum.

§. XXIX.

Parochi.

Fuerunt a primis temporibus ecclesiæ presbyteris ac etiam diaconis regendæ commissæ tam in majoribus urbibus quam pagis & ruri; quamvis non tam cito, nec tam frequentes ac hodie fuerint parochiæ rurales.

Adeo celerius in urbibus, quam in pagis ac ruri religio christiana est propagata, ut paganorum nomen superstitioni idololatricæ inditum, usque ad hodiernum diem maneat. Quare mirum non est, ecclesias rurales primum non adeo fuisse frequentes, ac multo plures episcopos ecclesiarum rectores, quam presbyteros: cum plerumque una ecclesia diœcesin integram constituerit, præsertim temporibus ecclesiæ pressæ, ubi facile episcopus indultus fuit singularibus locis minoribus etiam oppidis & vicis; licet postea canonibus cautum fuerit, ut jam observavimus, ne in parvis oppidis episcopi ordinarentur.

At hoc non obstante constat, ecclesias primis illis temporibus non solum a presbyteris sed etiam diaconis esse gubernatas. S. CYPRIANUS epistolam 67. inscribit FELICI presbytero, & LÆLIO diacono, ac populis curæ eorum commissis. Estque antiquissimus canon

canon Illiberitanus: *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Ex S. HIERONYMI dialogo contra Luciferianos discimus, id jam tunc consuetum fuisse, ut episcopus hujus rei caussa diœcesin discurreret. SYNESIUS ad episcopale culmen evectus, ad presbyteros scribens: *Vos ipsi*, inquit, *supplices pro me ad DEUM manus tendite; atque & urbanæ multitudini, & quæcunque in agris, aut in paganis ecclesiis degit, meo nomine preces publice privatimque universis indicite.* Alibi luget in Ampelitide, quæ erat pars suæ diœceseos, ecclesias esse succensas. Sed hoc recentius videri queat. De DIONYSIO ALEX. refertur apud EUSEBIUM, eum convocatis presbyteris ac doctoribus per singulos vicos concionantibus tres continuos dies opinionem NEPOTIS Chiliastæ, quæ quasdam ipsorum ecclesias infecisse visa sit, examinasse. S. ATHANASII locum ex apologia II. jam laudavi, de Mareote agro Alexandrino, memorantis ibi nec episcopum nec chorepiscopum præfuisse, sed singulos tamen pagos suos presbyteros habuisse. S. DIONYSIUS apud EUSEBIUM memorat particulares conventus sacros tanquam in suburbanis remotioribus. Quod lucem accipit ex CASSIANO, qui de PANÆPHYSO in provincia Augustamnica prima refert, quod plures urbes & vicos sub se habuerit. EUSEBIUS SILVANUM martyrem ecclesiarum circa gazam episcopum laudat. De Majuma gazæ conjuncta, peculiarem tamen diœcesin constituente SOZOMENUS memorat: *Vicinorum agrorum limites quibus ecclesia ad utrumque episcopatum perti-* *nen-*

Can. 77. *Epist.* XI. *Synes. Catast.* *Lib.* VII. *c.* 24. *Lib.* VII. *c.* 11. *Lib.* VIII. *c.* 13. *Lib.* V. *c.* 3.

nentes distinguuntur. Facile idem de aliis locis Palestinæ populosa & culta regione conjici potest. Talem ecclesiam S. HIERONYMUS rexit teste SULPITIO SEVERO: quæ parochia est episcopi, qui Hierosolymam tenet. Ipseque S. HIERONYMUS contra VIGILANTIUM citat presbyteros, qui parochias suas vicinia istius dicunt esse maculatas. Inde CYRUM peragrantes THEODORETUM testem illius episcopum habemus, se octingentarum ecclesiarum pastoralem curam sortitum esse, tot enim CYRUM habere parœcias. De Mesopotamiæ pago Diodoride in Carchari laudat S. EPIPHANIUS TRYPHONEM loci istius presbyterum. Huc referendus est canon Neocæsariensis de *vicanis presbyteris.* Sed adhuc luculentior est Chalcedonensis universalis concilii, ad regimen totius ecclesiæ spectans: ut firmi sint ecclesiæ & determinati diœcesium fines: *Quæ sunt in unaquaque provincia rurales vicanasque parochias firmas & inconcussas manere apud eos, qui illas tenent episcopos, & maxime si triginta annorum tempore eas sine vi tenentes administraverint. Sin autem intra triginta annos fuit aliqua vel fuerit de iis controversia, licere iis, qui injuriam sibi fieri dicunt, de iis litem movere apud synodum provinciæ.*

Dial. I. c. 4.

Epist. 113.

Hær. 66.

Can. 13.

Can. 17.

Intenti fuerunt semper episcopi pro rei christianæ incremento, atque necessarium omnino fuit, ecclesia undique se diffundente, ut undique etiam ecclesiæ ac parochiæ instaurarentur. Quam in rem saluberrima est concilii Vasensis sanctio: *Hoc etiam pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus*

Can. 2.

presby-

presbyteris potestatem. Refert hoc singulare
S. EPIPHANIUS de Alexandria: *Quot-* Hær. 69.
quot Alexandriæ catholicæ communionis eccle-
siæ sunt uni archiepiscopo subjectæ, suus cuique
præpositus est presbyter, qui ecclesiastica munera
iis administret, qui circa ecclesias illas habitant,
eorumque conventicula vici, sive lauræ ab
Alexandrinis vulgo nominantur. Non omni-
no dici potest, hunc usum singularem fuisse
ecclesiæ Alexandrinæ, ut VALESIUS & *In Sozom.*
alii existimant, cum ex S. BASILIO con- *L. I. c. 15.*
stet, præter ecclesias in urbe Cæsarea, quarum *Hom. in*
cura communis erat cum episcopo, se habuisse *ps.* 114.
singularem, cui adstrictus erat. Atque in urbe
Roma ultra quadraginta fuerunt tituli seu pa-
rochiæ. Vel inde autem, dum VALESIUS
contrarium colligere voluit ex epistola IN-
NOCENTII ad DECENTIUM, de
fermento quod dominico die per titulos mitte-
batur, colligitur presbyteros per ecclesias con-
ventus suos apud plebem sibi comissam egisse:
Quarum presbyteri, sunt illius epistolæ verba, *Innoc. ad*
quia die isto propter plebem sibi concessam nobis- *Decent.*
cum convenire non possunt, ideo fermentum a *c.* 5.
nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se
a communione nostra maxime illo die non judi-
cent separatos. Idem de Novella JUSTI-
NIANI dici potest de ecclesiis urbis Cpoli-
tanæ, quæ habebant suos peculiares conventus,
licet presbyteri indivulsi cum matrice eccle-
sia fuerint. *Non enim*, ut Novellæ illius ver- *Nov. III.*
ba habent, *sufficient tantis ecclesiis pauci* *c.* I.
consistentes: quoniam quidem non proprios
clericos, neque una quidem harum trium ha-
bent Basilicarum, sed communes sunt, & san-
ctissimæ majores ecclesiæ & earum: & omnes
circumeuntes secundum quemdam ordinem &
cir-

circum, ministeria in eis celebrant. S. GREGORIUS NAZ. etiam hujus rei de diversis ecclesiis urbis Constantinopolitanæ mentionem facit secundum diversos titulos, ac titulares presbyteros. Id tamen videtur colligi ex homiliis S. CHRYSOSTOMI, præsertim quas Antiochiæ habuit, ad principem ecclesiam omnem populum concurrisse. Sed notanda est illius homilia XVIII. in acta apostolorum, ubi fideles hortatur, quibus facultates suppetunt, ut in minimis villis & castris ecclesias fieri curent, ibidemque pastorem quemdam nutriant, diaconum & alios ex ordine clericorum ministros, precum assiduitate stimulans, quæ pro patronis & fundatoribus hujuscemodi in sacris jugiter fiant.

Orat. 32.

T.V.conc. p. 1556.

Sed id fieri debebat cum bona episcopi venia. Quam in rem decretum HORMISDÆ papæ tribuitur, ne sine hac licentia altare in ecclesia consecrata erigatur. Quod etiam a PELAGIO P. constitutum est quoad baptisterium, circa oratorium, in fragmento epistolæ ad ELEUTHERIUM episcopum extructum ad recondendas tantum reliquias S. CANTIANÆ M. *Oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis; ita tamen ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem: sed quotiens missas ibi forte maluerit a dilectione tua noverit postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur.* Quam in rem est etiam Aurelianensis concilii decretum: *Ut in oratoriis Domini prædiorum minime contra votum episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos clericos intromittant; nisi forsitan quos probatos*

T.V.conc. p. 809.

An. 541. *Can.* 7.

tos ibidem districtio pontificis observare praeceperit. Medio ævo non raro ob hujusmodi privata oratoria præsertim nobilium, difficultates ſunt motæ, & abuſus irrepere cœperunt, tam circa clericorum ordinationem, quam oratoriorum proviſionem. Quam in rem habetur reſponſum NICOLAI I. ad conſulta ADONIS Viennenſis, ubi dicit presbyteros ordinari pro eccleſiis urbium & villarum, non pro domibus laicorum, contrarium abuſum tollendum fore, quando conventus clericorum eſſet inſtituendus. Severius cautum, & omnino obſervatum olim fuit, ut quisque pro certa inſtitueretur eccleſia, nec facile licuit aliorſum præſertim alienam in diœceſin migrare. Quam ob rem gravis eſt ANGELRAMNI Metenſis querela ad STEPHANUM pontificem contra ENDRADUM, qui ad aliam parochiam ordinatus in diœceſin Moguntinam conceſſit. *Epiſt. 3. ad Adon.* *T. XIII. Bibl. PP. p. 112.*

§. XXX.

Religioſi DEO dicati, magis obſtringuntur eccleſiæ, quando ſunt hierarchico ordini adſcripti, curæ animarum regiminique eccleſiæ præfecti, debita tamen erga epiſcopos ſubjectione ſine ſpeciali exemtione. Religioſi clerici.

Quando de ſtatibus DEO dicatis ex inſtituto egimus, jam oſtenſum a nobis eſt, inde a prima monaſticæ vitæ inſtitutione rei ſacræ haud raro fuiſſe adſcitos monachos, ac operam dediſſe. Quod cum primum præter primarium inſtitutum fieret, ſucceſſu temporum id tamen

accidit in canonicis regularibus, mendicantibus, & aliis ordinibus religiosis: majorque jam est numerus clericorum religiosorum quam sæcularium, quorum maxima pars functiones ecclesiasticas in orbe christiano obit, maximis privilegiis præsertim summorum pontificum instructi.

Abbates, antequam etiam omnes sacris initiarentur, ad sacra comitia conciliorum ultro admissi perhibentur, quod de S. BENEDICTO a BONIFACIO II. ad conc. Romanum an. 581. accito ANTONIUS SCIPIO monachus Cassin. ex veteri codice bibliothecæ Vaticanæ eruit. Constatque jam antea in concilio Cpolitano an. 448. sub FLAVIANO viginti tres archimandritas judicio contra EUTYCHEN calculum addidisse cum 30. episcopis. Quin etiam abbatissæ notantur ab auctore chronici Saxonici concilio Beccafeldendi in provincia Cantio etiam ante presbyteros subscripsisse. Quod non magis singulare est, quam quod a BEDA refertur de insula Huya: habere solebat ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti juxta exemplum primi doctoris illius (COLUMBÆ) qui non episcopus sed presbyter extitit & monachus. Res ipsa loquitur, de exteriore quadam directione hoc esse intelligendum. Quomodo etiam ultro non raro leguntur episcopi, in suis diœcesibus indulsisse abbatibus gubernationem; hodiéque plerique abbates pontificalibus utuntur ornamentis, omnes autem de jure communi jurisdictionem exercent in suos saltem sibi subditos religiosos. Cujus forte antiquissimum exemplum sit monasterii Lirinensis, cujus

Ad an. 694.

Beda hist. Lib. III. c. 4.

jus abbati S. HONORATO S. LEONTIUS episcopus Forojuliensis non solum monachorum sed etiam laicorum illius insulæ plenam fecit potestatem, tantum ut illis chrisma quotannis mitteret, & ordinationem clericorum sibi reservaret, quos ex laicis abbas destinaret, & ex monachis ad hoc aptos judicaret. STEPHANUS II. abbati FULDRADO S. DIONYSII privilegium indulsit, ut proprium haberet episcopum ab abbate & monachis electum, ut monasterio illi ac reliquis ab ipso fundatis præesset quoad sacras functiones; cum alias omnia illa monasteria sub protectione essent sedis apostolicæ.

T. IV. conc. p. 1024.

Tom. IV. act. ord. S. Bened. p. 305.

Nescio, an hæc de singulari intelligi debeant exemtione. Cujusmodi primum a Romano pontifice obtinuisse videtur monasterium Fuldense a prima sua per S. BONIFACIUM fundatione, ita ad eum scribente ZACHARIA: *Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, hac auctoritate, præter sedem apostolicam, probibemus: ita, ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnitatem ibidem quispiam præsumat omni modo celebrare.* Intercesserant abbati S. STURMIO graves cum S. LULLO archiepiscopo controversiæ, quæ plerumque solebant esse causæ hujusmodi exemtionum; sed non infrequenter majorum simultatum occasiones etiam circa hujusmodi indulta, etsi ab ipsis prædecessoribus episcopis concessa. Cujus antiquissimum exemplum in Lirinensi monasterio habetur, cujus modo privilegia a S. LEONTIO S. HONORATO concessa vidimus: quæ paulo post THEODORUS episcopus labefactare est connisus a FAUSTO

T. VI. conc. p. 1528.

abbate & monachis repulſus: cujus cauſa coa-
An. 455. ctum eſt concilium Arelatenſe, atque in eo ita
res compoſita eſt, ut monachi Lirinenſes a
nullo alio epiſcopo præter THEODORUM
ejusque ſucceſſores militiæ clericali aut eccle-
ſiaſticis ordinibus adſcribi poſſent: ut ab eo
ſolo monaſterium chriſma requirat, confirma-
tionis etiam ſacramentum monachi ſuſcipiant,
aut ab eo, cui permiſerit ſacrum illud ſigna-
culum eis conferre: ut nulli peregrini clerici
absque ejus arbitrio ad communionem vel ad
ſacrum miniſterium admittantur. Laici por-
ro monachi ad ſolam abbatis directionem re-
gimenque pertineant, nec eorum quemquam
epiſcopus ad clerum ordinesque eccleſiaſticos,
niſi abbate id poſtulante, promoveat. Ineun-
te ſequenti ſæculo in Africa non abſimilis con-
T. IV. conc. p. 1641. troverſia in concilio Carthaginenſi eſt agitata,
quod PETRUS abbas monachos ſui mona-
ſterii non a vicino epiſcopo curaſſet ordinari,
quod a prima ſua fundatione immediate eccle-
ſiæ Carthaginenſi eſſet ſubditum, licet fuiſſet in
provincia Bizantina: atque illic etiam provo-
catum eſt ad id, quod THEODORUM in-
ter Forojulienſem & FAUSTUM Lirinen-
ſem fuit transactum, præter alia exempla ab
abbate PETRO, ea in cauſa, allata. Diu
poſtea talis lis ob collatos ordines monachis
An. 1025. Cluniacenſibus BURCHARDO Viennenſi a
GAULENIO Matiſconenſi eſt mota, provo-
cante S. ODILONE ad exemtionem apo-
ſtolicam: cui patres canonem Chalcedonen-
ſem objecerunt, ubi quartus & octavus ver-
ſatur in hoc argumento, atque etiam a con-
Seſſ. V. de reform. c. 2. Seſſ. VI. c. 3. Seſſ. cilio Tridentino multa in hanc rem ſunt ſta-
tuta. Quibus acceſſit bulla GREGORII
XV. *Inſcrutabilis*, quam deinceps in hujusmo-
di

di caufis fubfequentes pontifices URBANUS VIII. INNOCENTIUS X. ALEXANDER VII. CLEMENS X. & XI. facræque cardinalium congregationes *de regularibus* fecuti funt. VII. c. 7. 8. XXIII. c. 15. XXIV. c. 4. XXV. c. 3.

§. XXXI.

Superiores ac prælati regulares plenam in fuos religiofos habent jurisdictionem; tenentur tamen abbates in rebus magni momenti confilium aut confenfum petere, in caufis præfertim jure expreffis. Et prælati regulares.

Olim congregationes quæcunque monafticæ pleniffime parebant ac fuberant fuis abbatibus. Poftquam autem ordines fingulares fub certis regulis veluti in unam communitatem coierunt, regimen ad unum fuperiorem generalem rediit, qui per regiones fubordinatos provinciales habent, in fingulis autem conventibus fuos fuperiores immediatos. Quod inftitutum etiam fecuti funt congregationes non paucæ monafticæ, quantum ipfis commodum vifum fuit; ut fint hodie paucæ abbatiæ omnino independentes & *αὐτοκέφαλαι*, prout olim pleræque fuerunt. S. BENEDICTUS in fua regula plenam abbati in fubditos tribuit auctoritatem ac regimen animarum, de quibus rationem DEO fit redditurus. *Sciatque*, ait, *quia qui fufcipit animas regendas, præparet fe ad rationem reddendam. Et quantum fub cura fua fratrum fe habere fcierit numerum, agnofcat pro certo, quia in die judicii ipfarum omnium animarum eft redditurus Domino rationem.* Hinc ceu Reg. c. 2.

ſuprema capita & paſtores auctoritatem habent in dirigendis coercendis & puniendis ſubditis ſuæ curæ commiſſis, pœnis corporalibus & ſpiritualibus: quales in regulis ſuis legislatores ſtatuunt, imprimis S. BENEDICTUS etiam excommunicationem, de qua ſingulare caput habet in ſua regula; ſed alia eſſe judicatur, quam eccleſiaſtica cenſura; quam tamen etiam infligere poſſunt abbates & prælati regulares.

Quamvis autem S. BENEDICTUS omnia conſtituat in arbitrio abbatis, cujus regula in occidente forma fuit inſtituti monaſtici; vult tamen etiam in conſilium adhiberi fratres, ita quidem, ut, *quoties aliqua præcipua agenda ſunt in monaſterio, convocet abbas omnem congregationem, & dicat ipſe unde agat. Et audiens conſilium fratrum &c.* unde jura emanarunt capitulorum. Et quando uſuvenit, atque ab eccleſia etiam ſtatutum eſt, *ad ampliationem cultus divini quod monachi quilibet ad monitionem abbatis ſe faciant ad omnes ordines ſacros (excuſatione ceſſante legitima) promoveri;* eadem etiam Clementina eſt conſtitutum, *ut nullus de cætero in ejusmodi eccleſiis (cathedralibus vel collegiatis, ſæcularibus vel regularibus) vocem in capitulo habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur, niſi ſaltem in ſubdiaconatus ordine fuerit conſtitutus.* Unde eſt diſcrimen fratrum laicorum ſeu converſorum, & clericorum ſeu capitularium ſive actuales jam ſint ſive non. Et licet S. BENEDICTUS concedat, ut poſt expenſa fratrum conſilia, quod utilius judicaverit, faciat abbas; tamen in caſibus jure vel conſtitutionibus ordinum ac congregationum expreſſis conſenſus etiam requiritur ad validitatem actus, majo-

c. 3.

Clementin. Ne in agro de ſtatu monachorum. *C.* ut ii. *de ætate & qualit. ordin.*

majoris ſaltem partis capituli. ASCANIUS TAMBURINUS, qui ingens opus ſcripſit de jure abbatum, ex communi canoniſtarum ſententia docet: licet abbas aliusque ſuperior in caſibus, in quibus tantum debet requirere conſilium, non teneatur conſilium datum ſequi, tamen actus eſſet nihilominus nullus, ſi a capitulo aut congregatione debite convocata, conſilium non expetiiſſet. In quibus autem non tantum conſilium ſed etiam conſenſum exquirere debeat abbas idem TAMBURINUS ex Jo. TRITHEMIO recenſet: v. g. *Res monaſterii immobiles, agros, prata, & alia bujusmodi vendere.* Secundo dicit, *quod non poteſt recipere ad profeſſionem monachum ſine conſenſu conventus.* Tertio *quod non poteſt monaſterium gravare pignoribus, & aliis cautionibus magnam ſummam recipiens pecuniarum ſuper bona monaſterii absque evidenti neceſſitate & fratrum ſuorum conſenſu.* Quarto *quod non licet abbati dimittere monachum ad aliud monaſterium ejusdem ordinis, ſine prædicto conſenſu.* Quinto *non poteſt aliqua ſtatuta ipſis imponere, quæ ſe ultra regulam extendant, niſi conſentiant monachi.* Sexto *non poteſt aliquem ad confraternitatem ſpiritualem monaſterii accipere, niſi concurrant monachi ſubditi.* Septimo *non poteſt præbendarios perpetuos recipere ad monaſterium, ſine voluntate conventus.* Et ita quidem in plerisque regularibus congregationibus obtinet; alicubi tamen magis monarchicum juxta primævam inſtitutionem, alicubi magis ariſtocraticum eſt regimen: obſervatque laudatus TAMBURINUS, quia non omnes, qui regunt, eſſe poſſunt AUGUSTINI aut BENEDICTI, nec ſubditi POSSIDII, factum eſſe,

T. III. diſp. 1. q. 8. n. 1.

q. 2. n. 3.

q. 2. & 3.

ut religiones, loco monarchiæ abſolutæ, cum ea ſimul ariſtocratiam amplexatæ ſint. Quod relatis variorum ordinum conſtitutionibus oſtendit.

CAPUT III.

Quales eſſe, & quomodo eligi ac conſtitui debeant ſacrorum præſides.

§. XXXII.

Neceſſariæ eccleſiæ præſulum dotes.

Sacrorum præſules clerici neceſſariis dotibus inſtructi, ac vitæ honeſtate & ſanctitate prælucere debent fidelibus, quos inſtituendos ad pietatem chriſtianam, conducendosque ad finem vitæ æternæ ſuſceperunt.

Tit. II. 7. 8.

Ita TITUM ſuum inſtituit apoſtolus: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ad TIMOTHEUM autem ſcribit eum, qui eccleſiæ præeſt debere & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Quod noſtris iterum temporibus eo magis eſt neceſſarium, quia circumſepti undique ſumus hæreticis, qui foris ſunt, qui in vitam & mores clericorum intendunt; atque cavillantur etiam hunc titulum, *de vita & honeſtate clericorum. Crederes*, inquit

BOEH-

BOEHMERUS, *compilatorem multa congessisse de qualitatibis clericorum virtutibusque, circa quas admodum sollicitus est PAULUS in epistola ad TIMOTHEUM. Sed hæ quidem tantæ sunt forsan, quod a moribus sæculi, quo vixit compilator, essent alienæ, suspicionemque hæreseos præberent. De coma, de barba, de potu, de armis & negotiationibus clerico interdictis, aliisque parvi momenti rebus, ad decorum clericorum pertinentibus, tantum sollicitus est.* Quasi non etiam D. PAULUS TIMOTHEUM & TITUM ad bonum in exteriori habitu instituerit exemplum, & quæ circa modestiam temperantiam, contra avaritiam, negotiationes sæculares &c. statuuntur, eadem sint, quæ apostolus præscribit, ac vult episcopum *irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, non cupidum &c.* Quæ sane respondent iis, quæ hoc & mox sequentibus titulis constituuntur ad vitam & honestatem clericorum pertinentia, qua subditis fidelibus exemplum præire debent præpositi. Namque juxta concilium Tridentinum: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione*

Jur. eccl. protest. T. II. ad h. t.

1\. *Tim. III. 2.*

Sess. XXII. c. 1. de reform.

plenum præseferant. Quare sacrosancta synodus omnia renovat copiose & salubriter alias a summis pontificibus, & a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, ac quibuscumque commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis. Cujusmodi sunt hoc titulo, majorem partem ex INNOCENTIO III. desumta præsertim in concilio Lateranensi communibus votis sancita.

Lib. III. Decretal. tit. 1.

Illud etiam singulariter notandum, quod ex GREGORIO VII. affertur, posse episcopum statuere in ecclesia certum numerum clericorum secundum ipsius facultates, qui vivant in communi, & contradictores ad hoc compellere. Quæ est pulcherrima illa primitivæ ecclesiæ forma, qua apostoli eorumque discipuli vivebant in communi unanimes in oratione, & nullus eorum proprium possidebat, ut habetur *Act. IV.* Referturque ex S. HIERONYMO: *Quod victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem tenentes habuerint omnia communia.* Quod institutum quoad clerum suis in ecclesiis S. EUSEBIUS Vercellensis, ut ex S. AMBROSIO discimus, & S. AUGUSTINUS aliique revocarunt. Iterumque postea renovavit CHRODEGANGUS Metensium episcopus: unde in plerasque ecclesias dimanavit, ac canonicorum institutum in ecclesiis cathedralibus & collegiatis sic enatum est, divisum postea in sæcularium & regularium canonicorum ordines, quoad distinctionem monasticæ & clericalis vitæ, ut hodieque obtinent, hæc in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, illa in singulari ordine canonicorum regularium. Non quod hi solum

Cap. 9. *h. t.*

In c. duo sunt 7. *caus.* 12. *q.* 1.

Epist. 82. *ad Vercell.*

solum vitæ regularis sanctitatem sequi debeant, sed quod sit discrimen ordinis, unius ejusdemque cononicæ seu regularis observantiæ. *Ulterius nota*, inquit auctor chronici Oldenburg. *quod idem significet canonicus & regularis, & est inculcatio verbi, vel nugatio dicendo: Canonicus regularis, quod idem est, ac si diceretur regularis. Et dicendo canonicus regularis est implicatio contradictionis vel oppositum in adjecto: idem est enim ac si diceretur, regularis secularis, quæ duo inter se pugnant. Quia secularis in quantum talis, magis est irregularis, quam regularis. Sed per usum loquendi & inolitam consuetudinem talis locutio roboratur.* Omnes ergo æqualiter canonice tenentur vivere, qui sacris adscripti, cæteris ad hoc præpositi sunt. *Qui*, inquit concilium Trid. *ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed labores & sollicitudines pro DEI gloria vocatos intelligant.* Eademque synodus *Sess. XIV.* in proæmio vult per episcopos sæpius monendos clericos in quocunque ordine fuerint, ut conversatione, sermone & scientia commisso sibi populo præeant, memores illius: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum &c.*

Apud Meibom. rer. germ. T. II. p. 166.

Sess. XXV. c. 1.

§. XXXIII.

Hinc cura semper fuit ecclesiæ, ut nonnisi aptos & habiles admoveret muneribus ecclesiasticis, removeret autem non ineptos tantum, sed & eos, qui dedecori esse possent sacro ministerio.

Quas ecclesia requirit & attendit.

Quo-

Quoniam functionibus ecclesiasticis status clericales sacrique ordines sunt innexi, in jure canonico de ordinationum ordinandorumque circumstantiis & qualitatibus pluribus titulis agitur, tempora & ætates etiam distinguuntur. Hinc tituli de temporibus, & qualitate ordinandorum de scrutinio in ordine faciendo. De ætate, & qualitate & ordine præficiendorum. Quia qui præficiendi sunt regimini ecclesiæ, ac curæ animarum, ea ætate, scientia & probitate debent esse instructi, ut rite suo munere defungi & præesse queant. Hinc etiam pro gravitate & amplitudine muneris sacri major aut minor ætas semper fuit requisita. Atque jure novo in concilio Lateranensi sub ALEXANDRO III. decernitur, *ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit .... Inferiora etiam ministeria, utputa decanatum, archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis ecclesiæ regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat.* Decretum istud renovavit concilium Tridentinum, *ut nemo deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.* Itidem statuit, *ut in omnibus ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus.* Contigit enim hæc sequiori ævo dividi, & beneficia nonnunquam conferri illis, qui ordinibus, ad functiones beneficiorum obeundas necessariis, nondum essent initiati; qui proventibus & honoribus prærogativisque temporalibus contenti, ordines

Lib. I. Decretal. tit. 11. 12. tit. 13.

An. 1177.

Sess. XXIV. c. 12.

nes suscipere negligebant, functiones quæ ordinem requirebant, aliis committentes. Ad eum abusum tollendum mox primum est capitulum h. t. ex concilio Pictaviensi: ut abbates, *An.* 1078.
decani & præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, qui archidiaconatus tenent diaconi, qui vero archipresbyteratus, presbyteri fiant, aut amittant honorem. Quod si aliqua justa causa prohibente presbyteri aut diaconi esse non potuerint, prælationes amittant. Res ea antiqua ecclesiæ disciplina fuit inaudita, & ecclesiæ summe calamitosa: unde accidit in ecclesiis potioribus & cathedralibus, ubi clerus debebat in regimine ecclesiæ episcopo opera & consilio assistere, ut ad hoc ineptus esset; maxime ad curam animarum, quæ est ars artium, circa eos præsertim, qui in dignitatibus constituti, non laicos tantum unius parochiæ in villis & agris, sed integrum clerum diœcesanum regendum haberent. Qua de causa sacra synodus Trid. hortatur, *ut in provinciis, ubi id* *Sess.* XXII.
commode fieri potest, dignitates omnes & saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis vel collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico. Atque requirit omnino, ut quicumque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, scientia ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. *c.* 2.
Cap. IV. idem hoc tit. cavetur, episcopoque Roma in Galliam sic rescribitur ab ALEXANDRO III. *Arctius inhibemus, ne personas, quæ in ecclesiis tui episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, nec aliqua occasione vel etiam lit-*

tera-

terarum nostrarum obtentu institui patiaris, quae scientia moribus & aetate concilii non congruant institutis. His saluberrimis statutis redundant antiqui canones & scripta veterum patrum; imprimis legi hic meretur S. CHRYSOSTOMUS *lib. III. & IV. de sacerdotio*, & *ep.* 13. S. GREGORII NISSAENI.

Cap. I. D. 49. Atque GREGORIUS M. relatus a GRATIANO huc interpretatur ea, quae secundum normam veteris testamenti requiruntur qualitates etiam exteriores corporis, ut ad ipsos animi defectus referat: *Caecus quippe est, qui supernae contemplationis lumen ignorat: qui praesentis vitae tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis dirigat nescit. Hinc etiam prophetante ANNA dicitur: Pedes Sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent. Claudus vero est, qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis vitae viam perfectae non valet tenere.* Sunt & aliae inde antiquis temporibus ecclesiae hujusmodi, quas vocare solent irregularitates, ex defectibus ac vitiis etiam naturalibus, natalibus &c. de quibus singulares extant in jure canonico tituli, *de filiis presbyterorum, de servis non ordinandis, de obligatis ad ratiocinia non ordinandis, de corpore vitiatis non ordinandis, de bigamis non ordinandis*, solentque de illis theologi agere in tractatu de sacramento ordinis, sacraeque ecclesiae functioni in administratione sacramentorum potius dedecori sunt, quam impedimento in regimine ecclesiae.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Ut rite eligerentur ac digni conſtituerentur eccleſiæ præſules præcipuum ſemper fuit ſtudium & negotium, præcluſa vi ac fraudibus per certas electionis formas, aut legitimam collationem. In electionibus legitimis.

Quando, quantum ſit onus paſtorale, agnitum ſatis eſt, nec honoris & commodi alicujus titillabat exiſtimatio, vis non raro inferenda fuit: quod S. CHRYSOSTOMUS homilia ſecunda in acta apoſtolorum eloquenter ediſſerit. Qui ipſe exemplo eſſe poteſt ac proponitur unacum aliis a S. ISIDORO PELUSIOTA. *Si quis*, habet canon apoſtolicus, *epiſcopus non ſuſceperit officium & curam populi ſibi commiſſi, hic communione privetur quoadusque conſentiat obedientiam commodans. Similiter autem & presbyter & diaconus. Si vero perrexerit nec receptus fuerit non pro ſua ſententia, ſed pro malitia populi; ipſe quidem maneat, clerici vero civitatis communione priventur, eo quod eruditores inobedientis populi non fuerunt.* Diſcimus hinc non ex arbitrio populi omnino dependiſſe electionem; utpote quæ plerumque in ſynodo a provincialibus epiſcopis facta fuit metropolitano præſide. *Epiſcopus*, juxta concilium Antiochenum antiquiſſimum, *præter ſynodum & præſentiam metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram poſito, melius quidem eſt, ut omnes ſimul adſint ejusdem provinciæ ſacerdotes, quos metropolitanus epi-* *Lib. V. epiſt. 21. c. 37.* *An. 341. can. 19.*

ſcopus

scopus convocare debebit, & si quidem omnes occurrerint, optime. Quodsi difficile fuerit, saltem plures adesse omnino convenit, aut certe scriptis ejusdem sententiæ comprobari; & ita sub plurimorum vel præsentia, vel decreto ordinatio celebretur. Quodsi secus contra definita facta fuerit, nullas ordinatio vires habeat. Si vero juxta definitam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propria contradicant, obtineat sententia plurimorum. In concilio Laodiceno statutum est: *Turbis non esse permittendum eorum, qui sunt in sacerdotio constituendi, electionem facere.* Ibidemque qua cautione circumspectioneque res tam ardua agi debuerit, præscribitur: *Ut episcopi metropolitanorum, & eorum qui sunt circumcirca episcoporum judicio, in ecclesiastico magistratu constituantur, diu examinati & in ratione fidei & in recta rationis dispensatione.* Discimus ex S. ATHANASIO jam tunc etiam fraudes & pravas cupiditates intervenisse Arianorum præsertim factionibus: „ Nec (inquit) ultra juxta apo„ stoli præceptum, quærebatur, num quis ir„ reprehensibilis esset. Sed more impiissimi „ JEROBOAMI, qui plus auri penderet, „ is nominabatur episcopus. Nihil curabant „ impii, si vel ethnicus ille esset, aurum modo „ daret. Pulsi itaque sunt, qui episcopi ab „ ALEXANDRO ordinati fuerant, mona„ chi & ascetæ. Illi autem callidi sane calum„ niarum artifices, apostolicam constitutionem „ quantum licuit, violarunt, ecclesiasque con„ taminavere. „ In tali discrimine etiam atque etiam obtestatur Neocæsarienses S. BASILIUS: „ Obsecro vos per patres, per re„ ctam fidem, per hunc beatum, erigatis ani-

Can. 13.

Can. 12.

S. Athan. apol. ad ad Constant. imp. n. 28.

Epist. 28.

„ mum

mum, proprium sibi quisque id quod agitur du- „
centes; & rerum in utramque partem exitus „
participes se imprimis fore existimantes: ita „
ut rerum communium curam, ut plerique „
solent, in proximum non rejiciatis, ac post- „
ea unoquoque in animo suo res negligente, „
omnes sibi ipsi per incuriam proprium malum „
imprudentes accersant. „ Hæc universim ad Neocæsarienses S. BASILIUS, quia non erant nullæ in electionibus etiam populi partes, qui acclamatione vota sua promebant plerumque, sed arbitrium erat relictum episcopis. Sic apud OPTATUM Milev. legimus clamasse populum: *Exaudi, DEUS, civem nostrum volumus. Et NUNDINARIUS diaconus dixit: Vos seniores clamabatis: Exaudi DEUS, civem nostrum volumus.* Episcopum nimirum affectabat populus ut civem, & clerus ut ex suo collegio nancisceretur episcopum. Adhibebatur autem non turbæ sed saltem matricis ecclesiæ arbitrium. Ut discimus ex binis canonibus Suffetulani & Septimunicensis concilii a BALUZIO editis, iisdem conceptis verbis: *Ut ad eligendum episcopum sufficiat matricis arbitrium.* S. LEO statuit: *Nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat aut oderit.* Et sequenti: *Metropolitano hoc licere non permittimus, ut suo tantum arbitrio, sine cleri & plebis assensu, quemquam ordinet sacerdotem, sed eum DEI ecclesiæ præficiat quem totius civitatis consensus elegerit.* Non raro ad turbas seditionesque ventum est. Qua de re illud memorabile exemplum de populo Burdigalensi, qui Senensem propinquum metropolitanum cum suffraganeis neutiquam ad electionem ad-

Lib. VI. contra Parmen.

T. I. conc. p. 366. 367.

Epist. 12.

Epist. 13.

misit in solum SIDONIUM APOLLINAREM compromittens, ut ipse nos certiores facit, estque singulare exemplum *compromissi*. Inter clerum etiam fraudes, secretæ conjurationes & ambitus intercesserunt. Id quod occasionem dedit in concilio Romano statutis circa electionem pontificis. Quæ inter illud est memorandum, quod pontifex de sui successoris electione decrevit: „ Si, quod „ absit, transitus papæ inopinatus evenerit, „ ut de sui electione successoris non possit ante „ decernere, siquidem in unum totius incli„ naverit ecclesiastici ordinis electio, consec„ cretur electus episcopus. Si autem studia „ cœperint esse diversa eorum de quibus cer„ tamen emerserit, vincat sententia plurimo„ rum. „ Ubi vides duo genera alia electionum hodie jure communi usitatarum, per *quasi inspirationem* aut *vota majora*.

Lib. VII. ep. 9.

An. 499. *T. IV. conc. p.* 1314.

Paulo post in concilio Romano indultum, ut cum consensu regis Italiæ fieret electio; JUSTINIANUS autem imperator, licet leges circa hanc electionem fecerit, eam tamen integram esse voluit. Et contra usurpationes ejusmodi principum ac candidatorum ambitum gravia extant conciliorum decreta ad veterem formam; tale est Claromontani concilii: *Episcopatum desiderans electione clericorum vel civium, consensu etiam metropolitani ejusdem provinciæ pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola ad conscribendum decretum alios hortetur præmiis, alios timore compellat. Quod si quis fecerit ecclesiæ, cui præesse cupit, communione privetur.* Videtur hinc colligi solius metropolitani sine episcopis suffraganeis, cum cleri vel civium votis, factam esse electionem. Idem elucescit ex concilio Aurelianensi, ut

An. 502. *n.* 123.

An. 535. *can.* 2.

An. 538. *can.* 3.

ut tamen electio metropolitani coram provinciæ episcopis cum consensu metropolitani, alterius cleri item ac populi civitatis fiat. In sequenti concilio etiam consensus principis additur. *An.* 549.
Mox autem subditur, juxta antiquos canones *can.* 10.
populo invito non esse obtrudendum episco- *can.* 11.
pum. Et postea in concilio Parisiensi expresse *An.* 557.
cavetur, ne per principem talis vis inferatur. *can.* 8.
In formulis tamen MARCULPHI tres consequenter habentur circa hanc rem; primum litteræ principis, queis episcopos certiores facit *L. I. c.* 5.
de morte episcopi & constituendo successore cum episcoporum & magnatum suorum consilio. Secundo loco litteræ pariter principis sistuntur, queis episcopis cum metropolitano ordinandum novum episcopum committit. Tertio libellus describitur civium civitatis episcopalis, quo regem rogant, ut episcopum det, cujus perspecta habeat merita. LUDOVICUS PIUS tamen veterem morem & libertatem ecclesiæ restituit. Ad quam tuendam FLORUS insignem librum de electione episcoporum scripsit, qui habetur inter opera AGOBARDI. Ubi principum ausum gravis de- *Ed. Parif.*
licti arcessit, cum tamen ipsa electio summi *an.* 1666.
pontificis tunc jam diu fieret cum tali princi- *p.* 254.
pis annutu. Accidit tamen tunc temporis, ut electio ADRIANI II. fieret inconsultis tunc Romæ legatis LUDOVICI PII, ne in consuetudinem res abiret, ut habetur in vita hujus pontificis; colligiturque imperatori probatam esse illam causam, qui litteris pontifici eam electionem est gratulatus.

Hodie, licet a cardinalibus fiat ista electio, & pontifex a nullo principum dependeat, non tamen penitus inconsultis præcipuis catholicis regibus fit. Forma autem, quomodo a car-

dinalibus electio ſit facienda, primum in concilio Romano eſt præſcripta: *Salvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri* H E N R I C I, *qui in præſentiarum rex habetur, & futurus imperator* D E O *concedente ſperatur.* Vindicatur autem jus illud eccleſiæ juxta veterem formam. In concilio Lateran. III. ſub A L E X A N D R O III. diſtinctius ratio electionis iſtius præſcribitur: *Ut ſi a paucioribus quam a duabus partibus aliquis fuerit electus ad apoſtolicum officium, niſi major concordia intercesserit, nullatenus aſſumatur.* Addunt nihilominus patres: *Ex hoc tamen nullum canonicis conſtitutionibus & aliis eccleſiaſticis præjudicium generetur, in quibus majoris & ſanioris partis debet ſententia prævalere.* Quæ eſt hodie communis electionis forma, præter duas alias *per inſpirationem*, quando uno omnium conſenſu aliquis eligitur, vel *per compromiſſum* quando collegium aliquod in unum vel plures fide dignos poteſtatem ita confert, ut in eum quem illi elegerint, cogantur conſentire. Qui tres modi in concilio Lateranenſi IV. ſunt ratihabiti & in jus commune abierunt, cæteris repudiatis: „ Quia propter electionum formas di„ verſas, quas quidam invenire conantur, „ & multa impedimenta proveniunt, & ma„ gna pericula imminent eccleſiis viduatis, „ ſtatuimus, ut cum electio fuerit celebran„ da præſentibus omnibus qui debent & vo„ lunt & poſſunt commode intereſſe, aſſuman„ tur tres de collegio fide digni, qui ſecreto „ & ſingulatim vota cunctorum diligenter ex„ quirant, & in ſcriptis redacta mox publi„ cent in communi, nullo prorſus appellatio„ nis obſtaculo interjecto, ut is collatione ad„ hibi-

An. 1059.

Can. I.

Conc. Later. IV. c. 24.

hibita eligatur, in quem omnes vel major „ vel sanior pars capituli consentit: vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis „ committatur, qui vice omnium ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Aliter electio „ non valeat, nisi forte communiter esset ab „ omnibus quasi per inspirationem divinam „ absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentaverint, eligendi „ ea vice potestate priventur. „

Ubi electioni locus non est, conferri dicuntur dignitates & munera ecclesiastica a legitimis superioribus, utputa ab episcopo in sua dioecesi, aut a Romano pontifice, vel a capitulo secundum varia jura & consuetudines, ut inferius de beneficiis agendo pluribus explicabimus, de *collatione* beneficiorum.

§. XXXV.

Postulatio est supplex capituli apud superiorem petitio de certa quadam persona ad dignitatem ecclesiasticam admittenda, quæ alias propter defectum canonicum eligi non potest.

Vel postulationibus prælatorum.

Sic qui nondum habet 30. annos ætatis, non potest eligi episcopus, sed postulari, item qui alia quadam tenetur irregularitate. Quæ est differentia electionem inter & postulationem: quod electio sit personæ habilis ad dignitatem; postulatio vero personæ aliquo impedimento laborantis, & propterea dispensatione opus habentis; & hinc antequam dispensatio acquiratur, nullum jus acquirit, nec

in postulationem consentire potest, nisi sub conditione dispensationis obtinendæ. Quæ quoad episcopatus a summo pontifice, quoad alias dignitates a legitimo superiore petitur. Ad hoc autem, ut postulatio a summo pontifice admittatur, ordinarie solet requiri, ut si cum electione concurrat postulatio, nimirum si alii eligant, alii postulent, duæ tertiæ postulantium stent pro postulato, alias rejecto postulato electio etiam a minore parte capituli (dummodo illa superet unam tertiam) confirmabitur. Si vero postulatio cum electione non concurrat, prævalebit pars major capituli: veluti si omnes quidem postulent, sed diversas personas. Quodsi tertia illorum pars consentiat in electionem determinatæ personæ eligibilis, postulantes unanimiter consentiant necesse est. Censerentur autem unanimiter concordare, si in magno numero votorum unum & alterum tantum deficeret, & tunc adhuc gratiæ non justitiæ est deferre postulationi: *Cum etiam*, ut ait INNOCENTIUS III. *in tali casu, quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur ad admittendam postulationem eorum, non tam ex justitia quam ex gratia moveatur.* Et ita tunc pontifex non admisit postulationem Cardinalis S. PRAXEDIS pro ecclesia Ravennensi, majoribus utilitatibus universæ ecclesiæ in ecclesia Romana profuturi. Idemque pontifex postulationem ecclesiæ Senonensis non admisit pro episcopo Altisiodorensi, quod non paruisset interdicto; indulsit tamen, ut per postulationem idoneam seu electionem canonicam de persona congrua sibi consulerent. Cum alias non admissa postulatione ac indebite facta, capitulares pro tunc privilegio electionis privari possint; sitque

Cap. bonæ h. t.

Cap. I. h. t.

ſitque poſtulatio ipſo jure nulla, ſi defectus perſonæ poſtulatæ ſit indiſpenſabilis e. g. ſi ſit hæreſi, notorio crimine, excommunicatione illigata.

Defectus diſpenſabiles varii ſunt, frequentior autem ex vinculo alterius eccleſiæ. Quod intelligendum non eſt de ſociis ordinum monaſticorum vel religioſorum, quando ſibi ex alio monaſterio, vel etiam ordine laxioris regulæ ad ſtrictiorem abbatem aut præpoſitum petunt, niſi antea jam dignitati aut eccleſiæ eſſet addictus: quomodo in epiſcopis frequenter contingit, qui eccleſiæ ſuæ præſident, non quas in partibus habent. Qui hodie ſolent indultum eligibilitatis a pontifice petere, &, ſi tanta videantur perſonarum merita, impetrare; unde raro poſtulationi locus eſt, quæ eſt, in voto exprimenda, alias rejicitur etſi unanimia concurrant juxta *c. 6. h. t.* „Etſi unanimiter vota veſtra con- „ currerint, ad Sutrienſem epiſcopum in eccle- „ ſiæ veſtræ archiepiſcopum eligendum, cum „ ſuæ alligatus eccleſiæ liberum non habeat „ ſine noſtra permiſſione volatum, electionem „ de ipſo factam, tanquam contra canones „ minus licite attentatam de fratrum noſtro- „ rum conſilio duximus irritandam, cum eligi „ nullo jure potuerit, ſed potius poſtulari. „ Et in concilio Lugdunenſi: „ Cautum eſt, „ (referturque *c. 1. h. t. in 6.*) ne ſub aliqua „ ex his formis, quas pernicioſa curioſitas ad- „ invenit: eligo poſtulando, & poſtulo eli- „ gendo: aut eligo poſtulandum, aut poſtulo „ eligendum: cum nec vera electio, nec vera „ poſtulatio reſultet ex ipſis, quin ſibi potius „ adverſentur invicem, ad faciendas electiones, „ vel poſtulationes de cætero procedatur: ſi „ ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum decer- „ nen-

An. 1245.

„ nentes. Sub ea etiam forma, eligo & postu-
„ lo, prout potest melius de jure valere (cum
„ incertitudinem contineat) quemquam postu-
„ lari vel eligi prohibemus; statuentes quod
„ contra factum fuerit, viribus omnino carere,
„ nisi quando probabiliter dubitatur, utrum
„ quis sit eligendus, vel potius postulandus. „

§. XXXVI.

Cura de successore dando sede vacante.

Sedi cum vacaverit, quantocius, præsul legitime est constituendus, non antea quasi per successionem & testamentum determinandus.

Antiqua ecclesia pariter ac nova id semper fieri voluit, ut quamprimum ecclesia viduata iterum accipiat pastorem. Olim cum per episcopum vicinum, *intercessorem* dictum, ecclesia regeretur, videri queat longum spatium, unius anni, esse indultum, non quod tamdiu vacare ecclesia debuerat, sed cautum ne diutius ecclesia suo pastore esset orbata. Ita in concilio V. Carthaginensi est constitutum, *ut nulli intercessori licitum sit cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eidem episcopum provideat. Quodsi neglexerit, anno excmto, interventor alius tribuatur.* Potuit aliquid indulgeri, quod pastor haud deesset, qui gregem jam pascere assuetus, ovibus rite provideret. Sed tamen hic etiam fraudibus ambitioni & cupiditatibus occurrendum fuit.

Can. 8.

Jam constitutum est trimestre in jure canonico GRATIANI, cujusmodi alterum trimestre a concilio Lateranensi est adjunctum, atque

Distinct. 50. postquam 11.

atque in jus commune abiit. Hincque in denominationibus regiis juxta concordata Gallorum ſex menſes ſunt indulti, idemque ſpatium quoad annatas attenditur, ſeu fructus ſedis vacantis. Quæ non poſtrema fuit cauſa, ſaltem ſequiori ævo, ut electiones accelerentur. *ex Greg. 6. ep. 35. diſt. 100. c. 1. Ne pro defectu 41. de elect.*

Nunquam tamen indultum fuit, ut antequam vacaret ſedes, vivente paſtore, alius conſtitueretur, niſi ſingularibus de cauſis ac caſibus extraordinariis. S. AUGUSTINUS dolet, quod ita conſtitutus ſit epiſcopus, ignorans a concilio Nicæno id vetitum fuiſſe: quod etiam INNOCENTIUS I. ſed generalius innuit, a patribus eſſe prohibitum, ne epiſcopus in alterius locum adhuc viventis ſubſtituatur. In Nicænis canonibus, quales hodie pro genuinis agnoſcuntur, canon VIII. unicum vult eſſe in ſingulis eccleſiis epiſcopum, quamvis contrarium in Meletianis toleret. Canone IV. concilii XII. Toletani in hac cauſa provocatur ad tit. nonum concilii Nicæni. In concilio Antiocheno expreſſe habetur: *Epiſcopo non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quodſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe bujusmodi conſtitutum. Servetur autem jus eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum ſynodo & judicio epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere.* Debuit tamen iſte abuſus invaluiſſe ſæculo V. ut colligi datur ex concilio Romano occaſione IRENÆI, quem NUNDINARIUS epiſcopus teſtamento ſuo in Tarraconenſi eccleſia ſucceſſorem deſignavit, atque ex relatione epiſcoporum Hiſpanniæ ad papam facta contra epiſcopos, *qui credunt*, ita *Ep. 110. Sozom. L. II. c. 26. An. 341. can. 23. An. 465. Can. 5.*

Can. 5. habent verba concilii, *ſicut res caducas atque mortales, ita ſacerdotium, velut legali aut teſtamentario jure, poſſe dimitti. Nam plerique ſacerdotes in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſubrogare: ut ſcilicet non legitima exſpectetur electio, ſed defuncti gratificatio pro populi habeatur aſſenſu.* In concilio Lugdunenſi idem decretum fuit iteratum: *Id quoque etiam quod antiquiſſima vel celeberrima obſervatione decretum eſt, nihilominus iteramus, ut nullus in locum viventis ad ambiendum ſacerdotii gradum audeat aſpirare. Quodſi qualibet impia vel temeraria voluntate præſumſerit, ſimul & ipſe qui fuerit ordinatus, & hi fratres, quos ordinationi ejus interfuiſſe conſtiterit, perpetua excommunicationis ſententia feriantur.* S. GREGORIUS Turonenſis refert caſum & petitionem ad ſe factam, confirmandæ ejusmodi electionis, & quidem nepotis BURGUNDIONIS epiſcopi viginti quinque tantum annorum ætatis, necdum clerici. „ Qui (ſunt verba S. „ GREGORII) veniens rogat, ut accedens „ uſque Nannetas epiſcopum eum in locum „ avunculi ſui, qui adhuc ſuperſtes erat, ton„ ſuratum conſecrare deberem. Quod ego ab„ nui, quia canonibus non convenire cognovi.„ Refert tamen, quale conſilium dederit, ut poſt mortem ſaltem poſſit epiſcopatum obtinere ſacros ſuſcipiendo ordines.

An. 517. *can.* 5.

Hiſt. L. VI. c. 15.

Alias ubi neceſſitas & difficultas fuit electionis, tale remedium nonnunquam poſtulavit. Id indulſit ZACHARIAS papa S. BONIFACIO, ut proximus morti coram omnibus poſſet ſibi ſucceſſorem deſignare. Noluit tamen aliter, eo vivente, ſucceſſorem fieri, quod

L. V. hiſt. c. 43. *Ep. I. ad Bonif.*

quod esset contra regulas ecclesiasticas; licet antea GREGORIUS III. jam concessisset certum quemdam presbyterum suum successorem destinare.

§. XXXVII.

Translationes de una in alteram sedem ac ecclesiam, non vanis de causis, suspectæ semper fuerunt, nec nisi urgentibus de causis jure novo a solo pontifice concedi solitæ.

De translationibus de una in alteram sedem.

Canone apostolico statuitur, episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis: nisi forte quædam eum rationabilis causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profecto prospicere, & hoc non a semetipso pertentet, sed multorum episcoporum judicio, & maxima supplicatione perficiat. Sequenti canone idem de presbytero, diacono, aut quolibet de numero clericorum statuitur. In concilio Nicæno idem duobus consequentibus canonibus statuitur, pariter ac in canone Antiocheno. In concilio autem Sardicensi ejus rei notabilis causa mox canone primo & secundo ad idem statuendum adhibetur. *OSIUS episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est; ne cui liceat episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta enim est causa qua id facere tentant; cum nullus in hac re inventus sit episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet avaritiæ*

Can. 14.

Can. 15. 16.

c. 22.

Sardic. concil. can. 1.

ardo-

ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius & austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat qui talis est. Responderunt universi: Placet. Et mox: *OSIUS episcopus dixit: Etiamsi talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens, asseveret quod populi litteras acceperit, cum manifestum sit, potuisse paucos præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent, ut clamarent ad ecclesiam & ipsum petere viderentur episcopum. Omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat. Si vobis omnibus placet, statuite. Synodus respondit: Placet.* Severa hæc sane sunt quæ quemque concutiant contra Arianorum tunc temporis usurpationes, quorum inter sycophantias, vincula, cædes, plagas, conspirationes suppostitiis epistolis structas, vulnera, virginum denudationes, exilia, ecclesiarum desolationes, incendia, S. ATHANASIUS connumerat ob translationes a minoribus civitatibus ad majores. SOCRATES plures notat epistolas S. COELESTINI P. ad JOANNEM ANTIOCH. S. CYRILLUM ALEXAND. RUFUM Thessalonicensem, in favorem hujusmodi translationum, haud dubie supposititias, cum ignorare haud potuerit tam decreta conciliorum, quam etiam antecessorum suorum JULII, DAMASI, SIRICII in idem conspirantium. S. LEO eodem exarsit zelo & eandem quam concilium Sardicense notavit ambitionis privatæ utilitatis causam. Concilium Carthaginense IV. idcirco radicem mali tollere fategit, si quid boni inde provenire forte possit senten-

Apol. cont. Arian. n. 49.

Lib. VII. c. 40.

Epist. 6.

tiæ

tiæ ſynodi relinquens, atque decernens: *Ut episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si id utilitas ecclesiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum episcopis porrecto per ſententiam ſynodi transferatur.* Can. 27.

Jure decretalium circa epiſcopatus ſoli Romano pontifici hoc integrum eſt diſpenſare juxta *cap.* 4. *h. t.* „ Sicut legitimi matrimonii vinculum, quod eſt inter virum & uxorem, homo diſſolvere nequit, Domino dicente in evangelio: *Quod DEUS conjunxit homo non ſeparet:* ſic & ſpirituale fœdus conjugii, quod eſt inter epiſcopum & eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum, ſine illius auctoritate ſolvi non poteſt, qui ſucceſſor eſt PETRI, & vicarius JESU CHRISTI.

§. XXXVIII.

De Renunciationibus.

Renunciationes & reſignationes, præſertim in favorem tertii, pariter nonniſi urgentibus juſtisque de cauſis, cum conſenſu legitimi ſuperioris fieri poſſunt ac debent.

Renunciatio ſeu reſignatio eſt ſpontanea beneficii dimiſſio, unde alterius promotioni locus fit, atque prælati promoti ad novam dignitatem priora beneficia & eccleſias dimittere debent; ut primum vidimus, ordineque poſt tractationem de translatione, de renunciatione agitur: qui enim de uſu pallii interferi-

ſeritur in jure canonico titulus, ſuo loco a nobis jam eſt expenſus.

Renunciatio autem alia eſt tacita, alia expreſſa. Tacita fit facto aliquo reſignationem ſignificante, vel ex diſpoſitione juris importante: ut ſi clericus matrimonium contrahat, aut beneficiatus alterum beneficium cum alio incompatibile ſuſcipiat.

Ipſe character ſacri ordinis clericos ſaltem in majoribus conſtitutos inſolubili vinculo eccleſiæ ſacroque miniſterio conſtringit, unde tales apoſtatæ ordinis in ſynodo Romana vocantur: *De his autem clericis, qui tonſuram projiciunt, & a clericatu recedunt, quos apoſtatas Julianiſtas jure vocitamus, ſtatuimus ut niſi ad profeſſionem clericatus redierint, omni chriſtiana communione priventur.* Non ſolum canones veteres eccleſiaſtici, ſed etiam leges Juſtinianeæ contra tales cenſuram ſtringunt. Et concilium Tridentinum errorem Novatorum characterem ſacri ordinis negantium damnavit: *Quoniam vero in ſacramento ordinis, ſicut & in baptiſmo & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri poteſt, merito ſancta ſynodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, novi teſtamenti ſacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere, & ſemel rite ordinatos iterum laicos effici poſſe, ſi verbi DEI miniſterium non exercent.* Eſtque ſingularis etiam canon ac anathema in eundem errorem. De illis vero, qui incompatibile beneficium cum altero ſuſcipiunt, ſuperiore §. diximus.

An. 1059. in decreto Nic. II.

Seſſ. XXXIII. c. 4.

Ib. can. 4.

Agitur nunc de titulo ſingulari in jure canonico *de reſignationibus.* Ea autem legitima definitur eſſe reſignatio, quæ fit verbis expreſſis coram legitimo ſuperiore eam acceptante.

te. Statuitur vero ſtatim a capite, non dari licentiam cedendi epiſcopo, qui propter ſenectutem etiam id facere vult, ſi neceſſarius vel utilis ſit eccleſiæ ſuæ. Poſt alia autem ex INNOCENTII III. reſcripto ad epiſcopum Calaritanum, ſex cauſæ ponuntur, ex quibus epiſcopi poſſunt petere, & papa conſuevit concedere cedendi licentiam, quæ memoriæ cauſa his verſibus comprehenduntur: *Cap. I. h t.*

Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Alias contingit, ut infirmitatibus preſſi aut grandævi prælati coadjurores ſibi aſſocient, in quos aut partem aut totum ſuum transferent munus. Cujus rei quædam etiam in antiquitate eccleſiaſtica habentur exempla. Diſcimus ex TRITHEMIO medio ævo id admodum commune fuiſſe, quin tamen coadjutores hujusmodi ordinationem acciperent, aut inſignia epiſcopalia portarent. Quod fieri ſolet hodie, ut qui renunciant reſignantque, certas ſaltem ſibi penſiones ad dies vitæ reſervent. *In chronic. T. I. p. 112.*

Quod fit non raro in favorem tertii, præſertim in minoribus beneficiis non electivis: quæ ipſa tamen nonniſi coram ſummo pontifice fieri poteſt; niſi per modum commendationis potius, quam rigoroſæ obligationis certa aliqua perſona nominetur: quo caſu jure haud prohibetur epiſcopus perſonæ commendatæ, ſi ad beneficium idonea fuerit, illud conferre: quod facilius & frequentius fit in dignitatibus & præbendis non habentibus annexam curam animarum.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

De supplenda negligentia in collationibus.

Sicuti in electionibus, ita etiam in collationibus beneficiorum, quando tempore a jure præscripto non fiunt jus illud ad superiorem devolvitur ad supplendam prælatorum & patronorum negligentiam.

Post titulos *de electione*, *translatione & renunciatione* subjungitur immediate *de supplenda negligentia prælatorum*: quod licet in pluribus aliis causis locum habeat, agitur tamen hic in jure canonico de supplenda negligentia prælatorum inferiorum in collatione beneficiorum: si tempus a concilio Lateran. præfixum prætereatur, sex nimirum mensium a die innotescentis vacationis; quo termino elapso ab inferiore prælato v. g. abbate, præposito, cui jus conferendi ex privilegio vel præscriptione competit, ad episcopum, ab episcopo ad capitulum, a capitulo ad archiepiscopum, ab hoc denique ad summum pontificem devolutio fiet: ita ut, si is, ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateran. concilii conferat, non valeat collatio, nisi de misericordia toleretur, ut habetur *cap.* 4. & 5. *h. t.* Ita rescripta habent summorum pontificum, referunturque hoc titulo in decretalibus GREGORII IX. Ac primum quoad devolutionem habetur decretalis CLEMENTIS III.

Cap. 2. h. t.

„ Sicut nobis tua fraternitas intimavit, mo-
„ nachi quidam & canonici regulares, eccle-
„ sias, quæ ad præsentationem eorum perti-
„ nent, in tuo episcopatu habentes propriis
„ usibus deputare nituntur: nec volunt ad eas,

„ cum

cum vacaverint, vocare perſonas: quin potius occaſione conceſſionis quorumdam epiſcoporum, vicarios in eis pro ſua inſtituunt & deſtituunt voluntate, admiſſos ita penſionibus onerantes, quod nec eccleſiis poſſunt in paupertate nimia deſervire, nec epiſcopo in epiſcopalibus reſpondere, neque hoſpitalitatem (ſicut convenit) tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem, ut ſtatus eccleſiæ debitus & antiquus, per inſolertiam alicujus ſubvertatur, mandamus, quatenus (niſi a jurisdictione tua exemtæ ſint eccleſiæ ſupra dictæ) prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare. Et niſi prædictæ perſonæ intra tempus Lateranenſis concilii conſtitutum, ad vacantes eccleſias tibi perſonas idoneas præſentaverint, ex tunc tibi liceat (appellatione remota) eisdem ordinare rectores, qui eis præeſſe noverint & prodeſſe; ita tamen, quod ex hoc nullum patronis præjudicium in poſterum generetur." Unde patet, rem hanc patronos quosvis concernere; laicis etiam minus tempus quatuor tantum menſium jure conceditur. A CLEMENTE V. ſtatuitur in conc. Vienneſi circa monaſteria exemta, ac permittitur diœceſanis apoſtolica auctoritate negligentiam ſuper hoc implere, ſi beneficio intra tempus conſtitutum non provideant. Quoad pontificem ipſum, ſi archiepiſcopus negligens in hoc fuerit, refertur INNOCENTII III. decretum: *Ne igitur jus noſtrum negligere videamur, qui alios in ſua juſtitia confovemus: mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit archidiaconatum Richemundiæ vacaſſe per annum (tempore ſemeſtri, quo vel ad archiepiſcopum, vel ad capitulum donatio pertinebat non a vacatione, ſed a notitia computa-*

Cap. quia regulares Clement. L. I. tit. 5.


Decretal. cap. 3. h. t.

putato) cum pro eo, quod Eboracensis archiepiscopus alium superiorem non habet, ex tunc fuerat ad nos devoluta, utique super eo silentium imponatis. Digna alibi hujus rei redditur ratio: *Ne pro defectu pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis ecclesia viduata grave dispendium patiatur.*


De elect. c. 41.

Currit etiam jus illud ex sententia canonistarum, si indignus ad beneficium promoveatur: cum censeat INNOCENTIUS III. *Juxta communem modum loquendi illam dici ecclesiam viduatam, quæ licet episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere.* Quod idem valet de aliis dignitatibus & beneficiis præsertim curam animarum habentibus. Qua in re episcopo imprimis incumbit cura in sua diœcesi sive plenum jus collationis, quod ad ipsum proprie spectat, quoad omnia beneficia obtineat; sive alii patroni gaudeant privilegio præsentandi, quod supremæ inspectioni episcopali circa curam animarum nihil derogat, imo supponit illam.

Cap. 2. *de translat. episc.*



SECT. II.



SECTIO II.

DE REBUS, ET BONIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De rebus ſacris ad forum eccleſiaſticum pertinentibus.

§. LX.

Officii divini ſacræque liturgiæ conſtitutio legitima nimirum poteſtas ordinandi ſacra publica, primaria juris ſacri ſeu canonici eſt pars, partim divini, partim eccleſiaſtici. Officium divinum ac liturgia.

Inſtitutiones Jo. LANCELLOTTI ſecuti, poſtquam de perſonis ſacris egimus, ordine de rebus eccleſiaſticis illarumque tractatione & adminiſtratione videndum eſt. Summa, juxta eundem, rerum eccleſiaſticarum diviſio in duos articulos deducitur: nam aut ſpirituales ſunt, aut temporales. Spirituales ſunt, quæ ſpiritui deſerviunt, atque animæ cauſa ſunt inſtitutæ: uti ſacramenta eccleſiæ, altaria, & his ſimilia. Temporales ſunt, quæ non tam ſpiritus, quam corporis gratia pro eccleſiaſticis miniſteriis, ſacrorumque uſu ſunt *Lancell. inſtitut. Lib. II. tit.* 1.

comparatæ: uti ſunt prædia, domus, & fructus decimales. Addunt alii tertium quoddam genus rerum mixtarum, quarum natura tum a civili tum ab eccleſiaſtica atque liturgica legislatione dependet. Sed cavendum, ne diſtinctio illa ſimultates, uſurpationes, & confuſionem rebus ſacris inferat, præſertim ſi ad ea ſumatur, quæ ſacerrima ſunt in religione chriſtiana, ſacramenta nimirum, quale eſt matrimonium: quod ſolum ac ſepulturam J. S C H I L T E R U S Lutheranus in inſtitutionibus juris canonici inter res mixtas recenſet; inter Gallos autem potiſſimum, quibus Belgæ accedunt, hac & ſuperiore ætate magna contentione eſt diſputatum. Nos principia theologiæ canonicæ dantes ordine de his nunc tractabimus, quatenus res ſacræ ſunt & ſpirituales divini officii pars, imprimis matrimonium, novi teſtamenti ſacramentum. Sed quoniam univerſas theologiæ partes octo diſtinximus, quæ ſubſequentur duæ de ſacramentis aliiſque rebus liturgicis, proprium locum habent, ut hic breviſſime attingi ſaltem debeant res hujusmodi, primaria juris ſacri ac canonici pars liturgia ſeu officium ac miniſterium ſacrum publicum chriſtianæ religionis, atque adeo juris divini, quoad ſubſtantiam in prima decalogi tabula adumbratum, a C H R I S T O renovatum, ab apoſtolis formatum; ut tamen, quatenus per canones eccleſiaſticos ritibus & cæremoniis variis ſecundum varias temporum & locorum circumſtantias determinatur, juris eccleſiaſtici ſit atque objectum præcipuum inſtitutionis canonicæ, & legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ ſeu hierarchiæ, quæ auctoritate pollet ſacra, ordinandi officium divinum ſeu liturgiam in publicis precibus & conventibus, aliiſque exercitiis religionis & pietatis.

Sem-

Semper in ecclesia sacram liturgiam ac officium divinum publicum obtinuisse acta nobis apostolorum produnt. Ubi etiam jam horæ quædam notantur orationis, quæ deinceps ab ecclesia sunt accuratius constitutæ, & canonicæ vocantur: *Propheta dicente*, ut habetur in decretalibus GREGORII IX. *Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus a nobis impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, & completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus: nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait: Media nocte surgebam &c. Ergo his temporibus laudes creatori nostro super judicia sua justitiæ referamus.* Statuitur ibidem: *Ut presbyter mane matutinali officio expleto pensum servitutis suæ, videlicet primam &c. persolvat: ita tamen ut horis competentibus juxta possibilitatem, aut a se aut a scholaribus publice compleantur.* In concilio autem Lateranensi sub INNOCENTIO III. sub pœna suspensionis districte præcipitur in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quia negligebant quidam non solum clerici minores sed & prælati, quantum eis DEUS dederit, & studiose celebrent pariter & devote. Varii autem abusus notantur pariter in concilio Viennensi sub CLEMENTE V. & referuntur in ejus decretalibus, ut corrigantur. Clerici autem minores ibi dicuntur respectu prælatorum, etiam in majoribus ordinibus constituti.

Act. XIII. 2.

Cap. 1. E. III. tit. 41. de celebrat. missarum &c.

C. 9. h. t.

Clementin. C. gravi 1. h. t.

Constitutionibus aliis apostolicis eadem obligatio stringitur recitandi horas canonicas, ita ut omittens non tantum graviter peccet, sed etiam ad restitutionem fructuum pauperibus vel fabricæ beneficiorum faciendæ teneatur.

Quod etiam de beneficiis curatis eſt intelligendum, ut clare expreſſit LEO X. in concilio Later. in ſua bulla, quæ incipit: *Superna diſpoſitionis.* 5. §. 38. Et PIUS V. in alia bulla, quæ incipit: *Ex proximo &c.* Eſtque ea obligatio omnium, qui in ſacris ſunt conſtituti quoad recitationem privatam. Publice autem in eccleſiis cathedralibus & collegiatis hora & loco competenti perſolvuntur, & conſtituunt partem præcipuam divini officii ac liturgiæ. Cujus palmaris pars eſt ſacrificium miſſæ, obligatione incumbente, ſaltem diebus dominicis & feſtivis illud audiendi omnibus fidelibus, celebrandi autem parochis, & reliquas partes officii divini peragendi tam publice, quam privatim. Qua in re pro inſtituto perſonarum eccleſiaſticarum variæ ſunt obligationes, ſecundum ritus ab ecoleſia præſcriptos, qui *rubricis* determinantur in pſalteriis lectionariis, antiphonariis & ſacramentariis. Rubricarum nomine inde veniente, quod paucis verbis ac litteris rubris ordo precum & officii divini conſtitueretur. Alia autem legibus & canonibus eccleſiaſticis conſtituuntur, tum generalibus totius eccleſiæ, cum particularibus a legislatoribus eccleſiaſticis ordinariis, quibus obſtringuntur fideles, & ad eccleſiam pertinet ſacra ordinare, quoad omnia exercitia religionis & pietatis, ſtatis locis & temporibus, imprimis diebus feſtis, tam quoad actus religioſos præceptos, quam ceſſationem ab iis rebus, quæ ſacras functiones impedire poſſunt, ſervilia opera, negotiationes. Quo etiam jejunia pertinent ſeu abſtinentia a cibo & potu quoad qualitatem & quantitatem.

Cap. presbyt. 2. diſt. 93. & extra de celebrat. miſſ. 1.

§. XLI.

§. XLI.

Sacramentorum dispensatio unice ad ecclesiam spectat, quæ vel ad ingressum ecclesiæ, vel ad progressum in ecclesia, vel ad egressum ab ecclesia, vel ad totius ecclesiæ profectum & subsidium pertinent. Sacramenta.

Sic nos existimet homo ut ministros CHRISTI & dispensatores mysteriorum DEI. Alia ad singulos pertinent, alia singularem involvunt statum, matrimonii vel ordinis sacri, qui ipse est ministrorum CHRISTI & dispensatorum mysteriorum. Alibi ex instituto docui amplissimam ecclesiæ esse concessam potestatem circa sacramenta; idque patebit ex tota tractatione theologiæ sacramentalis, quæ ordine sequetur post istæc principia theologiæ canonicæ. Nunc pauca sunt delibanda, quæ circa sacramenta pertinent ad exteriorem formam ecclesiæ, atque sparsim in jure canonico suos habent titulos, quos aliorum exempla secuti in ordinem redegimus. Ac quidem, quæ hactenus diximus de hierarchia, huc pertinent, quoad sacramentum ordinis: quod sicut & matrimonium ad totius ecclesiæ profectum & subsidium principaliter pertinet, ut observat LANCELLOTUS, licet ad singulos non spectent hæc duo sacramenta, sicut alia, quorum *quædam*, ut idem ait, *ad ingressum ecclesiæ sunt comparata, ut baptismus: quædam ad progressum in ecclesia, ut confirmatio, pœnitentia, eucharistia: quædam ad egressum ab ecclesia, ut postrema unctio.* Notatque, ideo ecclesiæ sacramenta nuncupari, tum quod per ea san-

1. Cor. IV. 1.

Lancell. instit. tit. 2. §. 3. Ib. §. 6.

ctificata, & cœlesti sponso matrimonii fœdere conjuncta sit; tum quod illorum dispensatio ejus credita sit ministerio. Nec valent sacramenta nisi secundum intentionem ecclesiæ ministrata, licet spiritualis potestas sine fide exerceri possit, & extra ecclesiam ab hæreticis & schismaticis sacramenta valide ministrentur, imo baptismus etiam ab infideli, qui est janua ad reliqua sacramenta & in ecclesiam: unde ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinere incipiunt baptizati.

Id. §. 8.

Lib. III. tit. 42.

Hoc respectu hic agitur de baptismo, estque singularis titulus in jure canonico, quoad finem hunc externum, qui ad hanc juris ecclesiastici partem pertinet, consistens in acquisitione juris civitatis in ecclesia christiana, & adunitione baptizati ad reliquum corpus, juxta sacram scripturam, & canones ecclesiasticos; quare etiam vocatur *character christianitatis*, quo suscepto quis ecclesiæ subest, & ad leges ejus observandas obstringitur. Et solemniter etiam in ecclesia a ministris ecclesiæ administrari debet, prohibetque CLEMENS V. in concilio Vienen. *ne quis de cætero baptizare audeat extra ecclesiam, ubi ad hoc fontes sunt specialiter deputati. In aulis vero vel cameris, vel aliis privatis domibus baptizare non licet, nisi talis necessitas emerserit, ut ad ecclesiam nequeat absque periculo haberi accessus; aut nisi sint liberi regum ac principum, quibus valet in hoc casu deferri. Qui autem secus præsumserint, aut suam in hoc casu præsentiam exhibuerint, taliter per episcopum castigentur, ut alii attentare similia non præsumant.*

1. *Cor. XII.* 13. *Ephes. IV.* 4. *&c. Conc. Arausc. c.* 25. *Tolet. XII. c.* 5. *Clement. c. præsenti h. t.*

Sacramentum confirmationis per episcopum administratur, eucharistia autem per reliquos

etiam

etiam ſacerdotes, ſed conſecratio nonniſi in ſacrificio miſſæ cæremoniis ab eccleſia præſcriptis facienda eſt; licet pro infirmis in eccleſia aſſervetur, commodo tempore illis a ſacerdotibus miniſtranda. Quæ aliaque apud GRATIANUM *diſt.* 2. de conſecratione habentur: cum nonnunquam vetus praxis variarit, & temporibus perſecutionum privata communio fidelibus indulta fuerit. Unde nonnulli proteſtantes in errorem de poteſtate fidelibus communi circa adminiſtrationem eucharıſtiæ inciderunt. Euchariſtiæ communio eſt etiam ſignum profeſſionis ac ſubjectionis illi eccleſiæ, in qua quis communicat. Atque ab ea indigni veteri præſertim diſciplina pœnitentiæ arcebantur, conſtituitque præcipuam partem juris eccleſiaſtici in coercendis puniendisque peccatis: cum jam pœnitentia privata ſit in uſu, eaque ſingulorum peccatorum ſemel in anno fieri præcepta in concilio Lateran. pariter ac communio tempore paſchali. Quoad confeſſionem pariter id obtinet, fuitque olim ſtatum Quadrageſimæ tempus. Extrema unctio in periculoſis morbis ſumenda eſt, oleo ab epiſcopo ſingulariter conſecrato, ſingulis annis renovando & religioſe ſervando, unacum cæteris ſacris rebus. Qua de re ſingularis eſt titulus de cuſtodia euchariſtiæ, chriſmatis & aliorum ſacramentorum, rebusque ad eorum adminiſtrationem pertinentibus.

Cap. omnis utriusque 21. De pœnitent. & remiſſione.

Lib. 3. & 44.

§. LXII.

Nominatim matrimonium, ejusque impedimenta.

In matrimonio ſpectantur tum ſponſalia de futuro, cum ipſum vinculum ac conjugium cum variis impedi-

pedimentis etiam dirimentibus, circa quæ conſtituenda verſatur legitima eccleſiaſtica poteſtas.

Sponſalia communiter ſumuntur *de futuro*, cum etiam *de præſenti* accipi queant, pro ipſo contractu matrimoniali, per verba præſentis temporis inito: ut *accipio te in meam uxorem*. Quibus verbis implicite mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum ſpondetur, ac idcirco ſponſalia appellantur. Quoniam vero eccleſiæ conſtanti praxi matrimonium iniri conſuevit in facie eccleſiæ, poſteaquam jam antea mutua promiſſio facta eſt (præſertim poſt concilium Tridentinum, quod matrimonium ipſum nonniſi coram parocho & teſtibus ineundum decrevit, ita ut trina denunciatio promiſſionis factæ prius facienda ſit) omnimoda eſt inter ſponſalia & matrimonium diſtinctio; ita ut illa *de futuro* tantum intelligantur, hoc autem ſit ipſa legitima viri & mulieris conjunctio in individuam vitæ ſocietatem, quomodo definiri ſolet matrimonium.

Seſſ. XXIV. c. 1.

Quoniam vero res maximi momenti *eſt* hæc vitæ ſocietas, fundamentum humanæ ſocialitatis, cura legum hic maxime invigilare debet, quæ ad eccleſiam pertinet, poſtquam in chriſtiana republica matrimonium ad dignitatem ſacramenti eſt elevatum. Quare in jure canonico integer liber quartus decretalium GREGORII IX. in hoc argumento verſatur, de ſponſalibus & matrimonio ejusque impedimentis, divortio &c. Et circa ſingula iſtæc forum eccleſiaſticum pulſatur, ac jurisdictionem ampliſſimam exercet.

Cau-

Causas autem multiplicat ipsa distinctio inter matrimonium, de præsenti & de futuro, quæ dicuntur sponsalia, seu reciproca promissio viri & fœminæ de contrahendo invicem matrimonio. Quæ utique promissio obligationem facit præsertim si juramentum intercesserit, ut etiam episcopi censurarum ecclesiasticarum severitate ad servandam sponsaliorum fidem debeant uti. Et qui sponsalia pure sine omni conditione inierunt, modis omnibus inducendi sunt, ut præstitam fidem servent, nisi sibi mutuo remittant; quod jure canonico indulgetur, etiamsi juramento firmata fuerit ista promissio, quia juramentum ipsam naturam contractus non immutat. Additurque: *Si autem se ad invicem admittere noluerint: ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* Quod non eo intelligendum est, ac si nulla gravis sit justitiæ obligatio standi promissis, præsertim jurejurando firmatis: sed quod hic monitione potius quam coactione indulgentissima mater ecclesia agendum velit. Quare infra quæstione injecta: *Qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit,* respondet: *Quod cum libera debent esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

Lib. IV. tit. 1. c. 10.

c. 2. h. t.

c. 17. h. t.

Agitur postea de desponsatione impuberum, nimirum antequam fœminæ annum ætatis duodeci-

Lib. IV. decretal.

Greg. IX. tit. 2. C. 11. h. t.

decimum, masculi annum decimum quartum compleverunt, quæ legalis dicitur pubertas: solet autem nonnunquam contingere, ut parentes infantibus suis sponsos aut sponsas deligant, de quorum sponsaliorum effectu varii expenduntur casus, nec non de valore ac dissolutione eorum statuitur, quæ quoniam rariora sunt, nihil opus est istis immorari. Veluti etiam quæ de clandestina desponsatione consequenter titulo tertio tractantur: quæ quatenus ad matrimonium ratum referuntur, concilium Tridentinum omnino invalida ejusmodi matrimonia decrevit, si aliter, quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus ineuntur. Vocari tamen etiam solent sponsalia clandestina, quæ sine testibus fiunt, aut consensu parentum; quæ quamvis suapte natura valeant, improbanda tamen sunt, & a parentibus justa de causa rescindenda. Sequitur titulus IV. *de sponsa duorum*: quod est impedimentum impediens tantum, si sint sponsalia de futuro. Quæ sollicite discernuntur hoc titulo. Deinceps autem de conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus agitur, ac de impedimentis dirimentibus variis, tum suapte natura, cum legibus: qualia complura tam impedientia matrimonium contrahendum, quam dirimentia etiam contractum inde ab antiquissimis temporibus statuit ecclesia, & jus hoc constanter assertum habuit, ut colligere licet ex S. BASILII ad DIOSCORUM epistola, qua matrimonium vidui sororem mortuæ suæ uxoris ducentis improbans, ad veterem legem ac traditionem provocat: *Quod*, inquit, *in ejusmodi rebus maximi momenti est morem, qui apud nos est,*

obji-

objicere possumus, quod is legis vim habeat; propterea quod sanctiones istæ a sanctis viris nobis sunt traditæ. Et SIRICIUS P. contra nuptias monachorum abjecto sanctitatis proposito ad publicas leges, & ecclesiastica jura provocat, quæ hujusmodi nuptias condamnent

Ad Himerium Tarracon. c. 6.

Videtur illic leges publicas, & ecclesiastica jura distinguere; cum non potuerit tunc temporis non utraque in censum venire, prout semper fuit matrimonium inter celeberrimos societatis humanæ contractus, etiam antequam a CHRISTO in dignitatem sacramenti est assumtus, aut sub tali sanctitate initus. Adhuc D. THOMAS hoc distinxit, licet suo tempore plenum jus exercuerit in matrimonium ecclesia: „ In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur esse naturæ officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis, in quantum igitur ad bonum ecclesiæ ordinatur, oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico. „

Lib. IV. cont. gent. c. 78.

Id considerantes pii principes ecclesiæ totum hoc concesserunt, ut negare non possunt, qui nostro hoc ævo jus principum circa matrimonia revocare conantur non solum Protestantes, sed etiam quadantenus catholici; non quidem ecclesiæ suum dementes, sed principi æquum statuentes, quod olim exercuerint etiam post divisionem imperii imperatores christiani, quorum variæ leges etiamnum extent in corporejuris, circa ætatem, qualitatem, cæteraque ad matrimonium spectantia, quæ haud

grava-

gravate ipsa ecclesia acceperit: cum etiam jure naturæ quædam possint requiri, sine quibus matrimonium vel illicite vel invalide ineatur, aut bonum politicum alia necessaria & convenientia flagitet. *Consequens est*, ait VAN ESPEN, *posse per civilem legem seu magistratum statui quædam impedimenta, quæ sunt necessaria aut convenientia, ut matrimonium hunc finem assequatur.* Quod ex D. THOMÆ epiphonemate nititur comprobare subnexo, ubi supra citato loco de hac re egit: *Ideo ex qualibet dictarum legum natura, humana & divina potest persona effici ad matrimonium illegitima.*

Juris eccl. P. II. tit. 13. c. 1.

Quod certe eatenus valet, quatenus ecclesia omnia ista revera in consideratione habuit, varia statuendo impedimenta, spectata non solum dignitate sacramenti, sed etiam bono naturæ, & communitatis. Nec diffitetur VAN ESPEN jam a pluribus sæculis ecclesiam, & quidem privative, & cum exclusione principum sæcularium, impedimenta dirimentia ordinasse, eaque pro temporum & locorum circumstantiis nonnunquam extendisse, vel limitasse, aut etiam relaxasse: ac per consequens negari non posse, quin ecclesia hac potestate a primis sæculis pacifice usa sit. Idem confitetur GERBASIUS, qui tractatum de potestate ecclesiæ & principum super impedimentis matrimonii edidit. Cujus prima parte vindicat ecclesiæ potestatem ponendi impedimenta, quam non a principibus acceperit, sed a CHRISTO, quave a primis sæculis usque ad hæc tempora usa sit; sed idem jus etiam principi vindicat (quamvis fateatur & exemplis demonstret, penes ecclesiam esse, leges civiles corrigere, si forsan quidquam contra jus divinum

ac

ac naturale in illas irrepserit) atque ex pietate & voluntate principum jam penes solam ecclesiam esse exercitium ponendi impedimenta. LAUNOJUS nec hoc ecclesiæ indulsit, regiam in matrimonium potestatem jugiter exercitam, singulari opere astruens & contra GALESIUM Rubensium episcopum tuitus, quem adversarium nactus est, ac post mortem J. LEULLERIUM theologum Parisiensem.

§. XLIII.

Quando de validitate matrimonii christiani occurrit quæstio & causa, ad ecclesiam pertinet judicium, aut dispensatio circa impedimenta canonica.

De quibus ad ecclesiam pertinet judicium.

Contingit non raro, ut desponsatis vel conjugatis aliquod impedimentum canonicum objiciatur, atque contra eos ad impediendum matrimonium contrahendum, vel contractum dissolvendum agatur. Ipsa sacramenti ratio demonstrat, ad ecclesiam pertinere istud judicium; unde in concilio Trident. anathema dicitur, *si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos.* Et si etiam causa principalis foret sæcularis e. g. de hæreditate filii, qui negatur esse legitimus ob invalidum matrimonium, coram judice ecclesiastico prius de validitate matrimonii decidendum est, unde altera causa dependet & dijudicatur. Nec potest hæc causa ab alio judice, utpote sacramentum concernens, agi aut decerni, multo minime propria conjugum attentatione solvi. Sic ALEXAN-

Sess. XXIV. can. 12.

XANDER II. rescripsit ad GUILIELMUM de MOMSTROLIO, prætendentem consanguinitatis occasionem, ad abjiciendam uxorem: *Unde apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem, nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere, donec episcoporum religiosorum concilium causam istam examinaverit.* Ataque ita hæ causæ episcopali solum audientia & judicio erant transactæ, contra usurpationes quasque, eis vindicato hoc jure, dum etiam abbates illud attentarent: sic cap. *accedentibus* de excessibus cavetur: „Accedentibus ad „nos de diversis mundi partibus episcoporum „querelis, intelleximus graves & grandes „quorumdam abbatum excessus, qui suis fi„nibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt „episcopalis dignitatis, extendunt, de cau„sis matrimonialibus cognoscendo &c. unde „contingat, quod vilescit episcopalis aucto„ritas apud multos. Volentes igitur in his „& episcoporum dignitati, & abbatum pro„videre saluti præsenti decreto firmiter pro„hibemus, ne quis abbatum ad talia se præsu„mat extendere, si proprium voluerit pericu„lum evitare, nisi forsan quisquam eorum spe„ciali concessione, vel alia legitima causa super „hujusmodi valeat se tueri. „ Tale privilegium fuisse abbati Cassinensi vel ex ALEXANDRO III. discimus, ubi inter alia sic rescribit: „Inquisita vero diligentius veri„tate, si per testes circumspectos omni ex„ceptione majores inveneris, quod primus „vir superstitem quarto gradu consanguinita„tis attingit, non differas divortii sententiam „promulgare. Æque enim, ut canones di„cunt, abstinendum est a consanguineis uxo„ris

Ca. 35. q. 6. c. 10.

L. V. decret. tit. 31. c. 12.

Lib. IV. tit. 14. c. ex litteris.

ris ut propriis. Cæterum tuam prudentiam „ volumus non latere, quod non ſunt cauſæ „ matrimonii tractandæ per quoslibet, ſed „ per judices diſcretos, qui poteſtatem ha- „ beant judicandi, & ſtatuta canonum non „ ignorent. „

Sic ſumma religione & circumſpectione eccleſia ſemper in hujusmodi cauſis agendum ſibi judicavit; nec facile aliquid relaxavit, quamvis eodem jure, quo conſtituendi impedimenta poteſtate pollet, etiam diſpenſare poſſit, ſecus tenenti anathema dicit concilium Tridentinum: *Si quis dixerit, non poſſe eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant.* Diſtinguendum autem eſt hic inter impedimenta & etiam inter varias cauſarum circumſtantias. Quare concilium laudatum decernit: „ Si quis intra gra- „ dus prohibitos ſcienter matrimonium contra- „ *Seſſ.* here præſumſerit, ſeparetur, & ſpe di- „ *XXIV.* ſpenſationis conſequendæ careat: idque „ *c. 18.* in eo multo magis locum habeat, qui non „ tantum matrimonium contrahere, ſed e- „ tiam conſummare auſus fuerit, quodſi igno- „ ranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates re- „ quiſitas in contrahendo matrimonio neglexe- „ rit, eisdem ſubjiciatur pœnis: non enim di- „ gnus eſt, qui eccleſiæ benignitatem facile ex- „ periatur, cujus ſalubria præcepta temere „ contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis „ impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cogno- „ ſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam „ habuit, tunc facilius cum eo & gratis diſpen- „ ſari poterit: in contrahendis matrimoniis „ vel nulla omnino detur diſpenſatio vel raro: „ idque ex cauſa, & gratis concedatur. In „ ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi in- „ ter magnos principes, & ob publicam cauſam. „

Conata eſt hic ſynodus veterem inducere diſciplinam, quoad non prævias ad contrahendum, ſed duntaxat poſteriores male contracti matrimonii toleratrices diſpenſationes, ut obſervat CHRISTIANUS LUPUS, vultque prævias diſpenſationes initiaſſe ALEXANDRUM III., INNOCENTIUM III. ac ejus ſucceſſores viam ampliaſſe. Eidem ſi credimus ſæculo decimo nulla etiam regia vel auguſta, licet in ſexto duntaxat aut ſeptimo ſanguinis vel affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia diſpenſabantur, ſed cuncta dirimebantur juxta rigorem ſacrorum canonum. Ejusmodique diſpenſationes adeo tunc ignorabat eccleſia, ut FRANCUS quidam Roma redux ſimilem ſibi datam aſſeverans a GREGORIO III. pontifice, ac ejus vigore prætendens inire matrimonium, graviſſime ſcandalizarit, & ab apoſtolo Germaniæ S. BONIFACIO, credere id recuſante, conſultus ZACHARIAS P. reſponderit: *Abſit, ut prædeceſſor noſter hoc ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac apoſtolica ſede illa diriguntur, quæ contraria eſſe patrum ſive canonum inſtitutis reperiuntur.* Notabilia ſunt, quæ laudatus LUPUS ſubjungit, de prima ut putat, diſpenſatione in quarto conſanguinitatis gradu cum OTHONE I. & filia PHILIPPI ob graviſſimam cauſam pacis publicæ: *Hinc tandem*, inquit, *ad totius imperialis cleri & populi preces diſpenſavit laudatus pontifex, ea tamen lege, ut duo ampliſſima monaſteria OTTO fundaret, omneque imperium largis eleemoſynis & ferventibus orationibus iſtud eccleſiaſticæ diſciplinæ vulnus compenſaret. Ita habes apud ARNOLDUM*

Apud van Eſpen P. II. tit. 14. c. 2.

abba-

abbatem Lubecensem in chronico Sclavorum. OTTO de S. BLASIO addit, quod Cluniacensis & Cisterciensis ordinis abbates eandem compensationem per varia suorum monachorum pia opera complere promiserint, istudque canonis vulnus acceperint in suas conscientias, & quod spondere OTTO debuerit singularum omnium ecclesiarum defensionem ac resumtionem belli sacri.

Hinc nemo jam mirabitur, quod ejusmodi dispensatio solis pontificibus reservetur: qui tamen sive in dataria sive in pœnitentiaria nonnisi in forma *commissoria* eas concedunt, sic nuncupata, eoquod dispensandi auctoritas alteri committatur auctoritate apostolica sub certis conditionibus imprimis, inquirendo, utrum preces veritate nitantur, & omnia rite sint exposita, circa legitimas dispensationis causas: quæ solent hodie fere esse in consanguinitatis & affinitatis gradibus: ac prima est angustia loci; quæ tamen in proximiori gradu secundo & tertio non admittitur, nisi juncta sit dotis incompetentia, ac insufficientia, si extra dictum locum persona nubere cogeretur, nec cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere possit, invenire possit. Quæ ipsa alias solet esse altera causa petendæ dispensationis & obtinendæ, dos minus competens juxta status conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis ut nubere possit, invenire nequeat. Tertia causa est: quod oratrix vigesimum quartum annum & ultra suæ ætatis agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Quoad terras ubi hæretici degunt, hæc etiam admittitur causa, ne hæreticis conjungi debeant catholici. Etiam datur dispen-

ratio in forma pauperum: si nimirum præter libellum addatur parochi vel alterius fide digni testimonium, quod oratores pauperes & miserabiles existant, & ex labore & industria sua tantum vivant. Notandum, quoad forum conscientiæ in pœnitentiaria solere expediri dispensationes. Quomodo autem rite peti & suo loco obtineri possint, passim theologi & canonistæ edisserunt.

§. XLIV.

Pro diversitate impedimentorum.

Variis ex caussis oriuntur aut constituuntur matrimonii impedimenta, sive dirimentia sive impedientia, indispensabilia vel dispensabilia legitima ecclesiastica potestate.

Lib. IV. cont. gentes c. 78.

C. puberes 3. de desponsf. impub.

Lib. IV. tit. 8.

Legis naturalis, divinæ & ecclesiasticæ hic habenda est ratio. *Ideo*, inquit D. THOMAS, *ex qualibet dictarum legum naturæ humanæ & divinæ potest persona effici ad matrimonium illegitima.* Naturale impedimentum est ætas impubes. Quapropter licet jus canonicum certos annos constituerit, vult tamen eum puberem haberi, *qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest.* Secus, qui ætatem habent, sed impotentia generandi laborant, inepti naturaliter sunt ad matrimonium; de quibus agitur toto titulo: *De frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi.* Hæc sola causa naturalis est, vinculum matrimonii dissolvens. Unde de conjugio leprosorum statuuntur quidem sponsalia de futuro nulla, non vinculum matrimonii jam contracti. Et ecclesia correxit indulgentiam

tiam de novo matrimonio ob diuturnum aut contagiofum morbum, vel abfentiam conjugis.

Quoniam ad matrimonium requiritur certa promiffio, confenfus in certam perfonam & libertas: hinc quando legitimæ conditiones ap- *b. L. tit. 5.*
pofitæ non complentur, vel inepta eft perfo- *6. 7. 9. 1.*
na ex voto vel delicto, vel conditione fervili, *c. 24.*
vel voluntatis abeft arbitrium, veluti in amente, aut ob violentiam, nullum eft vinculum.

Singularis eft ratio perfonarum cognationis five naturalis five legalis ac fpiritualis vinculo fibi fociatarum, ac fundatur potiffimum reverentia quadam: aut ut S. AUGUSTINUS obfervat: *Quod DEUS voluerit am-* *Lib. XV.*
pliare charitatem inter homines multiplican- *de civ.*
do vincula ejuscemodi focietatis. Ecclefia non *DEI. c. 16.*
folum confervavit gradus in veteri lege prohibitos, fed etiam auxit. Ac diu ufque ad *Levit.*
gradum feptimum inclufive fefe extendit im- *XVIII. 6.*
pedimentum, quod concilium Lateranenfe ad *XXII. 21.*
quartum revocavit tam confanguinitatis quam *Cap. non*
affinitatis. Affinitatem etiam reftrinxit ad u- *debet. 8. de*
num conjugum & cognatos alterius. Conci- *confang.*
lium Tridentinum ad fecundum gradum revo- *Seff.*
cavit cognationem ex fornicatione. Et de co- *XXIV.*
gnatione fpirituali ftatuit, ut unus tantum fi- *c. 2.*
ve vir, five mulier, juxta facrorum canonum *Ib. c. 2.*
inftituta vel ad fummum unus & una baptizatum de baptifmo fufcipiant; inter hos ac baptizatum ipfum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum. Quoad computationem jus canonicum fingulos gradus fingulis generationibus attribuit.

Impedimenta impedientia duo tantum funt ecclefiaftici inftituti, temporis claufi, & ecclefiæ interdicti.

De quibus ſingulis agemus ſuo loco de ſacramento matrimonii, quo referuntur; hic ea tantum proſecuti, quæ præciſe pertinent ad legitimam eccleſiaſticam poteſtatem in conſtituendis & diſpenſandis impedimentis, agendisque coram ſuo tribunali matrimonialibus cauſis, utpote ſpiritualibus ob ſacerrimam ſacramenti rationem. Unde ſanctiſſimum eſt matrimonii vinculum, recteque eccleſia vel maxime fuit occupata & intenta, ut ſuis legibus & canonibus dignitati ejus conſuleret; nec quisquam in eo vel illegitimus judex vel multo minus privatæ perſonæ ipſæ, nec etiam inferiores judices, excepto pontifice aut epiſcopis aliquid audeat tentare; ſemper autem vel maxime ſanctitati matrimonii ab omnibus conſulatur præſertim a parochis, ne quid legibus ſacris adverſum fiat, aut etiam ſine urgentibus juſtisque cauſis diſpenſandum petatur.

§. XLV.

Et indiſſolubili matrimonii vinculo.

De matrimonii validitate ſemper coram legitimo judice agitur; ſed rite celebratum præſertim conſummatum quoad vinculum diſſolvi amplius nequit per divortium, juſtis ex cauſis conceſſum.

Lib. IV. decretal. t. 18. *c.* 5. *h. t.*

Agitur ſingulari titulo in jure canonico de his, qui matrimonium accuſare poſſint, vel contra illud teſtari. Ac imprimis repelluntur, qui dignoſcuntur accuſationem tantum intentare ob quæſtum. Et qui factis publicis in eccleſia de contrahendo matrimonio denunciationibus ſiluit, poſtea non permittitur illud accuſa-

cusare, nisi legitime impeditum, aut primum in notitiam impedimenti se venisse, nec ad accusandum ex malitia se procedere jurejurando contestatus fuerit. Qua de causa denuntiationes jam olim in ecclesia fuerunt usitatæ, & a concilio Lateranensi ordinatæ, a concilio autem Tridentino determinatæ ad tres dies festos, nullis præterea declaratis matrimoniis clandestinis, atque jussis coram parocho & tribus aut quatuor testibus celebrari.

c. 6. h. t.

Cap. 3. cum inhibit. de cland. despons. Sess. XXIV. c. 1. de matrim.

Ita celebratum ac ratum matrimonium dissolvi adhuc potest primo bimestri per ingressum alterutrius conjugum in religionem ab ecclesia approbatam; consummatum autem indissolubile est quoad sacratum vinculum. Alia est ratio matrimonii infidelium rationem contractus civilis tantum habentis, unde indissolubilitatem illam ex institutione CHRISTI non habet; uno tamen ad fidem converso, altero in infidelitate manente dissolutio non sequitur, nec separari debent, etiamsi impedimentum dirimens intercesserit, si non jure naturali, sed positivo inductum sit, super quo dispensatur, cum juxta apostolum sanctificetur vir infidelis per mulierem fidelem, & vicissim; *Nisi tamen*, sunt pontificis verba, *post conversionem illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, velut eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutionem petenti quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundum apostolum: Frater aut soror non est hujusmodi subjectus servituti. Quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Alias ergo ob prædictas causas solvitur conjugium, & con-*

h. l. cap. 8. de divortiis.

versus contrahere potest, ut prius habetur constitutum.

De divortiis c. 7. Hoc proprie dicitur divortium, in antiqua lege Judæis ob duritiam cordis concessum, in nova autem sublatum; ut tantum detur improprie dictum divortium, seu separatio conjugum quoad thorum & cohabitationem, durante interim matrimonii vinculo; ut si de consensu conjugis vir ad episcopatum assumatur, quod in antiqua ecclesia frequens fuit, aut ad religionem transeat ac continentiam voveat. Ubi tamen pars altera similem professionem facere debet, saltem domi suæ, si nulla incontinentiæ suspicio sit. Apud GRATIANUM præterea cavetur, ne sine episcopi conscientia fiat.

Cap. 5. de convers. conjugat. c. 8. eod. t. caus. 27. q. 2. c. 23.

Quod multo magis locum habet in aliis divortii seu separationis causis, quæ sententia judicis ecclesiastici fieri debet, ac potest imprimis ob adulterium juxta evangelium, nisi & altera pars ejusdem criminis rea sit, aut culpam condonet. Aliæ legitimæ causæ separationis quoad thorum & cohabitationem censentur: dum sine periculo vitæ aut salutis cohabitare mutuo nequeunt conjuges, hæresis, incitatio ad peccatum, sævities, aut morbus contagiosus; ut tamen liberum sit iterum mutuo cohabitare; & semper præcavendum sit periculum incontinentiæ. Alia hodie est Protestantium jurisprudentia quoad divortium etiam quoad vinculum ob adulterium & alias causas.

Matth. XIX. 9.

§. XLVI.

Ecclesiæ ac alia loca sacra.

Ecclesiarum seu ædium ad cultum religionis spectantium maxime parochianarum præcipua episcopo incum-

cumbit cura, ut ædificentur, consecrentur, & reparentur, ubi id opus fuerit, ab illis, quibus id oneris incumbit.

Orare quidem omnibus in locis licet, officium autem publicum facere & sacrificium missæ celebrare nonnisi in loco sacro, ac tabula saltem consecrata. In qua seu altari, ut vocant, portatili in magnis peregrinationibus & apud exercitum idem omni in loco fieri conceditur; sed in oratoriis privatis missam celebrare aut etiam baptizare sine episcopi licentia non licet. *De consec. dist.* 1. *c.* 1. 12. *Ib. can. concedimus* 30. *Ib. can. unicuique* 33. *clericos* 44.

Quin nec ædificare licet ejusmodi loca sacra sine episcopi consensu, ut a concilio Chalcedonensi decretum est, referturque a GRATIANO his verbis: *Placuit igitur, neminem aut ædificare, aut construere monasteria, aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis episcopi.* Oratoriorum antiquissimus est usus in honorem martyrum, inde martyria dicta, ubi etiam sacrificium missæ fuit celebratum; sed cum successu temporum in privatis locis ac in privatum usum hujusmodi oratoria ac sacella ædificari consueverint, cavendum fuit, ne in præjudicium publicorum conventuum ecclesiarum parochianarum id cederet, aut etiam quæstus causa fieret: quare prohibiti sunt episcopi, consecrare ejusmodi ut apud GRATIANUM vocantur, basilicas, quas PANORMITANUS vocat templum non consecratum. Alii aptius ecclesiam principalem seu regiam suo nomine dicunt, ad quam nimirum princeps divini officii causa ventitare consuevit. Sicuti cathedralis vocatur, quæ est sedes episco- *Can.* 4. *Caus.* 18. *q.* 2. *can.* 10. *De consec. dist.* 1. *can.* 10. *In rub. tit. de consec. eccl. cum gl. in c.* 1. *de relig. dom.*

episcopalis, ubi omnibus diœcesanis sacramenta ministrari possunt, & parochialis, ad quam pertinet singularis populus, unius aut plurium vicinorum locorum.

Nova ecclesia parochialis erigi nequit, nisi una erigatur parochia; ut si locorum incolæ ita multiplicentur, ut una ecclesia contineri amplius non possint; aut si pagus ac villa ab ecclesia parochiali adeo distet, ut tempore hyemali non possint parochiani eam sine magna difficultate adire, nec valeant congrue ecclesiasticis officiis interesse. Quod ad episcopum pertinet curare, ac simul etiam de reditibus prospicere sacerdotibus, *qui*, verba sunt concilii Tridentini, *de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi .... ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam, quacunque reservatione generali, vel speciali vel affectione superdictis ecclesiis non obstantibus.* Quod si videat episcopus, quod diœcesani sui in variis locis indigeant oratoriis, iique valde sint pauperes, poterit pro construendis talibus oratoriis etiam alienare res ecclesiæ, non obstante juramento, quod præstitit de rebus ecclesiæ non alienandis; imo etiam tenetur populo indigenti super ecclesiarum institutione providere. Contrariis ex rationibus possunt juxta concilium ecclesiæ inutiles effectæ supprimi, & aliis uniri.

Cap. 3. de eccl. ædif. vel repar. Sess. XXI. c. 4.

c. 6. h. t.

Sess. XXI. de reform. c. 7.

Ecclesia autem sine consensu episcopi saltem tacito extrui non debet, & ab eo est consecranda, cæremoniis ab ecclesia præscriptis. Quæ inde ab antiquissimis temporibus solemnis fuit consecratio, nunquam iteranda, nisi pro-

profanata fuerit per exercitium profanæ religionis, aut effusione sanguinis vel seminis humani criminosa. Quo casu reconcilianda est, non noviter consecranda, nec ante reconciliationem divina officia præsertim missarum solemnia celebrare licet. Idem de contiguis cœmeteriis dicendum, quæ polluta ecclesia similiter reconcilianda sunt, ac pariter pro loco sacro computantur, ut nihil profanarum caussarum agi illic liceat, aut commercii multo minus in ecclesia domo DEI & orationis juxta CHRISTI Domini effatum.

De consec. eccl. cap. 3.

Ib. cap. fin.

Cap. 1. 5. de eccl. Matth. XXI. 12.

Quoad reparationem ecclesiarum non una ubique est ratio & consuetudo. Sicubi enim, ut in Germania nostra ipsæmet ecclesiæ proprios reditus habent ex fundatione, quæ dos ecclesiæ vocatur, aut ex oblationibus, ac piis legatis ad fabricam ecclesiæ, aliasque ipsius necessitates destinatis, huc impendi debent. Alibi plebi & populo parochiano eadem reparandi obligatio incumbit. Alibi partita est, ut alii navem, alii chorum sarta tectaque conservare debeant. Debetque ex fructibus & proventibus ecclesiæ ea restauratio aut reparatio fieri. Qui si non sufficiant, tunc omnes patroni & alii, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis percipiunt, aut in illorum defectum parochiani omnibus opportunis remediis, appellatione remota, cogi ad reparationem poterunt.

§. XLVII.

Sacrorum locorum religio immunitatem sibi exposcit, ac jus asyli non solum ecclesiasticis, sed etiam profanis

Eorumque immunitas.

nis christianorum principum legibus assertum ac constanter retentum.

Vocatur hæc immunitas localis, quæ id primum sibi vindicat, ne actus profani & sæculares, judicia & causæ non solum criminales, in quibus agitur de effusione sanguinis seu de pœna corporali, sed etiam aliæ quæcunque forenses hic agantur: *Quæcunque divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, sint prorsus extranea*, ut habet decretum BONIFACII VIII. Et ALEXANDER III. in concilio generali Lateranensi sub pœna excommunicationis prohibet, ne principes, magistratus, vel alii potestatem habentes, ecclesiis tot onera imponant, easque tam gravibus & crebris exactionibus premant. Quam constitutionem INNOCENTIUS III. itidem in concilio generali Lateranensi illimitate ac indefinite explicat, atque intelligi vult de omnibus, qui ecclesias & ecclesiasticos viros talliis, seu collectis & exactionibus &c. gravare nituntur. Sed de hac re paulo post agemus, nunc de immunitate locali tantum solliciti: quæ debet esse tam sacrosancta, ut nec hospitium sibi vindicare audeant judices ac missi imperiales, qui jurisdictionem civilem exercent. Pertinet huc imprimis jus asyli, quo malefactores confugientes ad ecclesias & alia loca sacra tuti sunt ac protegentur, ut extrahi vel pœna corporali sanguinis affici non possint; sed in aliam pecuniariam vel ecclesiasticam commutentur, si tradatur reus, quamvis sint gravia delicta; nisi specialiter in sacris canonibus excipiantur: veluti publici latrones, depopulatores agrorum, & qui spe immunitatis in ipsa ecclesia vel

De immunit. eccl. L. III. decretal. t. 49. c. 15. c. 2. b. t. in 6.

An. 1174. c. 4. b. t.

An. 1216. c. 7. b. t.

c. 1. b. t.

c. 6. b. t.

vel cæmeterio mutilant, furantur &c. Exceptiones has juris communis confirmavit & extendit GREGORIUS XIV. bulla *Cum alias*, ad eos omnes, *qui proditorie proximum occiderint, aut assassinii, vel heresis, aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei.* *Cap. fin. h. t.*

Jus hoc asyli alii canonistæ latæ, alii strictæ interpretationis esse defendunt, ne scelera maneant impunita, & homines tanto audacius delinquant, cum magno reipublicæ detrimento. Quod non intendit pia mater ecclesia, quæ eos haud protegit, qui in ipsis locis sacris, aut de immunitate impie præsumentes, delinquunt; neque pœnam tollit sed mitigat, atque resarcienda vult partibus damna illata. Olim episcopi solebant pro reis apud magistratus & principes intercedere, ut in concilio Sardicensi est constitutum, OSIO sic in frequenti concilio proponente: *Quia sæpe contingit aliquos, qui egent misericordia, ad ecclesiam confugere, qui propter peccata vel relegatione vel in insulam deportatione damnati, vel quavis alia sententia addicti sunt: iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione & dubitatione veniam esse petendam.* Quod intelligendum est de pœna delictis debita a potestate civili infligenda, non de ipso asylo, quod ecclesiastici juris est, fundatum etiam in veteri testamento; sed pro illis tantum, qui præter intentionem delictum perpetrarunt: quod ecclesia extendit ad actus culpa & pœna dignos non immunes præstandos, sed non atrociter cum effusione sanguinis & amissione vitæ puniendos; quapropter asylum reis præstat, tutumque semper habuit ipsis civilibus legibus assertum, quo ex tempore principes christianam sunt professi legem, licet nullæ vetustiores THEODOSIO *C. reum 9. causa 17. q. 4. Can. 7. seu 8. in collect. Dionysii.*

extent

extent leges in codice Theodosiano ac Justinianeo, ubi integer habetur titulus de his, qui ad ecclesiam, item qui ad statuas confugiunt. Prima autem, quæ habetur THEODOSII lex, declarat, nihil a se constitui, sed consuetudinem tantum ac praxin ecclesiæ firmari; veluti constat ex oratione S. GREGORII NAZ. in laudem S. BASILII, qui viduam, contra vim a præfecto PONTI intentatam ad altare confugientem, protexit. Et PAULINUS idem in vita S. AMBROSII testatur, memoratque JOANNEM præfectum ad tuitionem eorum, qui ad ecclesiam confugerunt. Maxime sacrosanctum fuit altare, quam ἄσυλον τράπεζαν vocat SYNESIUS, qui jus hoc etiam contra ANDRONICUM præfectum Ptolemaidis strenue est tuitus. At constat ex ipsis imperatoriis legibus non tantum ad altare, sed loca etiam & domos ad ecclesiam pertinentes & conterminas pertinuisse: *Inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica & januas primas ecclesiæ, quidquid fuerit interjacens, seu in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, confugus interioris templi vice tueatur.* Extat etiam in codice Theodosiano titulus de his, qui ad statuas imperatorum confugiunt, quod jus hodieque non principum solum, sed legatorum etiam hospitia arrogant. Qua de re non ita pridem Romæ ingens fuit controversia, pontificibus sese opponentibus immunitati sceleratorum. Secus ac solent alieni ab ecclesia, & irreligiosi ecclesiæ illiusque capiti imputare.

Orat. 20.

Epist. 58.

Cod. Theodos. L. IX. tit. XLV. de iis, qui ad eccles. confugiunt lege IV.

L. c.

Successu temporis ad quævis loca pia, monasteria, xenodochia, scholas, cruces, monumenta & sepulchra mortuorum, sacerdotes

SS.

SS. corpus Domini deportantes; non tamen ad oratoria privata, jus asyli est extensum. Sed non raro violatum fuit, exemplo admodum funesto in EUTROPIO, qui ARCADIO persuaserat, ut lege lata omnia hujusmodi privilegia ad ecclesiam spectantia abrogaret; sed divinam vindictam expertus, primus ipse hoc sacro perfugio opus habuit. Quam in rem insignis extat S. CHRYSOSTOMI homilia in EUTROPIUM, in qua usurpationem hanc sacri juris perstringit, cum ad ecclesiam id spectet; atque adeo interveniente leges inter & canones contrarietate his standum sit. Quare hodieque controversia est, an quæ legibus principum statuuntur, ne Judæi, infideles, & hæretici immunitate hac gaudeant, sint firma. In novella etiam JUSTINIANI XVII. exci- *c. 7.*
piuntur crimina ab hac immunitate, quæ jure canonico excepta non sunt: probeque est hic distinguendum jus utriusque fori ecclesiastici & civilis, ut dignoscatur, quid jure suo possideat & faciat ecclesia, nimirum asylum ipsum præstando, quæ est debita immunitas locorum sacrorum; pœnas autem delictis a sæculari potestate irrogandas deprecatur: uti non solum plurima antiqua exempla ostendunt, sed etiam jus novum decretalium GREGORII IX. distinguit, & in- *Lib. III.*
violabile vult esse asylum, pœnam autem *t. 49. c. 6.*
deprecandam. „ Quantumcumque gravia ma- „ leficia perpetraverit non est violenter ab ec- „ clesia extrahendus: nec inde damnari debet „ ad mortem vel ad pœnam, sed rectores ec- „ clesiarum sibi obtinere debent membra & „ vitam. Super hoc tamen quod inique fe- „ cit, est alias legitime puniendus. „ Atque

optan-

optandum quam maxime eſſet, ut ſaltem in ejusmodi caſibus pœnis medicinalibus eccleſiaſticæ pœnitentiæ publicæ locus eſſet hodieque ut olim, ne eccleſia videretur immunitati ſcelerum patrocinari.

§. XLVIII.

Res aliæ ſacræ dies feſti & jejuniorum.

Non minus aliarum ſacrarum rerum, quam locorum cura & reverentia eſt habenda, ad cultum & officium divinum ſpectantium, ut debite & remota ſuperſtitione celebretur.

Sunt res ſacræ, quas nec tangi quidem licet a laicis, aut ab aliis quam ſacerdotibus ac miniſtris ſacramentorum, velut ſacroſancta eucharistia, oleum catechumenorum, infirmorum, ſacrum chriſma. Quod ſingulis annis conſecratum ab epiſcopo obtinere debent parochi, vetus autem decenter comburere in lampadibus eccleſiæ aut cum ſtupis, novum vero ſub fidei cuſtodia conſervare clavibus adhibitis. „ Ne poſſit ad illa temeraria manus „ extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, „ graviori ſubjaceat ultioni. „ Ut ſtatutum eſt in concilio Lateran. ab INNOCENTIO III. referturque c. 1. *de cuſtodia eucharistiæ, chriſmatis & aliorum ſacramentorum.* Et mox additur: „ Relinqui noluimus incorrectum, „ quod quidam clerici eccleſias ſic exponunt „ ſup-

Diſt. 95. presbyteri.

Decretal. Lib. III. tit. 44. c. 1.

Ib. cap. 2.

ſuppellectilibus propriis & etiam alienis, ut „
potius domus laicæ, quam DEI baſilicæ vi- „
deantur: non conſiderantes, quod Domi- „
nus non ſinebat, ut vas transferretur per „
templum. Sunt & alii, qui non ſolum ec- „
cleſias dimittunt incultas, verum etiam va- „
ſa miniſterii, & veſtimenta miniſtrorum, ac „
pallas altaris, nec non ipſa corporalia tam „
immunda relinquunt, quod interdum ali- „
quibus ſint horrori. Quia vero zelus nos co- „
medit domus DEI: firmiter prohibemus, „
ne hujusmodi ſuppellectilia in eccleſiis ad- „
mittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut „
incendia repentina, ſeu alias neceſſitates ur- „
gentes, ad eas oporteat haberi refugium, „
ſic tamen ut neceſſitate ceſſante res in lo- „
ca priſtina reportentur. Nimis enim vide- „
tur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ „
dedecerent etiam in profanis. „ Mox ſub- *Ib. tit.*45.
ſequitur titulus de reliquiis & veneratione San- *cap.* I.
ctorum, ubi poſtquam ex ALEXANDRI III.
decreto relatum eſſet; *etiamſi per defunctum miracula plurima fierent; non licere tamen, ipſum pro ſancto venerari absque auctoritate Romanæ eccleſiæ.* Circa reliquias ex INNOCENTIO III. in concilio generali ſtatutum refertur: *Cum ex eo, quod quidam San-* *An.*1216.
ctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, chriſtianæ religioni detractum ſit ſæpius, ne impoſterum detrahatur, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos, qui ad eorum eccleſias cauſa venerationis accedunt, variis

figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quaestus fieri consuevit. Hæc in concilio Tridentino explicata sunt & firmata: *Ut omnis superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione & imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate non pingantur, nec ornentur: & Sanctorum celebratione ac reliquiarum visitatione homines ad commessationes atque ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Hæc, ut facilius observentur, statuit sacra synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exemta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante episcopo.* In Clementinis h. t. longum refertur decretum de celebratione festi Corporis CHRISTI. Et eodem titulo extrav. de festo Conceptionis B. V. immaculatæ. In sexto autem decretalium solemnitas festorum SS. apostolorum & quatuor ecclesiæ doctorum decernitur, ut alia taceam consuetudine introducta. In decretalibus GREGORII IX. subditur titulus de observatione jejuniorum, ubi de vigiliis potissimum agitur, festo nativitatis Dominicæ incidente in feriam sextam, quo, qui nec voto nec regulari observantia sunt ad abstinendum adstricti, carnibus propter festi excellentiam uti possint secundum consuetudinem ecclesiæ generalis. De indulgentia erga eos, qui in tantæ famis inedia, ut magna pars populi pro-pter

Sess. XXV. decret. de invocat. & vener. SS.

C. cum praeexcelsa I. & C. grave nimis 2.

c. 1. & 2.

c. 3.

pter inediam periret, carnes comedere ſunt coacti. Ibidem de aliis relaxationibus jejuniorum Quadrageſimæ porro agitur. Quæ diſpenſatione epiſcoporum determinari ſolita explicatione non egent; ſicut nec quæ ſequenti titulo de purificatione poſt partum habentur.

§. XLIX.

Sepultura inter res ſacras ac jura parochialia computatur, nemini in cœmeterio ſeu loco conſecrato concedenda, niſi qui in fide & communione eccleſiæ catholicæ in Domino defunctus ſit. Sepultura.

S. HIERONYMUS de hac re, exemplis & doctrina tam veteris quam novi teſtamenti comperta, ita ſcribit de obitu BLESILLÆ: *De MOYSE vero, & AARON, quod eis ex veteri more ſit planctus exhibitus, non mirandum eſt, cum & in actis apoſtolorum, jam evangelio coruſcante, STEPHANO fecerint Jeroſolymæ fratres planctum magnum & utique planctus magnus non in plangentium examinatione, ut tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus eſt.* Eadem exempla utriusque teſtamenti S. AUGUSTINUS commemorat: *Antiquorum*, inquit, *juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa, ipſique dum viverent de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt, & TOBIAS ſepeliendo mortuos DEUM promeruiſſe, teſte angelo, commendatur. Ipſe quoque Dominus*

Epiſt. ad Paulam.

Lib. I. de civit. DEI c. 13.

die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice ungendum sepeliendumque curarunt. Sed legendus est integer ejus de cura pro mortuis liber.

Antiquissimus est apud christianos cœmeteriorum usus, a dormitione ac somno proprie dictus, juxta apostolum, ac spem resurrectionis apud christianos. Initio tamen hoc nomen singulare fuisse videtur sepulchris martyrum, atque adeo etiam ecclesiis. Cœmeteria, secundum ONUPHRIUM, erant christianis (quod & nunc sunt) veluti templa & orationum loca, in quibus episcopi synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum DEI concionabantur. Hinc illud scitu dignum, quod cum imperator quispiam persecutionem in christianos instaurare constituisset, ante omnia eos a cœmeteriis arcere solebat, ne in unum conveniendi eis facultas esset. Christiani nimirum persecutionis temporibus ad monumenta martyrum suorum locaque sepulturæ plerumque subterranea ac fornicibus instructa (quæ TERTULLIANUS areas sepulturarum vocat, quod nomen alibi etiam non raro occurrit) convenire solebant, & tum publicos cum privatos conventus etiam vigilias celebrabant. Quam in rem duo sunt antiquissimi Illiberitani concilii canones: *Cereos in cœmeteriis per diem placuit non accendi.* Et mox: *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committantur.* Nomen id

C. XI. de cœmeteriis.

Ad scapul. c. 3.

Can. 34.

id & consuetudo etiam deinceps perseveravit. *Contemplare*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *civitates ad martyrum sepulchra concurrentes & populos eorum amore inflammatos.* Et alibi: *Martyres beati sunt, quia sua accipiunt: ab eorum sepulchris non discedimus. Illic rex & imperator diadema regium abjicit, atque in sepulchris martyrum permanet.* Religio ea usque ad hodiernum diem in sepulchris præsertim principum apostolorum Romæ semper quam maxime conspicua fuit. De qua idem sanctus doctor: *Romæ*, ait, *quæ urbium est regalissima, relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & tabernaculorum opificis currunt & reges, & præsides & duces. Et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si propter apostolos, sed & si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges.* De CONSTANTINO id constat, quem alii deinceps imperatores sunt æmulati, fuitque olim prohibitum, ne quispiam in ecclesia sepeliretur eadem religione, imprimis quod CHRISTUS ibi immolaretur. Postea tamen mos invaluit, ut episcopis abbatibus aliisque piis & honestioribus etiam laicis in ipsa ecclesia locus sepulturæ concederetur. Alii autem saltem prope templa in cœmeteriis locis sacratis, ac unacum ecclesia dedicatis immunitateque, ut vidimus, gaudentibus, sepeliuntur, ut minus a spiritibus immundis vexentur, animæque consequantur patrocinium sanctorum, quibus ecclesia unacum cœmeterio dicata erat, vivi autem templum intrantes sæpius in suis precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur.

Hom. in psal. 115.

In ps. 48.

Hom. Quod Christus sit DEUS.

C. præcipiendum. 15. causa 13. q. 2. C. nullus. 18. causa 13. q. 2.

C. cum gravia. 17. & C. anima 22. d. q. 2.

Jam nemini mirum videatur, cur INNOCENTIUS III. abolendam consuetudinem & abominandam corruptelam vocet, si decedentibus prius non permittatur effodi sepulturam, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur. Statuitque, ut episcopi clericis inhibeant, ne quidquam exigant hac de causa. Constituta nihilominus portio canonica ecclesiæ parochiali seu parocho solvenda fuit, quarta pars funeralium & obventionum, quæ funeris causa in loco sepulturæ præstantur, & accipiuntur. Quæ quarta pars, quando sepultura eligitur, apud regulares privilegiatos sumenda & præstanda est non solum de expensis funeralium, sed etiam de omnibus legatis piis, quæ defunctus in ultima sua dispositione pro anima sua reliquit, aut universim medietas vel tertia aut quarta pars. Hinc CLEMENS III. statuit: *Ut secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa medietatem vel tertiam vel quartam partem portionis canonicæ pro locorum diversitatibus attentatur.* Portio istæc canonica ex debito sustentationis eorum, a quibus fideles sacramenta & alia divina accipiunt, est præstanda. *Ne parochiales ecclesiæ & curati, qui ministrare habent ecclesiastica sacramenta, debitis & necessariis officiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur.* Est enim jus sepulturæ parochianum.

C. 13. de sepultura.

C. 2. h. t. in 6.

C. 10. h. t.

Cap. 9. h. t.

Clementin. c. 2. h. t.

Unde, si peregrinus ac viator ad aliam parochiam spectans sepeliatur, nisi amicabiliter conveniatur, exhumari & reddi statuitur. Idem faciendum, si qui in loco sacro sepelirentur, qui hoc privilegio excluduntur, ac indigni sunt Judæi & gentiles, quibus accensentur infan-

Cap. 5. & 6. h. t.

Cap. ecclesiam 27.

fantes christianorum, qui ante baptismum decesserunt. Hæretici ac omnes illi, qui ipsis quoad hæresin præcise favorem, auxilium aut receptaculum præbent: notorie excommunicati, qui, dum erant in vivis, publice excludebantur a communione fidelium quoad divina. Si tamen excommunicatus, ligatus excommunicatione sedi apostolicæ aut episcopo specialiter non reservata, a suo parocho in articulo mortis solemniter in forma ecclesiæ consueta fuerit absolutus, non debent ei cœmeterium & alia ecclesiæ suffragia denegari; ita tamen, ut, si excommunicationem incurrerit ob gravia damna aliis illata v. g. per homicidium, incendium, violentam manuum injectionem in personas ecclesiasticas, violationem vel incestum, hæredes & propinqui, ad quos bona defuncti pervenerunt, pro damno satisfaciant; & si id recusent, censura ecclesiastica ad satisfaciendum compellantur. Sepultura item ecclesiastica privantur manifesti usurarii, ac omnes in notorio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso actu furti, adulterii &c. interemti, aut seipsos interimentes ex iracundia vel desperatione, sui & rationis compotes, nec ante mortem ex inflicto vulnere pœnitentes. Excipiuntur puellæ, quæ fugientes insidiatorem pudicitiæ de ponte in amnem decidentes submersæ forte sint.

de consec. dist. 1. *Cap.* 2. *de haeret. in*6. *Cap.* 12. *h. t.* *c.* 14. *h. t.* *C. fures.* 31. *causa* 13. *q.* 2. *C. placuit.* 12. *causa* 25. *q.* 5. *c.* 11. *h. t.*



CAPUT II.

De bonis ecclesiasticis.

§. I.

Sacris ministris debetur sustentatio.

Omni jure, existimatione, & usu perenni debetur sacris ministris ac pastoribus a subditis populis & ovibus sustentatio, quoad vitæ in victu & vestitu necessitates.

Ne quid referam de debito hoc ex jure naturali secundum morem usumque constantem etiam apud gentiles, & barbaras quaslibet nationes, satis sit jus illud D. PAULI verbis, & ratione stabilivisse. *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? An & lex hæc non dicit? Scriptum est in lege MOYSI: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est DEO? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? . . . . Nescitis, quod, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Ubi simul involutum & explicatum habes divinum veteris testamenti jus inviolabile, etiam in no-

1. Cor. IX. 7.

vo

vo teſtamento, a CHRISTO ſimiliter conſtitutum apoſtolo mox id atteſtante: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Ib. v. 14. Pertinet huc, quod CHRISTUS apoſtolis præcipit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim operarius eſt cibo.* Matth. X. 9. Patet hinc genuina explicatio loci hujus ac ſententiæ, quæ eadem adhuc diſſertior apud LUCAM habetur: *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Luc. X. 7. 8. Non CHRISTUS apoſtolos ſuos rebus hujus vitæ penitus deſtitutos eſſe voluit, ſed ut neceſſaria quoad victum a fidelibus, ut debitam laboris mercedem acciperent. Cum & CHRISTUS pecunias non ſuis tantum, ſed & pauperum uſibus ſervaverit: unde JOANNES de JUDA: *Quidam enim putabant, quia loculos habebat JUDAS, quod dixiſſet ei JESUS: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret.* Jo. XIII. 29. Vides non ſolum ad omnia neceſſaria ac uſus pauperum, ſed etiam ad furtum infidelis adminiſtratoris ſuppetiiſſe: *Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Jo. XII. 6. „ Ergo (inquit S. AUGUSTINUS) & Dominus loculos habuit; „ & a fidelibus oblata conſervans & ſuorum „ neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribue- „ bat. Tunc primum eccleſiaſticæ pecuniæ „ forma eſt inſtituta, ut intelligeremus quod „ Tract. 62. in Joannem.

 „ præ-

„ præcipit, non cogitandum esse de crastino, „ non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecu„ niæ servetur a sanctis; sed ne DEO pro„ pter ista serviatur, & propter inopiæ timo„ rem justitia deseratur. Sic CHRISTUS „ (ait NICOLAUS III. in decretali *Exiit.*) „ cujus perfecta sunt opera, in suis actibus „ viam perfectionis exercuit, quod interdum „ infirmorum imperfectionibus condescendens, „ & viam perfectionis extolleret, & imper„ fectorum infirmas semitas non damnaret. Sic „ infirmorum personam CHRISTUS susce„ pit in loculis. „

In sexto L. V. tit. 12. *c.* 3.

Memorantur a LUCA mulieres, quæ cum apostolis CHRISTUM sequebantur MAGDALENE, JOANNA, SUSANNA, *& aliæ multæ*, ut habet locus, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* TERTULLIANUS contra MARCIONEM *L.IV.* vult, id mysterio factum fuisse, ut *ISAIÆ XXXII.* 9. prophetia impleretur: *Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum. Consuetudinis Judaicæ fuit*, inquit S. HIERONYMUS, *nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, PAULUS abjecisse se memorat. Dicit enim ipse: Numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi sicut & cæteri apostoli hoc faciunt.* Intelligimus ex eodem S. HIERONYMO, licentia hac abusos fuisse jam olim SIMONEM MAGUM, NICOLAUM, MARCIONEM, APELLEM, MONTANUM, DONATUM, ARIUM, ELPIDIUM, qua

Luc. VIII. 2. 3.

Cap. 27. *Matth.*

Epist. ad Ctesiphon.

recte

recte usi sunt apostoli, & in actibus etiam leguntur, viduas ad ministerium hujuscemodi fuisse adhibitas, ubi erant omnia omnibus communia, collatis in unum facultatibus: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Dividebantur enim singulis, prout cuique opus erat.* Refertur apud GRATIANUM ratio, cur omnia ad paratam pecuniam redegerint venditis agris & domibus: *Futuram ecclesiam in gentibus apostoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes.*

Act. IV. 27.

12. q. 1. c. Futuram.

Ne quis existimet bonorum hujusmodi possessionem cum primitiva praxi pugnare, aut puritati ecclesiasticæ haud convenire, prout nuperrime doctor Hallensis BAUMGARTEN paradoxe in dubium revocavit, an ecclesiæ competat proprietas bonorum, quasi alias CHRISTUS formam reipublicæ instituisset, quam isti solent ecclesiæ negare; sed D. PFAFFIUS hoc paradoxum satis revicit, licet statuat solummodo, ecclesiam collegium tantum esse instar aliarum societatum in statu erectarum. Sed de hac re jam suo loco superius vidimus. Nec opus est pluribus ex antiquitate sanctisque patribus & doctoribus rem firmare. Imprimis S. CHRYSOSTOMUS in hac materia frequens & copiosus fuit, ut etiam suis consacerdotibus ruborem injiceret; nec tamen cessandum duxit ab ingerenda inculcandaque hac obligatione fidelibus ob eorum salutem. Legi tamen meretur liber secundus JULIANI POMERANI *de vita contemplativa*; ac epistola VEN. BEDÆ ad EGBER-

Hom. 43. in 2. Corinth.

Ed. Paris. 1666. p. 46.

EGBERTUM, & expendi illa apostoli
1. Tim. V. 17. verba: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

§. LI.

Ac bona largissime in ecclesiam sunt profusa.

Largissime pluribus ex scaturiginibus in ecclesiam inde a primis suis incunabulis redundabant bona, atque cum ipsa crescebant invalescebantque.

S. PAULUS non solum in suis epistolis passim ad hoc hortatur, sed etiam munus id in se suscepit, ecclesiisque, quas fundavit, or-
Gal. VI. 6. dinavit faciendas collectas. *Communicet autem*, scribit ad Galatas, *is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, DEUS non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Bonum facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes.* Significat autem Corinthis, quæ in ecclesiis Galatiæ in hac re
1. Cor. VI. 1. 2. ordinaverit, & apud ipsos fieri vult: *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei placuerit: ut non cum venero tunc collectæ fiant.* Philippenses
Phil. IV. 15. 16. 17. autem ejus gratia laudat: *Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundan-*

tem

tem in ratione vestra. Ex actibus etiam apostolorum & passim ex D. PAULI epistolis constat, apostolum in se suscepisse deferendi hujusmodi pias erogationes & collectas, quibus ecclesiæ tunc mutuo sibi succurrebant in necessitatibus: quales tunc erant imprimis ecclesiæ, Hierosolymitanæ, ac reliquæ Judææ ob ingruentem famem: *Discipuli autem,* narrat de ecclesia Antiochena LUCAS, *prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus BARNABÆ & SAULI.* Laudatissima ea olim fuit ecclesiæ Romanæ munificentia. *Hæc vobis*, sunt DIONYSII Corinthi episcopi verba apud EUSEBIUM, *consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis & ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis.* DIONYSIUS ALEX. apud eundem EUSEBIUM, quousque terrarum hæc largitas ierit, & quæ provinciæ eam expertæ sint, commemorat: *Syriarum quidem provinciæ omnes cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis.* Illustrari hinc queat, quod singulare commemorat de ecclesia Romana THEODORUS lector, eam post multa etiam subsecuta tempora res immobiles haud possedisse; forte quod possessiones obvenientes mox divenderent & in suas portiones distribuerent, quales tunc obtinebant. *Quæ nunc*, inquit S. CYPRIANUS, *ratio & forma in clero tenetur, ut qui in ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis*

Luc. XI. 29.

Lib. IV. c. 23.

Lib. VII. c. 5.

Lib. II. collect.

Ep. 66.

& negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedunt. Alibi non semel vocat has *divisiones mensurnas*, seu *sportulas* singulis
Ep. 34. mensibus fieri solitas: *Presbyterii*, inquit, *honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Sermone seu libro de eleemosynis & alibi fidelium etiam lapsorum, epistola de lapsis, largitatem stimulat. TERTULLIANUS vero alienus ab ecclesia catholica factus, istud etiam in invidiam passim adducit. Alias vero collaudat, spontaneam hujusmodi stipem, *menstrua die*, ut vocat in apologetico. *Hæc*, pergit, *quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis &c.* Idem JUSTINUS M. in apologia II. refert. Et S. IRENÆUS christianorum largitiones non contentas decimis, ut olim in veteri testamen-
Lib. IV. c. 34. to, deprædicat: *Propter hoc*, inquit, *illi quidem decimas suorum habebant consecratas, qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos decernunt usus, hilariter & libere dantes ea non quæ sunt minora, utpote majorem spem habentes.* Eodem modo argumentatur ORIGENES præsertim homilia II. in Numeros. Et in JOSUE,
Hom. 17. „ Lex DEI (inquit) sacerdotibus commissa „ est, & Levitis, ut huic soli operam tribuant, „ & verbo DEI absque ulla sollicitudine va„ cent. Sed interim ut vacare possint, lai„ corum uti ministeriis debent. Si enim lai„ cus quæ necessaria sunt, non præbuerit sa-

„ cer-

cerdotibus & Levitis occupati illi in talibus „ ide est, in corporalibus curis, minus DEI „ legi vacabunt; illis autem non vacantibus, „ neque operam dantibus legi DEI, tu peri- „ clitaris: obscurabitur enim lux scientiæ, „ quæ in illis est, te non subministrante oleum „ lucernæ, & culpa tua illud eveniet, quod „ dixit Dominus: *Quia si cæcus cæco duca-* „ *tum præbeat, ambo in foveam cadent.* Sed „ & illud in te complebitur, quod Dominus „ dixit: *Si enim lux, quæ in te est, tenebræ* „ *sint, ipsæ tenebræ quantæ sunt.* Ut ergo „ lux scientiæ in sacerdotibus fulgeat, & lu- „ cerna eorum sit semper accensa, tu imple „ officium tuum, comple mandatum DEI er- „ ga obsequia sacerdotum. Quodsi forte su- „ sceptis a te, quæ necessaria, & sic non qua- „ si avaritiam, sed quasi benedictionem, illi „ neglexerint eruditioni operam dare, & „ verbo DEI vacare, & in lege DEI medita- „ ri die ac nocte, ipsi videbunt quomodo pro „ animabus vestris reddant Domino rationem. „

Dolet S. CHRYSOSTOMUS, quod ava- *Hom.* 85. ritia populorum ecclesiam adigat, terras, do- *in Matt.* mos, ac alias res & facultates possidere, cum ex manibus fidelium debuerat percipere. Eadem ratio, quæ in ecclesia apostolica hujusmodi immobilia bona non adeo proficua reddebant, deinceps substitit persecutionum temporibus, quæ etiam si quæ erant, diripiebantur & fisco addicebantur, ab ipso MAXIMINO jussa sunt ecclesiæ restitui, ut ex EUSEBIO discimus: *Ut si quæ domus aut lo-* *Euseb. lib.* *ca ad jus christianorum antehac pertinentia,* *IX. c.* 10. *ad jus fisci devoluta sunt, aut ab aliqua civitate occupata, aut certe vendita, aut alicui dono donata, cuncta ad pristinum jus*

ac dominium christianorum revocentur. Cujusmodi legem CONSTANTINI idem memorat: *Quoniam christiani non solum ea loca, in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quæ non privatim ad singulos ipsorum, sed ad jus corporis pertinerent, hæc omnia post legem a nobis memoratam absque ulla dubitatione iisdem christianis, hoc est, cuilibet corpori & conventiculo ipsorum restitui jubebis.* Ibidem ejusdem CONSTANTINI ad ANULIUM refertur epistola: *Ut sive horti, sive ædes, seu quodcunque aliud ad jus earumdem ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocyus restituantur.* Quam deinceps aliis legibus cautum voluerint pii imperatores, rebus ecclesiæ, quam ea auxerint, ex ipso principis ærario, martyrum hæreditatibus, bonis clericorum sine hæredibus & testamento decedentium, reditibus templorum, paganorum, rebus hæreticorum, clericorum ecclesiam relinquentium &c. nihil opus est commemorare; tantum id notare licet, decipi eos, qui largitiones in ecclesias legibus præsertim VALENTIANI I. cohibitas fuisse volunt, dum nonnullorum, divitiis viduarum & pupillorum insidiantium, sordidam avaritiam coercuit.

Lib. X. c. 5.

Cod. Theodos. lib. XVI. tit. 2. de episc.

§. LII.

Ex oblationibus fidelium.

Oblationum a primordiis ecclesiæ varia fuerunt genera tum ad altare inter sacrificandum, tum alias, a vivis & pro defunctis, ad sacrificii ac aliarum rerum piarum usum.

Cano-

Canone tertio & quarto apoſtolorum diſcernuntur, quæ oblationes fieri debeant ad altare vel domi offerri: *Si quis epiſcopus vel presbyter præter Domini de ſacrificio ordinationem alia quædam ad altare attulerit, mel vel lac, vel pro vino ſiceram, vel confecta* (ἐπιτηδευτὰ) *vel aves, vel aliqua animalia vel legumina præter ordinationem, deponatur, præterquam nova legumina tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare & incenſum tempore ſanctæ oblationis. Omnis autem alius fructus domum mittatur primitiæ epiſcopo & presbyteris. Clarum autem eſt, quod epiſcopus vel presbyteri diaconis & reliquis diſtribuunt.* Cum primi chriſtiani nocte plerumque convenirent, largior debebat eſſe ad luminaria proventus, & oblatio pariter ac incenſi, atque ad frequentem communionem panis ac vini, nec non ad agapas. Reliqua quæ erant ad ſuſtentationem clericorum & aliarum canonicarum perſonarum, hoſpitum, viduarum, orphanorum, ægrotorum, aliorumque pauperum, confeſſorum, qui in cuſtodiis erant, in metallis &c. tum aliis rebus, cum etiam pecunia conferri potuerunt, pro cujusque facultatibus & pia voluntate: „ Qui copioſiores ſunt, (inquit JUSTINUS) & volunt, pro arbitrio quisque „ ſuo, quod viſum eſt, contribuunt; & quod „ ita colligitur, apud præpoſitum deponitur; „ atque inde opitulatur pupillis & viduis, & „ his qui propter morbum & aliam ob cauſam egent &c. „ Et TERTULLIANUS jam a nobis laudatus: „ Nam inde (ait) non „ epulis, non potaculis, nec ingratis vora- „ trinis diſpenſatur; ſed egenis alendis, hu- „

Apol. 2.

Apologet. c. 39.

„ mandisque, & pueris, ac puellis, re ac „ parentibus destitutis, ætateque domitis se„ nibus, item naufragis, & si qui in me„ tallis, & si qui in insulis, vel in custodiis „ dumtaxat ex causa DEI sectæ, alumni con„ fessionis suæ fiunt. „ Ingens tunc fuit tam piarum causarum copia & amplissima occasio, quin & divini servitii pars, ideo haud minus ac in veteri testamento. S. IRENÆUS non spontaneæ tantum oblationis, sed necessariæ ac præcepti rem facit: „ Verbum (in-
Lib. IV. c. 34. „ quit) credit populo præceptum faciendarum „ oblationum, quamvis non indigeret eis, ut „ disceret DEO servire. Sic & ideo nos „ quoque offerre vult munus ad altare fre„ quenter, sine intermissione. „ Eandem applicationem facit EUSEBIUS in commen-
p. 448. tario in ISAJAM: „ Nam (ait) cum eccle„ sia DEI in urbe Tyriorum perinde, atque „ in reliquis gentibus fundata sit, multæ ex „ ejus mercibus negotiatione partis Domino „ consecrantur, ecclesiæ ejus oblatæ, quæ cum „ pietate a præbentibus offeruntur. „ Rationem autem ex CHRISTI præcepto desumit, ad sustentationem pastorum, ut qui evangelium annuntiant, ex evangelio vivant. S. HIERONYMUS ad priorem causam respiciens injustitiam maximam in hac piissima causa fieri consuetam incessit: „ Mul-
In Ezech. c. 18. „ tos (inquit) conspicimus, qui opprimunt „ per potentiam, vel furta committunt, ut de „ multis parva pauperibus tribuant, & in suis „ sceleribus glorientur, publiceque diaconus „ in ecclesia recitet offerentium nomina: tan„ tum offert ille, tantum ille pollicitus est; „ placentque sibi ad plausum populi, torquen„ te conscientia. „ Alia causa fuit, cur non-

nun-

nunquam pii etiam & ſancti tutius ipſis pauperibus res diſtribuendas voluerint, quam eccleſiæ offerendas, veluti de abbate SISOI, ac PEMENE memoratur in vitis PP. Et S. CHRYSOSTOMUS non quidem improbari vult eorum pium ſtudium, qui eccleſiæ vaſa, aut alias res pretioſas offerunt; ſi tamen ſe prius quis conſulat, potius argentum in pauperes diſtribuendum conſilium dare vult. Simile conſilium alios ſecutus laudat ISIDORUS PELUSIOTA *lib. II. ep.* 74. Alibi autem invidiam in clericos coarguit, ex veteris teſtamenti in Leviticos largitionibus a DEO præceptis; cum laici divites magnifice incedentes, ædificia ſtruentes &c. vix ferant clericos honeſtius veſtitos, & domi bene proviſos ex fidelium munificentia ac oblationibus, quas avari non raro facere negligebant, etiam quæ ad altare inde ab antiquiſſimis temporibus fiebant. „ Locuples (inquit S. CYPRIANUS) & dives „ es, & dominicum celebrare te credis, quæ „ corbonam omnino non reſpicis; quæ in do- „ minicum ſine ſacrificio venis; quæ partem „ de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. „ Siquidem per corbonam intelligit ſanctus martyr, quod TERTULLIANUS arcæ genus vocat; & concilium Illiberitanum concham nominat, cavens, „ ut qui baptizantur, ut fieri ſolebat, nummos in concham „ non mittant. „ S. AUGUSTINO gazophylacium dicitur, atque ex eo patet non ſolum pecuniis, ſed aliis rebus etiam veſtimentis e. g. conſtitiſſe: „ Gazophylacium, „ (inquit) attendite, & omnes bene habebi- „ mus. Valde me delectat, ſi ipſum fuerit „ præſepe noſtrum, ut nos ſimus jumenta „ „ DEI,

Lib. V. c. 10. p.601. 602. app. §.7.p.996.
Hom. 80. in Matth.
Hom. IX. in epiſt.ad Philip.
De operibus & eleemoſ.
Apolog. c. 39.
Can. 48.
Serm.356.

„ DEI, vos ager DEI. Nemo det byrrum, „ vel lineam tunicam, nisi in commune; de „ communi accipiam mihi ipse. „ Discimus ex ejus epistola ad SAPIDAM, submissam sibi ejusmodi ab illa sancta virgine tunicam, quam ne contristaretur, in suum usum accepit, contra ac hic publice contestatur. Alias ejusmodi donationes ecclesiæ factas, si probro aut oneri esse possent, difficulter recipiebat: unde etiam erant, qui murmurarent, & ecclesiam Hipponensem piis hujusmodi legatis destitui ægre ferrent: quamvis sanctas non respueret, & fideles etiam ad eas faciendas hortaretur tum alibi cum in sermone de disciplina christiana. At in libro de opere monachorum vituperat monachos, qui desides ex oblationibus fidelium vivere volebant. Et S. HIERONYMUS oblationum non solum non participes, sed & iis faciendis obnoxios facit: *Alia*, inquit, *monachorum est causa, alia clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de altari vivunt, mibi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum duo „ quæ sola supererant, æra mittentem laudaverit Dominus.* GREGORIUS IX. diu postea hic avaritiam episcoporum coercuit: *Quidquid*, ut habet ejus decretalis, *etiam eis, dum celebrant missarum solemnia intra domorum suorum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes.* Concilium Vasionense acriter eos perstringit: *Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab ecclesia abjiciendi: quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc divina*

Ep. 267.
Serm. 355. c. 3.
T. VI. p. 581.
Epist. ad Heliodor.
De excessibus prælat. c. 16.
An. 442. c. 4.

vinæ pietatis exacerbationem: qua & fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine & pauperes collatu alimoniæ & necessaria sustentatione fraudentur. Hi enim tales, quasi egentium necatores habendi sunt. In concilio Carthaginensi IV. similis habetur censura: ubi etiam gazophylacii fit mentio, nimirum *ut oblationes dissidentium fratrum neque in gazophylacio recipiantur.* Unde recte LUDOVIC. THOMASINUS observat, distingui duplicis generis oblationes, alias ad altare, *in sacrario*, alias in gazophylacio, atque multa erudite in hanc rem ex antiquitate accumulat, imprimis de ditissimis oblationibus Romæ fieri consuetis, unde AMIANUS MARCELLINUS cavillandi occasionem sumsit Romanos episcopos, quasi ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas; adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Sed alium S. LEO prodit nobis usum oblationum Romæ factarum singulis hebdomadibus ad misericordiæ opera: *At cujus*, inquit, *operis desideratum vobis fructum dies vos vicinus invitat, accedentibus admonitionibus nostris, ut ad ecclesias regionum vestrarum sabbato proxime futuro misericordiæ munera deferatis.* Laudatus THOMASINUS sollicite disquirit, quomodo successu temporis in oblationes numarias certis ac præcipuis festivitatibus adhuc fieri solitas abierint, coierintque fere omnia oblationum veterum genera. Notare tamen licet ex ARNOBIO JUN. promiscue pro defunctis oblationes partim pecuniis, partim aliis rebus jam olim fuisse in ecclesia factas: *Ii enim, qui offerunt sive pecunias sive munera ecclesiis & mortui sunt in*

Can. 95.

De Benef. P. III. l. I. c. 12.

Serm. 10.

c. 12.

In Ps. 105.

 pec-

peccatis suis, propterea utique offeruntur, ut nostris precibus reviviscant. Opus etiam fuit laicorum rapacitatem cohibere. Quam in rem THOMASINUS documenta ecclesiastica affert, & est insignis locus apud JONAM Aurelianensem *Lib. II. c.* 19. de institutione laicorum: *Non ad laicorum*, inquit, *sed ad pontificum ministerium pertinet, qualiter oblationes & decimæ fidelium DEO oblatæ dispensentur ordinare. Pontificum sane ministerium est, quantum ex eisdem fidelium oblationibus in fabricas applicetur ecclesiæ; quantum in hospitibus colligendis & pauperibus recreandis, quantumque in presbyterorum, eorumque qui secum militiam CHRISTI gerunt, necessitatibus sublevandis expensetur disponere.*

§. LIII.

Primitiis ac imprimis decimis.

Primitiarum, ac imprimis decimarum præstatio ac usus non uniusmodi a prima ecclesiæ ætate fuit in ecclesia jure divino deberi existimatus, a laicis tamen etiam usurpatus.

Cur nascente ecclesia non adeo fixum fuerit hujusmodi fructuum & præstationum jus in ecclesia, mirum nemini videbitur, qui statum illius ecclesiæ attenderit & circumspexerit, ecclesiæ inquam pressæ & nuspiam stabilem ac quietam sedem nactæ, & apud ruris incolas, qui agriculturam exercebant, unde potissimum repeterentur hujusmodi fructus, in pagis serius plantatæ; ut vel paganorum nomen gentilibus inditum documento est. Veteris tamen legem testamenti de decimis & primitiis fru-

ctuum

ctuum non mere cæremonialem existimarunt, sed moralem perennis obligationis: ut ex Protestantibus etiam non pauci demonstrarunt, contra eos, qui inter alia hoc ecclesiæ jus in dubium revocarunt, & præsertim QUAKERI in Anglia hic debacchati, execratique eos omnes sunt, qui decimas vel accipiunt, vel solvunt. Cum res in scripturis testatissima sit jam ante legem MOYSIS exemplo ABRAHAMI, qui est pater fidelium & eorum omnium personam sustinuisse censetur, quando MELCHISEDECHO, qui christiani sacerdotii personam sustinet, decimas pendit: unde sunt qui obligationem illam etiam ad jus naturale, & inseparabile æterni sacerdotii CHRISTI apanagium revocant, ac naturale veri fidelis debitum esse existimant. *Vid. Traité touchant l'origine des dismes.*

Ex præstantia sacerdotii novi testamenti præ veteri argumentum desumunt a minori ad majus ad hanc obligationem jure divino in ecclesia christiana perseverantem; tametsi CHRISTUS & apostoli eam urgere & lege rata instituere pro temporum injuria haud potuerint. Nihilominus S. IRENÆUS CHRISTI consilium & hinc usum & obligationem agnovit: *Sed &*, inquit, *suis discipulis dans consilium, primitias DEO offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint.* Et postea: *Offerre igitur opertet DEO primitias ejus creaturæ.* De decimis vero: *Illi quidem*, ait, *Judæi decimas suorum habebant consecratas; qui autem perceperunt libertatem christiani omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos usus, hilariter & libere dantes ea, non quæ sunt minora utpote majorem spem habentia.* Videtur hic respicere ad primam bonorum in ecclesia commu- *Lib. IV. c. 32.* *c. 34.* *c. 18.*

munionem, quæ in primitiva ecclesia obtinuit, & non decimas tantum, sed rerum omnium ipsorumque agrorum ac quarumcunqre possessionum integerrimam oblationem ecclesiæ destinabant; ut eo minus gravis accidere debuerit, magis autem debita haberi, ubi hæc bonorum communio cessavit, præstatio saltem pro veteris testamenti modulo & lege, quam jam ORIGENES ad litteram esse sumendam necessario duxit, & hanc CHRISTI dispositionem esse existimavit juxta stabilitum a nobis jam antea ex S. PAULO principium, auctoritate etiam ejusdem ORIGENIS firmatum:

Hom. XI. in Numeros.

„ Ita enim, (inquit) & Dominus disposuit, ut „ qui evangelium annuntiant, de evangelio „ vivant, & qui altari deserviunt, de altari „ participent. Et sicut hoc dignum & decens „ est, sic econtrario & indecens & indignum „ existimo & impium, ut is qui DEUM colit, & ingreditur ecclesiam DEI, qui scit „ sacerdotes & ministros assistere altari, aut „ verbo DEI aut ministerio ecclesiæ deservire, „ ut de fructibus terræ quos dat DEUS, solem suum producendo, & pluvias suas ministrando, non offerat primitias sacerdoti. „ Non mihi videtur hujusmodi animam habere „ memoriam DEI; nec cogitare nec credere, „ quia DEUS dederit fructus, quos cœpit, quos „ ita recondit, quasi alienos a DEO. Si enim a „ DEO sibi datos crederet, sciret utique munerando sacerdotes honorare DEUM de datis „ & muneribus suis. Et adhuc ut amplius hæc „ observanda etiam secundum litteram ipsius „ DEI vocibus doceantur, addemus ad hæc. „ Dominus dicit in evangeliis; *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis* „ *mentam*, hoc est, decimam datis mentæ, *&*

„ *cymi-*

cymini & anethi, & præteritis, quæ majora sunt legis. Hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentius, quomodo sermo Domini vult fieri quidem omnimode, quæ majora sunt legis, non tamen omitti & hæc, quæ secundum litteram designantur. Quod si dicas, quia hæc ad Pharisæos dicebat non ad discipulos, audi iterum ipsum dicentem ad discipulos: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quod ergo vult fieri a Pharisæis, multo magis & majore cum abundantia vult a discipulis impleri: quod autem fieri a discipulis non vult; nec a Pharisæis imperat faciendum." S. AUGUSTINUS idem argumentum adhibet: "Exime (inquit) aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis, decimas exime; quamquam parum sit. Dictum est enim, qui Pharisæi decimas dabant, *jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Et quid ait Dominus: *Nisi abundaverit justitia vestra &c.* Et ille, super quem debet abundare justitia tua, decimas dat: tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum, cui non æquaris." Alibi aliunde ex verbis CHRISTI argumentum instruit, quæ maxime indicare possunt hanc esse propriam clerici portionem: "*Reddite*, inquit, *quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ sunt DEI DEO.* Majores nostri adeo copiis omnibus abundabant, quia DEO decimas dabant, & censum cæsari reddebant. Modo autem quia discessit devotio DEI, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum DEO decimas, modo autem totum tollitur." S.

In psalm. 148.

Hom. 48. inter 50.

HIERONYMUS eandem partitionem facit præstationum, explicationemque illius loci dominici: „*Reddite, quæ sunt cæsaris*, „*cæsari*, id est, nummum, tributum, & pe„cuniam: *& quæ sunt DEI DEO*, deci„mas, primitias, & oblationes ac victimas „sentiamus.„ Hoc idem expressit S. BONIFACIUS M. (*Hom. V. apud MARTEN. T. IX. coll. ampl. p.* 197.) „Decimas (in„quit) ecclesiis reddite, quia Dominus præ„cepit, dicens: *Reddite quæ sunt cæsaris cæ*„*sari*, hoc est, vectigalia & tributa, *& quæ* „*sunt DEI DEO*, id est, decimas & pri„mitias. „Quod (laudatus HIERONY„MUS alibi arguit) de decimis, primitiis„que diximus, quæ olim dabantur a popu„lo sacerdotibus ac Levitis in ecclesiæ quo„que populis intelligite, quibus præceptum „est non solum decimas dare & primitias, „sed & vendere omnia, quæ habent, & da„re pauperibus, & sequi Dominum salvato„rem. Quod si facere nolumus, saltem Ju„dæorum imitemur exordia, ut pauperibus „partem demus ex toto, & sacerdotibus ac Le„vitis honorem debitum deferamus.„ Quanti autem periculi res sit hic defraudare mox addit: „Quod qui non fecerit, DEUM frau„dare & supplantare convincitur, & maledi„citur ei in penuria rerum omnium.„ Ex superiore S. AUGUSTINI loco conjicitur, non inane esse hoc terriculamentum, quod S. CHRYSOSTOMUS ex ipsa lege veteri concludit. *Quanto*, inquit, *est boc plenum probro & dedecore, si quod apud Judæos non habebatur in admiratione, quod apud christianos factum est admirabile? Si tunc erat periculum, decimas non relinquere cogita, quantum nunc sit.* Eccle-

In cap. 22. *Matth.*

In c. 3. *Malach.*

Hom. 4. *in ep. ad Ephesios.*

Ecclesiæ autem canonibus habetur, agnitam fuisse semper obligationem, nec impune licuisse fraudare ecclesiam his fructibus, aut usurpare: quod in concilio Gangrensi in E U S T A- *In præfat.* T I O est damnatum ac reprobatum: „ Primitias quoque fructuum & oblationes eo- „ rum, quas veterum institutio ecclesiis tri- „ buit; sibimet vindicasse, id est propriæ „ ratiocinatione doctrinæ, tanquam sanctis „ sibi offerri debere apud se & inter se di- „ spensandas. „ Et postea: „ Si quis obla- „ *Can. 7.* tiones ecclesiæ, extra ecclesiam accipere „ vel dare voluerit præter conscientiam epi- „ scopi, vel ejus, cui hujusmodi officia com- „ missa sunt; nec cum ejus agere voluerit „ consilio, anathema sit. „ Necdum hic aut in anterioribus canonibus etiam apostolicis, ubi de hac re agitur, decimarum, aut eas persolvendi obligationis habetur mentio; qualis deinceps occurrit, estque imprimis celebris concilii Matisconensis constitutio, ubi etiam legum divinarum eam in rem præceptum ingeritur, quemadmodum in jure canonico decretalium: in quo de hac re, quo- *Lib. III. tit. 30.* ad recentiorem usum varia habentur decreta, imprimis contra usurpationes laicorum, & de decimis infeudatis, quæ sunt temperamentum aliquod illius usurpationis; cum concilii Lateranensis sanctio de restituendis decimis a laicis usurpatis non potuerit omnem optatum nancisci effectum, sitque hodieque vulgaris distinctio decimarum laicarum, de quarum origine, ac etiam de decimis infeudatis inter alios legi meretur T H O M A S I- N U S. De legibus imperatorum nihil est, ut *T. I. capitul. p. 359. 428.* addam, quales jam C O N S T A N T I N U M dedisse volunt, plures autem habentur in capitu-

tores meos excipiendos requiruntur? At mox addit, nihil his opus esse: *Teipsum offer, CHRISTUM indue, honesta & laudabili vita me ale: sic ego excipi lætor, sic etiam DEUS, qui maxima quæque beneficia nobis elargitur.* Colligi hinc datur, ejusmodi aliquid pendi potuisse, sed nihil extortum fuisse. Quod ex epistola GELASII P. ad episcopos Lusitaniæ constat: „ Baptizandis consignandisque sacerdotes pretia nulla „ præfigant, nec illationibus quibuslibet im- „ positis exagitare cupiant renascentes: quo- „ niam, quod gratis accipimus, gratis da- „ re mandamur. Et ideo nihil a prædictis „ prorsus exigere moliantur, quo vel pau- „ pertate cogente deterriti, vel indignatione „ revocati, redemtionis suæ causas adire despi- „ ciant, certum habentes, quod quæ prohibita „ deprehensi fuerint admisisse, vel commissa „ non potius sua sponte correxerant, periculum „ subituri proprii sint honoris. „ In concilio Bracarensi II. simile habetur statutum: „ Qui „ infantes suos ad baptismum offerunt, si quid „ voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur „ ab eis. Si vero per necessitatem paupertatis „ aliquid non habeant, quod offerant, nul- „ lum eis pignus tollatur a clericis. Nam multi „ pauperes hoc timentes filios a baptismo re- „ trahunt. „ Canon iste perperam a GRATIANO concilio Africano tribuitur, suoque loco restitutus est ab ANTONIO AUGUSTINO. In eodem concilio canon præcessit: „ Ut quotiens ab aliquo fidelium ad „ consecrandas ecclesias episcopi invitantur, „ non quasi ex debito munus aliquod a funda- „ tore requirat; sed ipse fundator siquidem „ aliquid ex voto suo obtulerit, non respuatur. „

Epist. 1. alias IX.

Can. 7.

Caus. 1. q. 1. c. 8.

De emendat. Gratiani Lib. I. dial. 14.

Conc. Bracar. II. c. 5.

Et

De Simon. c. 19. 21. 29. Et ALEXANDER III. de chrismate similem exactionem damnat nummorum, *quos nunc cathedraticum, aliquando præstationem pascalem, interdum episcopalem consuetudinem appellatis.* *c. 36. 41.* Et INNOCENTIUS III. talem extorsionem damnat pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium. Jam S. *Quæst. hebr. in Gen. 23.* HIERONYMUS hoc carpserat: *Sciant igitur, qui sepulchra venditant, & non coguntur ut accipiant pretium, sed a volentibus quoque extorquent, immutare nomen suum, & perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur, qui invitus acceperit.* Sermo ipsi est de EPHRON, a quo ABRAHAM sepulchrum emit. Unde etiam exactiones, non *laudabiles consuetudines* in ecclesia sunt damnatæ, ut medio ævo vocari solebant, *C. 42.* de quibus in concilio Lateran. IV. fuit actum sub hoc rubro: *Sacramenta sunt libere conferenda, cogit tamen ordinarius laicos observare laudabiles consuetudines.*

Circa eucharistiam habetur canon Trulla- *C. 23.* nus: *Ut nullus sive episcopus, sive presbyter, sive diaconus, immaculatam præbens communionem ab eo, qui communicat ejus participationis gratia obulos vel quamvis aliam speciem accipiat. Non est enim venalis gratia, nec pro pecuniis spiritus sanctificationem impartimur.* Indultum tamen est recipere, quod in celebratione missæ ad altare fuit oblatum, in *An. 1194. can. 5.* concilio Eboracensi: *Ne sacerdos aliquis pro celebratione missarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc duntaxat quod offertur in missa recipiat.* Fixa sunt hinc stipendia quædam missarum, quando multiplicari cœpit & a sacerdotibus singulis diebus fieri celebratio missarum; ut tamen hic etiam excessus irre-

pse-

pserint, & plures in una die missæ ab uno celebratæ non raro sacerdote. Quæ quo numero aliquando fuerint, ex concilio Salingestadiensi colligere licet, ubi statuitur: *Ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.* Sed a GRATIANO decretum refertur ad tempora ALEXANDRI II. quo ad unam in die missam celebrandam restringitur. Qua de re THOMASINUS legi meretur pariter ac de oblationibus ad sacramentum pœnitentiæ & redemtione peccatorum: ubi ex MOLINA notat a sæculo IX. irrepsisse morem redimendi certa eleemosynarum quantitate pœnitentias.

Can. 5.

De consecrat. dist. I. c. suffic.

De Benef. P. III. L. I. c. 72.

Ib. c. 74.

§. LV.

Securior & copiosior fuit bonorum in ecclesiam profusio spontanea fidelium per pia legata ac testamenta, præ liberalitate ac indulgentia principum.

Liberalitate fidelium, & principum.

Jam superius varios indigitavimus fontes, quibus ecclesia bonis aucta fuit, imprimis libertati vindicata sub christianis principibus. A CONSTANTINO mox plenissima facta est potestas, suas ecclesiæ transscribendi facultates: lex eam in rem hodieque in codice Theodosiano, & Justinianeo legitur ejusmodi: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicæ* (catholico) *venerabilique concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere.* VALENTINIANUS postea & THEODOSIUS visi sunt licentiam hanc quadantenus restringere, non tamen quoad eccle-

Lib. XVI. tit. 2. de episc. l. 4.

ecclesias, sed personas quasdam ecclesiasticas, ne in viduarum & diaconissarum hæreditates involent, dum fragiles hujusmodi personas ad leganda sibi bona quacumque demum arte inducebant, ut jam innuimus; sed MARCIANUS hanc etiam sustulit restrictionem: „ Legem, quæ diaconissis vel viduis nuper est „ promulgata, ne quis videlicet clericus, neve sub ecclesiæ nomine mancipia, suppelle- „ ctilem, prædam (velut infirmi sexus spoliator) invaderet & remotis adfinibus & propinquis, ipse sub prætextu catholicæ disciplinæ se ageret viventis hæredem, eatenus animadvertat esse revocatam, ut de omnium chartis, si jam nota est, auferatur, „ neque quisquam, aut litigator ea sibi utendum, aut judex noverit exsequendum. „ Intellexerat haud dubie princeps ipsam ecclesiam hujusmodi maxime detestari fraudes ac inhiationes, nec ideo justas & pias quascunque legationes aliis concessas personis DEO sacratis negari. „ Scribuntur (inquit S. „ AMBROSIUS) testamenta templorum „ ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, a quo solo pro omnibus „ votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium „ viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio multa præscribitur. Quod sacerdotibus „ vani legaverit christiana vidua, valet: quod „ ministris DEI, non valet? Quod ego non, „ ut querar, sed ut sciant, quid non querar, „ comprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse, quam gratia. Sed referunt, ea

Ib. L. 28.

Epist. 31.

„ quæ

„ quæ vel donata vel relicta sunt ecclesiæ, „ non esse temerata. „ Et S. HIERONYMUS: *Pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi & auriga & scorta hæreditates capiunt, solis clericis ac monachis hac lege prohibetur: & prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, quia meruimus hanc legem.* Qua de re legi merentur, quæ POSSIDIUS in vita S. AUGUSTINI refert; sæpius dixisse eum, securius ac tutius ecclesiam legata a defunctis dimissa debere suscipere, quam hæreditates forte sollicitas & damnosas; ipsaque legata magis offerenda esse, quam exigenda. Exigit hoc utrimque pietas & suscipientium & facientium pia legata: quæ non solum non extorquebant, sed etiam ob suspicionem cupiditatis abhorrebant quique sanctissimi pastores; pii autem fideles uberrime offerebant: *Qui*, ut ait S. GREGORIUS NAZ. *totas etiam domos ecclesiis addici passi sunt, non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum questum fecerint, hoc est, propter futura vita opes inopiam amplexi sunt.*

Epist. 2. ad Nepotian.

c. 24.

Epist. 80.

Pia hæc studia non cohibebant pii principes, & suapte etiam indulgebant, legibusque transcribebant res ecclesiæ, ac integras facultates relictas, martyrum e. g. & confessorum, ut EUSEBIUS de CONSTANTINO refert; clericorum item sine hæredibus & facto testamento defunctorum, ut habet lex THEODOSII junioris, & VALENTINIANI semperque indultum fuit, ut alia ejusmodi testamenta ac legata ecclesiæ facta, etiam sine requisitis alias solemnitatibus valerent; pastoribusque ecclesiæ singulare jus concessum in res negotiaque testamentaria, illis assisten-

Vita Constant. Lib. II. c. 36.

Cod. Theod. Lib. V. tit. 3. de bonis clericorum l. 1.

di, ac curandi, ut ſalutis animæ in teſtamento ratio haberetur, eaque integra eſſent, quæ iis curatoribus ſic in favorem eccleſiæ teſtamentis facta eſſent, fraudibus & avaritiæ ſordibus pulſis. Qua de re adeundus eſt THOMASINUS *P. III. lib. I. c. 16. & ſeqq.*

§. LVI.

Collatis etiam dominiis & principatibus.

Magna ſemper fuit eccleſiæ præſulibus, præſertim in præcipuis urbibus cura, ac poteſtas temporalis; dominia & principatus etiam urbium, & provinciarum adjuncti.

Cum primum dominia & principatus in Romano imperio diſtribui cœperunt, illis etiam inſtructa & dotata eſt eccleſia. Diu proceres & optimates præter patrimonium in fundis & agris nihil fixi poſſidebant quoad urbes & provincias, quarum temporariam accipiebant ab imperatoribus adminiſtrationem, & præfecturam, hoc ſolum nomine principes, duces autem in exercitu ſub imperatoribus; comitum demum honor ſub CONSTANTINO certis gradibus ordinum diſtinctus fuit, ut principi adeſſent ſplendore dignitatis, rebusque ex nutu principis in imperio gerendis, gubernandisque. Ac tandem jure Longobardico in feuda diſtribui cœperunt urbes & provinciæ, ut ſucceſſu temporis hæreditaria eſſent.

Quomodocunque autem ſe haberet ſub chriſtianis principibus imperii adminiſtratio, eccleſiæ præſules ingenti pollebant auctoritate ſub CONSTANTINO ſtatim, ac deinceps

Aria-

Arianiſmi hiſtoria & criminationes in S. ATHANASIUM produnt, quid poſſe exiſtimati ſint eccleſiæ præſules in temporalibus, & antiquius etiam in PAULO SAMOS. habetur exemplum abuſus ingentis poteſtatis; *Faſtu & arrogantia ſupra modum elatus*, inquiunt patres concilii Antiocheni, *ſæculares ſebium gerit dignitates, & ducenarius vocari, quam epiſcopus mavult; per forum magnifice incedens, ſtipatusque maxima hominum multitudine, partim præeuntium partim ſubſequentium; adeo ut ex illius faſtu & arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adverſus fidem noſtram conflatum ſit.* Non ita pii ſub imperatoribus chriſtianis eccleſiæ præſules, quamvis potentia & auctoritate pollerent, ea potius ad eccleſiæ tutamen uſi ſunt, præſertim hæreticorum coercitionem, vi etiam & armata manu, quando aliter res non ſucceſſit, veluti de Romanis pontificibus ſanctiſſimis fertur COELESTINO, BONIFACIO, LEONE &c. De S. CYRILLO ALEX. cujus ſeveritas in Judæos invidiam apud præſidem Ægypti, in Novatianos autem apud SOCRATEM hiſtoricum ſtomachum movit; ut ſcribat ex illo tempore epiſcopum Alexandrinum præter ſacri cleri dominatum rerum præterea ſæcularium dominatum acquiſiviſſe, idemque de epiſcopatu Romano dicat, ubi ſimiliter COELESTINUS P. Novatianis eccleſias abſtulit. Nec adhuc dum tunc fixus fuit principatus alicujus urbis aut provinciæ, ſicut nec apud præſides & optimates imperii.

Apud Euſebium L. VII. c. 30.

Lib. VII. c. 7. 13.

Quidquid de donatione CONSTANTINI feratur, quæ habetur tomo primo conciliorum, & alibi paſſim eſt edita proditaque

Ed. Labb. p. 1543.

demum post nonnulla sæcula auctore, ut credunt nonnulli eodem, qui falsas Romanorum pontificum decretales compilavit, ipso judice BARONIO in dedecus ac detrimentum auctoritatis pontificiæ, quam imperatori totam fere in acceptis fert; ut sint, qui homini græculo eam attribuant, qui evehendo Romani episcopi auctoritatem ex favore principis, idem jus novæ Romæ Constantinopoli transscribere voluerit, distributo ita imperio occidentis & orientis. Qui etiam jam Cpolin inter patriarchatus recenset, manifesto errore, ut vel hinc labascat fides hujus donationis: cum, quo tempore a CONSTANTINO pontifici SILVESTRO facta ea dicitur, adhuc nomine episcopi Byzantini latuerit, & Heracleensi metropolitæ paruerit, donec in Cpolitano & Chalcedonensi conciliis auctoritatem esset nactus. Omnino vero consistere nequit, non dicam cum constanti non paucorum deinceps sæculorum usu, sed & cum partitione ipsa, quam CONSTANTINUS vicinus morti fecit imperii inter suos filios, Italia cum Illyrico tributo CONSTANTI, cum in dicta donatione urbem Romam & omnes totius Italiæ & occidentalium regionum provincias, loca & civitates præfato beatissimo pontifici universali papæ concesserit atque reliquerit, & successorum ipsius potestati & ditioni. Qui tituli honoris non minus incogniti tunc fuerunt & insueti, quam illi, quos ipse sibi imperator magno numero tribuit, & coronam capiti SILVESTRI imposuit, cum ipse CONSTANTINUS diademate adhuc sit usus; imperium autem sibi semper vindicavit, & retinuit in occidentem pariter & orientem: quemadmodum & deinceps im-

Ad an. 324. n. 118. 119.

pera-

peratores, magis adhuc conspicue diviso fere semper regno orientis & occidentis: ubi aut SILVESTER aut ejus successores illud usurpasse nunquam leguntur longa temporum serie, & prius aliarum urbium quarundam Italiæ principatum tenuisse, quam Romæ, forte quis demum ex sæculi sexti & septimi rebus colligat: quando sub Longobardorum regno habentur ditionum, & feudorum a principibus concessorum quidem exempla; quin tamen adhuc fixa essent, nec sæcularibus etiam principibus hæreditario jure concederentur.

Non satis constat, an ecclesiæ prius præsulibus, quam comitibus & optimatibus regni jus tale obtigerit. Illud dici potest, si jam sub GREGORIO M. urbium dominium & proprietatem ecclesia Romana nacta esset, veluti ex nonnullis ejus epistolis colligi posse videtur; atque certo constat amplum fuisse hinc inde patrimonium, & terras cum servis & colonis. Sed non id in controversia est, quando de principatibus & urbibus, Roma præsertim principe agitur: quam post imperatores reges Italiæ diu tenuerunt, ac imperatores orientales iterum recuperarunt quidem, sed non sustinuerunt, ac tuiti sunt. Quæ ipsa occasio fuit pontificibus implorandi opem regum Francorum contra insidias & usurpationes Longobardorum, quam in rem extat STEPHANI II. ad PIPINUM epistola de Ravenna & aliis urbibus Romanæ ecclesiæ restituendis juxta donationem a PIPINO factam S. PETRO, quam etiam CAROLUS præsenti ADRIANO P. confirmavit: unde partim redintegratum, partim mirifice ampliatum est PETRI patrimonium ditionibus provinciarum ac urbium, ipsiusque Romæ pietate regum Franco- *Ep. 3.*

rum ſtirpis Carolinæ, & aliorum deinceps principum, quando in partes abeunte imperio privata dominia & feuda jure proprietario & hæreditario poſſideri cœperunt pariter a *Dominis eccleſiaſticis*, ac a laicis, ſeu *publicis*, ut in conciliis jam ſub PIPINO ac capitularibus vocantur promiſcue. Quo minus invidere poſſunt ſæculares principes hanc potentiam eccleſiaſticis, quam ſi non antea, certe eodem cum ipſis tempore ac jure obtinuerunt non ſolum epiſcopi, ſed etiam abbates paſſim in occidente; nec ſine eccleſiæ etiam ſpirituali proventu, ut rerum ac temporum ſucceſſus præſertim autem poſteriorum horumce demonſtrant, ut alibi oſtendi, quando ex inſtituto egi *de legitima eccleſiaſtica poteſtate circa ſpiritualia & temporalia.*

Conc. Gall. T.II. p.6.

Vid. Thomaſin. P. III. L. I. c. 30.

Etiam ſanctiſſimi antiſtites augendas ſuas eccleſias, & emendas ejusmodi ditiones duxerunt, rectum bonorum uſum faciendo in ſolatium ſubditorum & levamen pauperum, ac eccleſiæ non ornamentum ſolum, ſed etiam ſuſtentaculum difficillimis temporibus; rerum temporalium curæ neutiquam ſacram poſthabentes, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes, quod de SULPITIO SEVERO olim S. PAULINUS dixit, qui bonis ſuis eccleſiæ datis eorum uſumfructum retinuit; non attento abuſu, qui poſſet contingere, quemque ipſe SULPITIUS redarguit, atque cauſa fuit, cur alii imprimis laudatus PAULINUS relicta ſemel a ſe bona, ac parenti tempore perſecutionis ablata, recuperare noluit, etiam pietatis prætextu. Quod & ab aliis olim factum eſt, ſanctius inſtitutum, monaſticum præſertim ſecutis; quamvis mutato rerum ſtatu aliter faciendum duxerint, nec fraudari quisquam rebus

Epiſt. 24.

Lib.I.hiſt. p. 124. 127.

Carm. 16.

bus suis possit ac debeat, quocunque in statu degat, ubi institutum ipsum incapaces non facit dominii ac possessionis rerum, saltem in communitate etiam religiosa: ubi sancte custodiuntur, impenduntur que, nec luxuriose prodiguntur aut dilapiduntur, ut necessitatibus publicis ingruentibus ac privatis, emolumenta maxima præbeant etiam reipublicæ & principibus.

§. LVII.

Ne rerum temporalium usus & necessitates dignitati & muneri sacro obessent, ipsi christiani principes immunitates varias ordini ac rebus ecclesiæ congruentes ultro & largiter indulserunt. *Cum variis immunitatibus.*

Quo magis aucta fuit res ecclesiæ in temporalibus, eo plus iisdem implicari necesse fuit. Quare cum successu temporis, ut modo vidimus, ditiones & principatus sunt nacti prælati episcopi & abbates, publicis rebus pro onere præsertim feudorum, ipsi etiam militiæ obnoxii sunt facti, ad id muneris nec nati, nec instituti. Queritur id LUPUS celebris *Ep. 91.* Ferrariensis abbas. Et summus pontifex non solum ea de re abroganda apud CAROLUM regem egit, sed etiam, dum Wormatiæ CAROLUS M. conventum celebrasset cunctus *T. I. Capitul. p. 410.* ei populus libellum obtulit, obtestatus, ut episcopos & presbyteros obligatione belli eximeret, ut in suis diœcesibus domi occupati functionibus sacris pro exercitibus & prosperitate belli divinum potius implorarent auxi-

lium, & duo tantum aut tres ab episcopis selecti & instructi exercitui adessent, ad benedictionem reconciliationemque impertiendam; presbyteri autem eandem ob causam ab episcopis selecti destinarentur. Ultro annuit pius princeps, contestatus etiam, quod episcopum unum tantum & alterum, & presbyteros ad celebrationem missarum, curam infirmorum, unctionem ac viaticum sacrum ad exercitum ire permittens, dignitati episcoporum ac ecclesiæ bonis nihil detractum velit; probe gnarus complura regna destructa fuisse unacum regibus, quod ecclesias & sacerdotes bonis spoliarint, bellaque prospero caruisse successu, quæ opera sacerdotum sint gesta. Nihilominus iterum mos ille inolevit, ac episcopi & abbates etiam illustres & sancti ei detulerunt; semper autem pro re ac utilitate publica ex terris ac ditionibus subministrarunt pro rata quisque. Quam in rem insigne est capitulare LUDOVICI PII circa monasteria, quæ nominatim determinantur in tres classes distributa, quorum alia militiam, & dona, alia dona, alia preces tantum debeant. Quæ sane æqua est distributio non solum usitata posterioribus his temporibus, verum etiam antiquis congrua moribus, salva immunitate personali.

Vid. Thomasin. P. III. L. I. c. 45.

T. II. p. 590.

Nec hæc obsunt exemtionibus sacri ordinis, quas cumulatim christiani principes ecclesiæ ejusque ministris confirmarunt indulseruntque, refertis eam in rem codice utroque Theodosiano & Justinianeo, capitularibus item regum Francorum, & aliis legum digestis diversorum christianorum regnorum & principum; tam quoad res quam personas ecclesiasticas, quoad immunitatem, quæ vocatur realis ac mixta, circa quam potissimum olim res

fuit,

fuit, quoad reales & personales obligationes rerum & bonorum temporalium, exactionum & munerum publicorum; ut potius hujusmodi personas, quas vocabant curiales, statui & ordini sacro aliquando non addicendæ decernerentur, quam adscriptæ immunitate sua privandæ. Qualem tamen legem a CONSTANTINO latam successores moderandam duxerunt, ut videre licet in codice Theodosiano *tit.* 1. *de decurionibus.* Atque in hoc maxime ecclesiæ præsules intenti erant, ut salva esset debita sacro ordini immunitas dignitasque, ac intemerata quoad personas circa immunitatem mixtam; si non semper, quoad res ac bona immunitatemque mere realem ecclesiarum, ac bonorum earum, totum quod optabant, poterant obtinere. Habetur eam in rem illustre documentum patrum Ariminensium, ut colligitur ex codice Theodosiano; sed, ut erat CONSTANTIUS, plus tunc obtinere non poterant, quam exemtionem ab oneribus extraordinariis.

Lib. XVI. tit. 2. de episcopis 15.

CAPUT III.

De canonico usu bonorum ecclesiasticorum.

§. LVIII.

Ante divisionem bonorum, penes quos cura eorum fuerit.

Cura & administratio bonorum ecclesiasticorum est penes ecclesiæ antistites, & quidem ante eorum divisionem penes solos episcopos, eisque obnoxios diaconos & œconomos.

Alia olim ac hodie, posteaquam ecclesiis parochialibus proventus sunt constituti, fuit reditus ecclesiasticos administrandi, & inter clericos aliasque canonicas atque ad ecclesiæ curam & clientelam pertinentes personas distribuendi ratio ac usus: quando ex ecclesia matrice seu cathedrali, nondum ita ampliatis dioecesibus, cum ministerio sacro etiam sustentatio & alimenta emanarunt, & ex communi ærario, in quod proventus omnes & collationes omnium particularium ecclesiarum confluebant, singulatim distributio bonorum fuit facta. Me non monente quisque intelliget, ad episcopum caput ecclesiæ hanc curam dispensandorum curandorumque bonorum ecclesiasticorum pertinuisse, apud quem omnia sunt deposita, ut paulo ante ex S. JU-
C. 34. STINO notavi. Et canone apostolico statutum est, ut episcopus potestatem habeat rerum ecclesiæ, ne quid de constitutionibus apostolicis dicam, ubi integrum habetur caput 25. quod agit de primitiis & decimis, & quomodo debeat episcopus ex eis accipere vel aliis distribuere. Eam in rem est etiam ca-
Can. 24. non concilii Antiocheni antiquissimi: *Ut ea, quæ sunt ecclesiæ, ecclesiæ serventur cum omni bona conscientia & fide in omnium præsidem & judicem DEUM; quæ etiam administrari convenit cum judicio & potestate episcopi, cui est omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in ecclesiam conveniunt.*
Can. 25. Et mox: *Episcopus habeat rerum ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset cum multa cautione & DEI timore.* Contra secus usurpantes Eustatianos gravissimi sunt
Can. 7. canones concilii Gangrensis: *Si quis vult fructus ecclesiæ oblatos accipere vel dare extra eccle-*

ecclesiam præter episcopi sententiam, vel ejus, cui cura eorum tradita est, & non cum ejus sententia ea velit agere, sit anathema. Et: *Si quis dat vel accipit fructus oblatos præter episcopum, vel eum, qui est constitutus ad beneficentiæ dispensationem, & qui dat, & qui accipit, sit anathema.* *Can.* 8.

Quod fulmen eos ferit recentiore nostra ætate, qui principiis protestanticis imbuti, ecclesiam omni jure spoliant, & potestati civili subjiciunt, inter alios etiam PAULUS SARPIUS Minorita, reipublicæ Venetæ olim consiliarius, sed apostata, qui bonorum temporalium possessionem jure divino ad ecclesiam pertinere negat; cum id etiam jure naturali teneat, & superius evictum sit, ecclesiam esse statum a politico distinctum, ac toto cœlo diversum, cui sint sacrorum præsules legitima divinitus concessa potestate imbuti apostolorum successores episcopi, penes quos semper fuit uti aliarum rerum omnium ecclesiasticarum, ita etiam bonorum dominium administratio & plenum jus, etiam sacris canonibus satis assertum: Ita concilium Aurelianense I. *de his, quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum statuta serventur, ut omnia in episcopi potestate consistant.* Episcopi quam molestum etiam ac grave illis esset hoc onus, excutere tamen saltem quoad ἐπισκοπὴν ac supremam inspectionem curationemque non poterant: quamvis maluissent bona nulla pii præsules possidere, & ex oblationibus fidelium vivere, ob invidiam multorum: quod de S. AUGUSTINO testatur POSSIDIUS in ejus vita: *Dum forte*, ait, *ut assolet, de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem DEI,*

Les droits des souverains defendus &c. c. 8.

An. 511. *can.* 15.

Cap. 23.

malle

malle se ex collationibus plebis DEI vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati. Non potuit non distractio ista curarum illis imprimis, qui sua reliquerunt, & DEO se consecrarunt, gravis esse, sed indispensabilis fuit necessitatis ecclesiæ præpositis. *Expedit*, inquit, JULIANUS POMERANUS, *facultates ecclesiæ possideri & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus, quæ habuit dimissis, aut venditis fit rei suæ contemtor, cum præpositus fuerit factus ecclesiæ, omnium quæ habet ecclesia efficitur dispensator.* Talis fuit S. CHRYSOSTOMUS, nihilominus accuratissime bonorum ecclesiasticorum rationem ac calculos iniit, utque rite dispensarentur sollicite egit: *Dispensatoris ecclesiastici*, inquit de eo PALLADIUS in ejus vita, *scripta relegens, inutilesque ecclesiæ sumtus deprehendens, amputari hos protinus jubet. Accessit & ad solemnes episcopi sumtus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit. Et cum superessent pecuniæ, nova quoque infirmorum receptacula construit.* Ex quibus quidem intelligi datur, quam iniqua in eum fuerit hostium suorum criminatio: *Quod ecclesiæ reditus nemo noverit quo abeant. Quod hæreditatem a THECLA relictam per THEODULUM vendiderit.* Haud dubie hic etiam abutebantur canone Antiocheno: *Si res in proprios usus convertat, & ecclesiæ reditus, vel agrorum fructus non cum presbyterorum vel diaconorum sententia administret, sed suis cognatis vel fratribus vel filiis præbeat facultates, ut per hæc rationes ecclesiæ lædantur, is det syno-*

De vita contempl. L. II. c. 9.

Cap. 5.

Photius Bibl. cod. 59.

Can. 25.

ſynodo provinciæ rationem. Ita nonnunquam accidit, ut epiſcopi ob hanc adminiſtrationem in jus vocarentur, quod accidit ATHANASIO Perrheenſi, qui fruſtra ad auctoritatem S. CYRILLI ALEXAND. provocavit, in ſimili cauſa PETRI epiſcopi, cujus laudatus ſanctus præſul patrocinium ſuſcepit, conteſtatus, epiſcopum ſoli DEO redituum eccleſiaſticorum rationem reddere obſtringi. Similiter IBAS Edeſſenus fuit accuſatus a nonnullis diſſipatorum eccleſiæ bonorum coram concilio Tyrio, cujus fragmenta in concilio Chalcedonenſi leguntur. *T. IV. conc.* 739. *Epiſt.* 59. *ad Dominum.* *Act. IX. p.* 631.

Promiſit IBAS ſe deinceps per œconomos eccleſiæ reditus adminiſtraturum, ſecundum formam eccleſiæ Antiochenæ: quod etiam in concilio Chalcedonenſi univerſaliter eſt conſtitutum: *Omnem eccleſiam epiſcopum habentem ex proprio clero œconomum habere, ut nec ſine teſtibus eccleſiæ ſit adminiſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur;* qui canon refertur c. Quia in quibusdam diſt. 89. Eadem autem œcumenica ſynodus priore canone jubet: *Ut viduæ eccleſiæ reditus apud eccleſiæ œconomum ſalvus cuſtodiatur.* In concilio Aurelianenſi II. hæc cura epiſcopo viſitatori, ſeu interceſſori, qui ex vicinia ſede vacante curare debebat eccleſiam, committitur: *Ut epiſcopus qui ad ſepeliendum epiſcopum venerit, evocatis presbyteris in unum domum eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat: ut res eccleſiæ illorum improbitate non pereant.* Et in concilio Pariſienſi V. *Ut defuncto epiſcopo, non per præceptum, neque per judicem nec per qualemcunque perſonam, res eccleſiæ vel epiſcopi propriæ a nullo penitus* *Can.* 26. *Can.* 25. *An.* 533. *can.* 16. *An.* 615. *c.* 7.

tus

tus contingantur : ſed ſub archidiacono, vel clero in omnibus defendantur, & defenſentur. Fuit hæc antiquiſſima præſertim in occidentali eccleſia primi diaconorum ſeu archidiaconi cura & adminiſtratio bonorum, ut S. LAURENTIUS vocatur a S. AUGUSTINO, & a PRUDENTIO:

Hymno de S. Laurentio.

Levita ſublimis gradu
Et cæteris præſtantior
Clauſtris ſacrorum præerat
Cæleſtis arcanum domus.
Fidis gubernans clavibus.
Votasque diſpenſans opes.

Can. 17.

In concilio autem quarto ita ſtatuitur: *Ut epiſcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per ſeipſum, ſed per archipresbyterum aut per archidiaconum agat.* Idem erat œconomi munus in oriente, qui ex clero presbyter vel diaconus aſſumebatur.

§. LIX.

Uſus & diſtributio bonorum eccleſiaſticorum.

Succeſſu temporum rata bonorum eccleſiaſticorum diſtributio in quatuor potiſſimum partes decretis eccleſiæ occidentalis ac ſummorum pontificum eſt facta, primum totius diœceſis, ac deinceps etiam ſingularum parochiarum.

Diu etiam poſtquam communio bonorum primitiva ceſſavit in eccleſia, nulla certa regula circa diſtributionem bonorum eccleſiaſticorum obtinuit, niſi partitio in duas illas conſideretur, quæ ſemper obtinuit, atque hodierna

ną potiſſimum diſciplina urgenda eſt in uſus eccleſiæ & pauperum: quo cenſu potiſſimum perſonæ eæ veniebant, quæ aut nullas facultates habebant, aut eas reliquerant, & in pauperes diſtribuerant. Qua ratione in canonibus apoſtolicis præcipitur epiſcopo: *Quodſi pauperes ſunt, tanquam pauperibus ſubminiſtret.* Idem de epiſcopo ſtatuitur tum quoad ſe, cum quoad peregrinos. Quoad pauperes alios ſimiliter obtinuit, qui ſemper præcipua pars diſpenſationis dominicæ ſunt habiti, etiam poſtquam diſtributio ſingillatim in partes certis regulis eſt determinata, quod THOMASINUS quinto demum ſæculo, & quidem in eccleſia Latina tantum conſtitutum eſſe vult. Concilium Bracarenſe tres tantum facit partes, ſed quarta ſubintelligitur, & eſt indiſpenſabilis omnium eorum redituum, qui ſuperſunt eccleſiæ, ita autem habet laudatum concilium Baracenſe I. *Placuit, ut de rebus eccleſiaſticis fiant tres æquæ portiones, id eſt, una epiſcopi, alia clericorum, tertia in reparatione vel in luminariis eccleſiæ.* Huc etiam explicari debet concilium Aurelianenſe antea a nobis laudato canone, quo omnia in poteſtate epiſcopi eſſe decernit. *De his tamen, quæ in altario acceſſerint tertia fideliter epiſcopis deferatur.* Mox tamen ſubſequitur: *Epiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur.*

Can. 39. *c.* 40. 41. *P. III. L. II. c.* 13. *Can.* 25. *Can.* 15. *Can.* 15.

Atque ita quatuor emergunt partes, quarum una cedat epiſcopo, incluſo ſimul hoſpitalitatis officio, ſecunda clericis eccleſiæ deſervientibus, tertia reparandis eccleſiis, & quidquid in luminariis, ornatu &c. ad eas pertinebat, quarta

ta pauperibus cedebat. Hanc distributionem facit & præcipit SIMPLICIUS P. relatus a GRATIANO: ubi plura in hanc rem accumulat; SIMPLICII autem prædecessoris sui decretum innovavit GELASIUS P. his verbis: *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda.* Eadem partitio reperitur in capitularibus regum Francorum, quando jam parochiæ distinctos reditus habere cœperunt, & etiam parochis ea est præscripta distributio, quæ prius episcopis facienda erat, quando redituum integræ diœcesis dispensationem habebant. Quando in communitate vivebant cum suo clero suapte intelligitur, partitionem hanc locum haud habuisse, sed omnia penes episcopum fuisse, etiam propria alias bona, nec de illis licuisse testari: quod maxime intelligitur ex S. AUGUSTINI instituto, qui nihil quidquam proprium suis clericis reliquit: *Quia*, inquit, *placuit illis DEO propitio socialis hæc vita quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut faciat testamentum; sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me quo voluerit: sit certe ubi potuerit, adjuvabit me DEUS, ut ubi ego episcopus sum, illic clericus esse non possit.* Fecit hoc ad instar primitivæ ecclesiæ, & vindictæ, quam PETRUS de ANANIA & SAPHIRA tulit.

Epist. 3. C. de reditibus eccl. 12. q. 2. Ep. 1. ad episc. Lucaniæ.

Lib. VII. c. 290.

Serm. L. de diversis.

§. LX.

§. LX.

Ampliatis in dies diœcesibus, & fundatis ecclesiis etiam peculiaribus, reditusque proprios adeptis, divisio bonorum ecclesiasticorum invaluit, & præbendæ peculiares, quæ vocantur *beneficia*.

Divisio eorum, & erectio beneficiorum.

Etiam prioribus sæculis ampliores erant diœceses, sed rariores; nec de singularibus proventibus ecclesiarum ruralium occurrit mentio, quod forte in quotidianis oblationibus non fixis reditibus constiterint. Satis mature tamen ecclesiæ propriis fundis instrui cœperunt. S. CHRYSOSTOMUS ad id hortabatur impense opulentos patronos, habenturque in novellis Justinianeis eam in rem leges etiam quoad oratoria privata & ecclesias: *Si quis ædificans ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta voluerit aliquos clericos constituere.* Et alibi: *Si quis oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipse aut ejus hæredes: si expensas ipsis clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari.* Ita paulatim beneficia ingruerunt, de quibus postea seorsim agemus.

Nov. 57. *c.* 2.

Nov. 123. *c.* 18.

Nunc de præbendis aliqua prælibabimus; quæ vox pariter ac *beneficii* nomen a militia profana in sacram ministrorum ecclesiæ irrepsit. *Ducibus*, inquit CASSIODORUS, *ac præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem, ut eorum præbendæ, quæ non potuerunt convehi, ibi debuissent sine alicujus dispendio comparari.* S. GREGO-

Variar. l. 3. *ep.* 42.

P RIUS

Lib. IX. ep. 29. RIUS ejus vocis quædam initia habet: *Præbendi sunt clericis per singulos solidi centum.* Sed nihil tunc adhuc fixi erat, atque etiam ex Ven. BEDA discimus S. GREGORIUM peroptasse formam apostolicam, proprietatem excludentem: *Quomodo*, inquit, *& prius beatus pater AUGUSTINUS in Cantia fecisse noscitur scribente ei reverendissimo papa GREGORIO, quod & supra posuimus. Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterii regulis erudita seorsum fieri non debet a clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore DEO, ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquod suum esse dicebat; sed erant eis omnia communia.* Et ita primum accidit, ut clerici casellas vel manicipiola ecclesiæ, ut habet concilium Agathense, quasi commendata haberent, nec alienare præsumerent. Nec currebat hic præscriptio, cui præcautum est in eodem concilio Agathensi *can.* 12. & *can.* 1. in concilio Aurelianensi I. *Si episcopus humanitatis intuitu, vineolas vel terrulas clericis vel monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; etiamsi longa transisse annorum spacia probentur, nullum ecclesia præjudicium patiatur; nec sæculari lege præscriptio, quæ ecclesiæ aliquid impediat, opponatur.* In subsequentibus conciliis Aurelianensibus pariter ac Epaonensi de eadem re occurrunt decreta, & quidem in quarto, canone 59. iterum contra præscriptionem excipitur: Et SYMMACHUS P. rescribens CÆSARIO Arelatensi ejusmodi concessiones fundorum non facile vult fieri: *Nisi forsitan aut clericis honorum meritis, aut mona-*

Hist. gentis Angl. L. IV. c. 27.

An. 506. c. 7.

Epist. 5.

naste-

nasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis necessitas largiri suaserit. Sic tamen ut hæc ipsa non perpetuo, sed temporaliter, donec vixerint perfruantur. In concilio Romano IV. sub eodem SYMMACHO ita habetur c. 4. *Sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter clericos & captivos, atque peregrinos.* Licet vero concilium Aurelianense III. ejusmodi beneficium non nisi ra- *Can.* 17.
tionalibus causis revocandum statuat, vult tamen, *ut in potestate sit advenientis episcopi,* *C.* 35.
utrum audire, aut rejicere decessoris sui debeat voluntatem. In conciliis Toletanis prio- *Can.* 4.
ribus de eadem re occurrunt statuta. Ac primum in secundo præcipitur, si quis clerico agellos &c. vel incolas donaverit sustentandæ vitæ causa, posse eum possidere ad obitum usque, illo vero decedente jus ad ecclesiam redire. Notat FR. GORI *in floreno aureo an-* *p.* 155.
tiquo illustrato hujus constitutionis vestigia jam dum quædam in canonibus superiorum conciliorum deprehendi; harumque partem aliquam clericis suis assignasse episcopos, ad quos dispensatio & administratio spectabat. Quorum incuria cum bona illa minus recte administrentur, fundatores quamdiu superstites erant, id efficere potuerunt, ut rectores idonei præficerentur, & episcopis ordinandi offerrentur, unde tamen jus patronatus elicere non liceat.

Ne quid dicam de collationibus ejusmodi laicis datis, ut tamen eodem modo ecclesiæ obnoxia manerent bona, suspicaturque THOMASINUS, hanc originem esse nonnulla- *De Benef.*
rum ex decimis infeudatis. In capitula non *P. III. L.*
solum canonicorum, sed etiam claustra mona- *II. c.* 22.
chorum paulatim invasit ejusmodi partitio præ-

bendarum; in illis vero permansit, sed ex his extirpari debuit, proprietatem olens.

§. LXI.

Pensiones.

Rara occurrunt pensionum ex bonis ecclesiasticis exempla in antiqua ecclesia, sponte oblata, ac conciliorum & Romanorum pontificum auctoritate decreta & concessa.

Jam superius diximus de abdicationibus resignationibusque dignitatum ac munerum ecclesiasticorum non solum, quando quis ob senium, morbum diuturnum, aut aliam infirmitatem ineptiamque ad obeundas suas functiones, verum etiam propter obstinatos e. g. infensos, ac abalienatos populi animos, tollendum schisma, aut religionis sacrique otii causa sponte cessit, aut etiam cedere coactus est & depositus; sed vix occurrit exemplum, ejusmodi abdicatis aliquid redituum ecclesiasticorum peculiare indultum fuisse, nisi forte muneris adhuc quidpiam in ecclesia obirent, ac communibus distributionibus fruerentur. Dum tamen in concilio Chalcedonensi MAXIMUS ANTIOCH. DOMNO pensionem sponte offerret, gratanter id acceperunt patres. Petiit autem MAXIMUS a concilio certos statui sumtus: *Residentibus universis*, ut habent acta, *ante cancellos sancti altaris*, *MAXIMUS reverendissimus episcopus Antiochiæ dixit: Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos judices, & sanctam banc universalem synodum, ut bumanitatem exercere in DOMNUM, qui fuit Antiochiæ episcopus, digne.*

T. IV. conc. p. 681. 682.

dignemini, & statuere ei certos sumtus de ecclesia, quæ sub me est. Hoc indulserunt legati summi pontificis: *Siquidem memoratus reverendissimus episcopus MAXIMUS suo arbitrio voluerit esse consultum, ut sumtus ei de sua ecclesia, miserationis intuitu prout æstimaverit, largiatur; ut contentus eleemosynis, quiescat imposterum.... ANATOLIUS reverendissimus episcopus Cpolitanus dixit: Laudo & ego condolentiam beatissimi episcopi Antiochiæ MAXIMI, in quibus spontanea voluntate ipse tales precatorias obtulit, ut sumtus præstaret DOMNO, qui fuit episcopus ecclesiæ sanctæ, quæ sub eo, præter hoc prædicto nihil requirente. JUVENALIS episcopus Hierosolymitanus dixit: Amplector & ego consilium sancti episcopi Antiochiæ MAXIMI. Universa sancta synodus vociferata est: Laudabiles merito sunt benevolentiæ archiepiscopi. Omnes cogitatum ejus laudamus. Hic decet ejus existimationem humanus cogitatus pontificis. Magnificentissimi judices dixerunt: Amplectente sancta synodo arbitrium MAXIMI viri religiosi episcopi Antiochensium, quod de DOMNO probavit, & nos eisdem consentimus, ejus arbitrio derelinquentes, quæ sunt de DOMNI honorificentia.* Ingens sane fuit hæc indulgentia erga sede sua dejectum episcopum; sed pia erga virum sanctissime in eremo educatum, & alias bene meritum; quæ tamen etiam paulo post adhibita est erga duos etiam pariter dejectos vel potius non agnitos episcopos Ephesinos, decretumque ab ecclesia esse pascendos: *Habeant dignitatem episcopi, & ex reditibus memoratæ ecclesiæ nutrimenti gratia & consolationis annis singulis solidos aureos ducentos accipiant.* Et alteri Perrhenorum *Act.* 11. & 12.

Act. 24. cum alio de episcopatu contendenti, *ut dignitatem episcopatus habeat*, & pascatur, sicut MAXIMUS episcopus Antiochenorum, *secundum facultatem Perrhenorum sanctissimæ ecclesiæ disposuerit.* Vides ad nihil aliud spectasse pensiones has, quam ad necessariam vitæ sustentationem, qui haberi potest legitimus titulus paupertatis. Quomodo etiam referente JOANNE diacono S. GREGORIUS M. *expulsos episcopos aliis episcopis interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ jungebat.* Idem eodem teste indulgebat voluntarie justis de causis renunciantibus, *eosque postmodum de reditibus relictæ ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat.* Ejusmodi exempla quædam ex sancto pontifice collegit THOMASINUS, suntque probe notanda pariter ac nonnulla alia in jure canonico relata: veluti duobus consequenter decretis altero LUCII III. altero CLEMENTIS III. *De clerico ægrotante: rectoribus nimirum ecclesiarum*, ut habent LUCII verba, *usque adeo infectis, quod altari servire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, ecclesias ingredi: Hoc volumus te tenere*, decernit, *quod eis dandus est coadjutor, qui curam habeat animarum: & de facultatibus ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat pensionem.* Et CLEMENS III. in simili causa: *Dicimus, quod pro scandalo & abominatione populi ab administrationis debet officio removeri, ita quod juxta facultates ecclesiæ sibi necessaria, quamdiu vixerit ministrentur.* Simile exemplum alibi habetur conforme Chalcedonensibus, conceditque INNOCENTIUS III. *Non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum provisionem hujusmodi exhibere.*

Vita S. Greg. L. III. c. 16.

Ib. L. IV. c. 39.

Cap. 3. l. t.

Cap. 4.

C. 21. de præbendis & dignitatibus.

§. LXII.

§. LXII.

Variæ, poſtquam diviſio bonorum eccleſiaſticorum facta eſt, nihilominus obligationes manſerunt, & exactiones epiſcoporum & eorum officialium variis ex titulis & prætextibus.

Exactiones & diſtributiones poſt factam bonorum diviſionem.

Diviſio bonorum eccleſiaſticorum cum non potuerit non fieri auctoritate epiſcoporum, quin ii ſibi conſulerint, ratam ſuam ſibi ſervando & figendo, dubitandum non eſt. Nihilominus quædam in quibusdam penſibus & obligationibus manſit facies veteris diſciplinæ, aut certe ſub illius prætextu identidem inductæ ſunt exactiones, quibus perſæpe canonum auctoritas intercedere debuit, ne excederent. Nihil dicam de diſtributionibus, quibus ſolum initio conſtitit ſub ordinatione & moderamine epiſcopi diſpenſatio bonorum in uſum clericorum: cujus uſus neceſſario iterum induci debuit, poſtquam medio ævo revocari cœpit, & in plerisque eccleſiis cathedralibus inſtitui vita communis. Ac poſtea etiam ubi inſtitutum illud ubique pene exoleret, conſultum fuit in eccleſiis cathedralibus & collegialibus diſtributionum quotidianarum uſum quemdam ſervari: nimirum ut a concilio Tridentino ſaluberrime providetur. *Tertiam partem fructuum, & quorumcunque proventuum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes proportionaliter ab epiſcopo dividantur.* Idem concilium epiſcopis integram facit poteſtatem earundem faciendarum diſtri-

Seſſ. XXI. c. 3.

Seſſ. XXIV. c. 12.

butionum, ita ut *absentium portio fabricæ ecclesiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur.* Alias etiam idem concilium episcopis curam injungit, prospiciendi ecclesiis, atque idcirco singulis annis omnes ecclesias suæ diœceseos etiam exemtas visitare vult, *ut quæ reparatione indigent reparentur.*

Sess. VII. c. 8.

Semper id muneris fuit episcoporum obeundi diœceses per se aut suos vicarios & officiales, varia item præstandi pro suo officio, quorum gratia exactiones nonnunquam sunt factæ, quas sistere aut moderari non raro opus fuit. Eam in rem tum aliorum conciliorum cum imprimis Cabilonensis II. varii sunt canones. In oriente synodus œcumenica VII. in occidente vero Lateranenses III. & IV. varia circa hoc statuunt. Ab HONORIO III. omnia recensentur ejusmodi, referturque c. conquerente 16. de officio judicis ordinarii, quid præstari debeat, & exigere possit episcopus: „Habeas canonicam obedientiam, „subjectionem & reverentiam, institutionem „& destitutionem, correctionem & reformationem, ac censuram ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium, pœnitentias & sacramentorum omnium, quæ „ab episcopo sunt recipienda, collationem, „synodum & synodatici seu cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum „& mortuariorum, visitationem quoque annuam: ita quod ad eas visitandas accesseris non amplius procurationis nomine requiras ab eis, nisi quantum (pensatis facultatibus earundem) moderate poterunt exhibere, ne plus cæteris capellis ejusdem diœ-

An. 813.

Decretal. Lib. I. tit. 31.

„cesis

„ cesis in procurationibus onerentur.„ Et infra: „Tu autem his juribus in præfatis ecclesiis contentus existens non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateran. concilii, si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum, sicut ab aliis ecclesiis ejusdem diœcesis pro necessitate temporis sustinemus: „

Amplissimus hic foret excurrendi circa varia campus & materia, quæ copiose a canonistis disquiruntur, canonibusque ecclesiasticis, consuetudinibus & moribus variis ecclesiarum fixa sunt & determinata, quibus standum est, intercurrente etiam præscriptione, ut in jure canonico singulari titulo habetur. Idque præ oculis semper habendum, divisionem bonorum esse factam, & suum cuique esse attributum, quod quiete quisque teneat, nec jam episcopis, & superioribus etiam præsulibus jus fasque esse bona beneficialia invadere; nisi quatenus conceditur jure, quod vocatur deportuum ac annatarum sede ac beneficio vacante ad tempus, & pro rata, unde *deportus* nomen derivari solet.

Lib. II. decretal. tit. 26.

Vid. Thomass. P. III. L. II. c. 38.

§. LXIII.

Interest omnino ac opus est, ut legitime etiam quomodocunque acquisitorum ecclesiasticorum bonorum rectus fiat usus & administratio in usus pios.

Legitimus bonorum ecclesiasticorum usus.

Fideles ideo tam largiter semper in ecclesiam contulerunt bona sua & facultates, quod

ſecuri eſſent, optime illa eſſe collocata. Inſignis eam in rem eſt S. CYPRIANI epiſtola ad clerum ſuum, quibus in abſentia ſua id muneris incumbebat, ut rite diſpenſarent bona in manus clericorum ideo conſignata, ut plurium opera ſingulorum neceſſitatibus poſſent ſuccurrere, quales tunc maximæ erant perſecutionis tempore. Noluit ſanctus martyr deeſſe officio, quod incumbit epiſcopo: patetque inter præcipuas eccleſiæ curas hanc eſſe eccleſiæ ſupremis præſulibus commiſſam. Eam obligationem concilium Antiochenum graviter inculcat: „ Quæ ſunt eccleſiæ ſub omni ſollicitudine, & conſcientia bona, & fide, quæ „ in DEUM eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur: quæ etiam diſpenſanda „ ſunt judicio & poteſtate pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ, quæ in eccleſia congregantur. Manifeſta vero ſint, quæ „ pertinere videntur ad eccleſiam, cum notitia presbyterorum & diaconorum, qui circa „ ipſum ſunt, ita ut agnoſcant nec ignorent, „ quæ ſunt eccleſiæ propria, nec eos aliquid „ lateat; ut ſi contigerit epiſcopum migrare „ de ſæculo, certis exiſtentibus rebus, quæ „ ſunt eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ pereant, „ nec quæ propria probantur epiſcopi, ſub „ occaſione rerum pervadantur eccleſiæ. Juſtum namque & acceptum eſt coram DEO „ & hominibus, ut ſua epiſcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ eccleſiæ ſunt, eidem conſervetur eccleſiæ, ut nec eccleſia „ aliquod patiatur incommodum, nec epiſcopus ſub occaſione proſcribatur eccleſiæ, & „ in cauſas incidant, quæ ad eum pertinent, & „ ipſe poſt obitum maledictionibus gravetur. „ Hæc indivulſa volui exſcribere, ut ſub uno

Epiſt. 5.

Can. 24.

veluti

veluti conſpectu habeantur, quæ circa diſpenſationem bonorum eccleſiaſticorum partim jam ediſſeruimus, partim mox articulatius enodabimus. Quorſum cum etiam ſequens ſpectet canon, eum ſimiliter exſcribam, multum enim juvat ex legibus & canonibus ſacris id ſimul comprehendiſſe & perſpexiſſe, quod faciendum incumbit. Ita autem habet: „ Epiſco- „ bus eccleſiaſticarum rerum habet poteſtatem, „ ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, „ cum ſumma reverentia & timore DEI. Par- „ ticipet autem & ipſe, quibus indiget, ſi ta- „ men indiget, tam in ſuis quam in fratrum, „ qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus pro- „ futuris, ita ut in nullo qualibet occaſione „ fraudentur: juxta ſanctum apoſtolum ſic „ dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus.* Quodſi contentus „ iſtis minime fuerit, convertat autem res ec- „ cleſiæ in ſuos uſus domeſticos; & ejus com- „ modo vel agrorum fructus, non cum presby- „ terorum conſcientia, diaconorumque per- „ tractet, ſed horum poteſtatem domeſticis „ ſuis, aut propinquis, aut fratribus, filiiſ- „ que committat, ut per hujusmodi perſonas „ occulte cæteræ lædantur eccleſiæ, ſynodo „ provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & „ aliter accuſetur epiſcopus, aut presbyteri „ qui cum ipſo ſunt, quod ea, quæ pertinent „ ad eccleſiam vel ex agris, vel ex alia quali- „ bet eccleſiaſtica facultate ſibimet uſurpent, „ ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes; „ criminationi vero & blaſphemiis tam ſermo „ prædicationis, quam hi, qui diſpenſant tali- „ ter, exponantur, & hos oportet corrigi, „ ſancta ſynodo id quod condecet approbante. „

Can. 25.

1. *Tim.* *VI.*

Gravia ſunt quæ S. HILARIUS hanc in rem

rem in illud psalmi LII. *Qui devorant plebem*
p. 88. 89. *meam sicut escam panis*, commentatur: „Sunt,
„ (inquit) comedentes populum DEI ut ci-
„ bum panis, *quibus*, ut idem beatus aposto-
„ lus ait, *Deus venter est*, qui ministerium
„ deputant ad negotiationem, collationibus
„ se plebis & muneribus ditando: dum con-
„ vivia sub obtentu religionis sumtuosa sectan-
„ tur, dum apothecas suas inutili religiosorum
„ obsequio distendunt; (cum consuetudo ab
„ apostolis necessariæ hujus collationis ad diur-
„ nam tantum sæculo renuntiantium aut per
„ inopiam indigentium, alimoniam fuerit in-
„ stituta) de quibus scriptum est *comedentes*
„ *domos viduarum, & oratione longa orantes.*
„ Hi ergo, ut cibum panis DEI populum co-
„ medunt, & Dominum non invocaverunt.
„ *Stulti enim in corde suo dixerunt: Non est*
„ *DEUS.* Non invocant ergo quem negant„

Lectu dignissima sunt, quæ copiose S. AM-
c. 15. BROSIUS in hoc argumento *lib. II. de of-*
ficiis tractat, occasione arrepta malorum tunc
ingruentium ob investationem barbarorum in-
numeros christianos in captivitatem abducen-
tium, quibus aliisque necessitatibus etiam sa-
c. 26. 27. cra altaris vasa & quidquid ecclesiæ est auri
28. & argenti impendenda sint, ut ipse se fecis-
se testatur. Legitur etiam in vita S. AUGU-
STINI, cujus hac in re studia jam memo-
c. 24. ravi a POSSIDIO scripta, quam rationem
S. AMBROSIUS tenuerit, & sollicitus fue-
rit in pios ejusmodi usus bona & facultates
congregandi, sed studio integerrimo, ab om-
ni cupiditate & utilitate propria alieno; lu-
cro præsertim non satis honesto. Exemplum
præprimis illustre circa MARCELLUM
quemdam episcopum dedit, qui sorori viduæ

ea conditione fundum quemdam ac terram concessit, ut moriens ecclesiæ relinqueret. Sed dum LETUS frater contra donationem istam exciperet, contendere noluit S. AMBROSIUS, remque, ut potuit, composuit, licet ecclesia defraudari videretur. Notabiles autem sunt, quas in eam rem reddit rationes ad præsens argumentum. Perinde sic est, sive bona ecclesiæ rite dispensentur, sive relinquantur, ne cupiditati locus esse videatur. *Vid. ep. 49.*

Quam in rem insignis fuit industria S. CHRYSOSTOMO erga clerum suum, ut cupiditatem hanc malorum omnium fontem in eis extingueret, & ad frugalem vitam, moderatumque bonorum ac rerum hujus vitæ usum adduceret, ut de eo PALLADIUS in dialogo de ejus vita testatur, ac etiam SOZOMENUS. Insigne autem cumprimis ipse exemplum dedit, dum in exilio degens summam argenti sibi subministratam non suis sed operariorum in vinea Domini, ad convertendos Phœniciæ populos, usibus dicaret. Legenda etiam est nona illius in epistolam ad Philippenses homilia, ut eorum dicteriis occurreret, qui in pravum bonorum ecclesiasticorum usum invehebantur, & clerum traducebant. Testis is etiam nobis est, quam præstabilem usum ecclesia Antiochena ditissima faceret. Quam ob rem imprimis S. FLAVIANUM dilaudat, & non alium ob finem facultates illius ecclesiæ in agris, domibus, curribus, mulis &c. extollit, recensetque numerum pauperum ultra tria millia, præter captivos, infirmos in hospitalariis, peregrinos ac ministros altaris. *Lib. VIII. c. 9.* *Epist. 51.* *Hom. 21. in ep. 1. ad Cor.* *Hom. 56. 66. 85. in Matth. & alibi.*

Qua in re ardor etiam & studium S. BASILII enituit, legique debent, quæ refert *Epist. 94.*

ad

ad ELIAM Cappadocem de ecclesiæ domibus & hospitalibus omni commoditate instructis etiam medicis, portitoribus, conductoribus & artificibus ad operas & manufacturas ad quævis necessaria subministranda pro infirmis & peregrinis. Idem in monasteriis sategit circa hospitalitatem, non splendide tamen sed frugaliter instruendam. Quam in rem legendæ sunt regulæ ejus majores, vigesima præsertim & proxime sequentes. Dolet autem zelum & studium in ea re tepuisse suo tempore præ antiqua ecclesiæ pietate:
Epist. 191. *Hæc enim*, inquit, *erat olim ecclesiæ gloria, ut ab orbis termino ad terminum brevibus tesseris, veluti viatico, instructi fratres, ex unaquaque ecclesia patres & fratres omnes invenirent.*

Sed identidem fuerunt, qui studia inflammarent, & priscam pietatem sectarentur, velut jam alibi complura eorum laudavi exempla, qui res & vasa sacra ecclesiæ indigentium necessitatibus impenderent: quibus nunc opportunum quam maxime ex SOCRATE minus notum ACACII Amidensis nomen addam, & misericordiæ opus erga captivorum Persarum ingentem numerum: *ACACIUS*,
Lib. VII. c. 21. sunt SOCRATIS verba, *eam rem haudquaquam negligendam putavit. Convocatis igitur clericis, qui sub ipso erant: DEUS, inquit, noster nec lancibus indiget, nec poculis. Nam neque comedit, neque bibit; quippe qui nulla re opus habeat. Cum igitur multa vasa partim aurea, partim argentea possideat ecclesia ea, benevolentia & liberalitate eorum, qui in ipsam adscripti sunt, consentaneum est, ut illorum pretio captivos a militibus redimamus, eisque cibos submini-*

nistre-

nistremus. Cum hæc aliaque ejusmodi illis disseruisset, vasa quidem sacra conflari jussit; deinde pro singulis captivis pretio militibus persoluto, aliquamdiu eos aluit, tandemque viatico instructos ad regem Persarum remisit. Idem fecit S. CÆSARIUS Arelatensis in obsidione Arelatensi erga Gottos, ut in ejus vita refertur, ut constet nullum genus homi- *Lib. I. n.*
num etiam barbarorum ab hoc pietatis opere 17.
excludendos esse, bonaque ecclesiæ præsto esse debere, atque sacerrimum semper habuisse usum apud pios administros: *Scientes*, ut JULIANI POMERANI verbis utar, *ni- De vita*
bil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, contempl.
pretia peccatorum & patrimonia pauperum, L. II. c. 9.
non ea vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Quod in concilio Carthaginensi IV. definitum est; *Ut episcopus rebus ecclesiæ tan- Can. 31.*
quam commendatis, non tanquam propriis utatur. Et patres concilii Aurelianensis I. *Id Can. 6.*
esse justissimum, definierunt, *de bonis ecclesiæ, ut in reparationibus ecclesiarum, alimoniis sacerdotum, & pauperum vel redemtionibus captivorum, quidquid DEUS in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & clerici in adjutorium ecclesiastici operis constringantur. Quod si aliquis sacerdotum ad hanc curam minus sollicitus & devotus extiterit, publice a comprovincialibus episcopis confundatur. Quodsi nec sub tali confusione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus.*

§. LXIV.

§. LXIV.

Et administratio, non dominium.

Administratores fideles esse debent, quibus cura & dispensatio bonorum ecclesiasticorum est concessa, non dominium, sacrosque reditus sibi non necessarios, tenentur in pios expendere usus.

Quæstio hæc inter recentiores theologos agitatur, an sint domini bonorum ecclesiasticorum clerici, quod in jure canonico expresse determinatur: *Episcopus, & quilibet prælatus rerum ecclesiasticarum procurator est, non dominus.*

Cap. Fraternitatem. De Donationibus.

Sed quæstio est, quo jure an ex præcepto ecclesiæ, quæ mandat hos reditus in pios usus fideliter expendi, id teneantur; an ex justitia, utpote bonorum ecclesiasticorum non domini, sed simpliciter œconomi & administratores: quod potior saniorque theologorum pars asserit, communi omnium temporum persuasioni & usui fidelium quorumque ecclesiæ ministrorum conformiter, secundum primigeniam naturam horumce bonorum: *Siquidem*, ut habetur in concilio Mediolanensi I. sub CAROLO BORROMÆO, *ubi primum ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quam sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset.* Concilium Tridentinum ad canones apostolorum, trigesimum septimum nimirum, & septuagesimum quintum juxta DIONYSII collectionem provocat: ac primum de episcopis agens: *Omnino eis interdicit synodus, ne ex reditibus ecclesiæ consan-*

Acta eccl. Mediol. p. 39.

Sess. XXV. c. 1.

ſanguineos familiareſque ſuos augere ſtudeant. Cum & apoſtolorum canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ DEI ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant. Et paulo poſt: *Quæ vero de epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque beneficia eccleſiaſtica tam ſæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales pertinere decernit.*

Quoad pontificem ipſum expreſſa eſt ſententia D. THOMÆ: *Quamvis res eccleſiæ ſint papæ, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut Domini & poſſeſſoris.* 2.2.q.100. a.1. ad 7. PETRUS Alliacenſis ex illis apoſtoli verbis, *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros CHRISTI & diſpenſatores myſteriorum DEI* concludit: „ Cum ſit miniſter & diſpenſator bonorum communitatis in quo requiritur bona fides, non habet collatam ſibi poteſtatem ſuper bonis ipſis, niſi ad neceſſitatem vel communem eccleſiæ utilitatem. Unde ulterius concluditur, quod ſi papa pro libito diſtrahat bona eccleſiæ, & non diſpenſet bona fide, de jure non tenet: & non ſolum tenetur ad pœnitentiam de peccato, quaſi propter abuſum rei, ſed infideliter agit, & ad reſtitutionem tenetur. Si aliunde haberet, cum ſit defraudator rei alienæ. Secus ſi eſſet Dominus, quia in re ſua quilibet eſt ultimus moderator & arbiter. „ Pontificibus Romanis ulterius cura ea incumbit, ut invigilent, ne quid uſpiam aliter diſpenſetur de eccleſiaſtico patrimonio: *Ne victus pauperum pereat*, verba ſunt S. LEONIS, *ne quod ex oblatione fidelium jam DEO factum eſt ſacrificium,* *Epiſt. ad Auxim.*

cium, *præda raptorum fiat.* Jam superius commemoravi ingens ecclesiæ Romanæ studium undique terrarum succurrendi necessitatibus indigentium ex sua penu, auctoque patrimonio PETRI per varias regiones in orbe christiano. Qua de re insigne est, quod de GREGORIO M. refert in ejus vita JOANNES DIACONUS: *Qualiter sane GREGORIUS*, ipsius verba sunt, *per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus per totius mundi amplitudinem, suæ pastoralis solicitudinis oculos circumtulerit, non abs re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in epistola ANTHEMIO subdiacono, discedenti tibi mandavimus, & postmodum præceptis discurrentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres: & quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, & vix de paucis hæc facere curasti.* Passim in ejus epistolis hæc occurrunt, cum jam antea in concilio Romano IV. sub SYMMACHO id gravissime sit constitutum, atque ejus rei ratio allata circa omnia ea, *quæ vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ pauperum causa contulerit.* Secus quod fiat, *iniquum & sacrilegii instar habetur.*

Lib. II. c. 55.

Eadem omnium semper fuit antiquorum persuasio. *Nihil*, scribit S. AMBROSIUS ad VALENTINIANUM ep. 31. *ecclesia sibi, nisi fidem possidet, hos reditus præbet, hos fructus: possessio ecclesiæ sumtus est egenorum.* Hæc una ratio fuit non cupiditatis sed charitatis, ut pii præsules aggregandis ecclesiæ bonis studerent, iisque administrandis dispensandisque incumberent sedulo. *Magna igitur*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *provisione*

Lib. III. de sacerdotio c. 16.

opus

opus est, ut ecclesiæ facultates neque redundent, neque rursus desint. Sed quæ ecclesiæ erogantur continuo indigentibus sunt dispertienda. JULIANUS POMERANUS PAULINUM, HILARIUM & alios collaudat, qui suis bonis relictis ecclesiæ præfecti bonorum omnium dispensatores sunt facti: *Non*, inquit, *ut possessores, sed ut procuratores facultates ecclesiæ possidebant.* Idem S. ISIDORUS PELUSIOTA agit, & dolet exempla piorum antistitum deficere, qui satis norant, quid sibi muneris & obligationis sit erga indigentes: *Quorum*, inquit S. AUGUSTINUS epist. ad BONIFACIUM, *procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Infinita ejusmodi afferri possent testimonia, & totidem exempla, quot unquam fuerunt, qui rectum bonorum ecclesiasticorum fecerunt usum.

Lib. II. c. 9. de vita contempl.

Lib. V. ep. 21.

§. LXV.

Usus bonorum ecclesiæ, quos sibi vendicant ac usurpant personæ ecclesiasticæ, moderatus esse debet & frugalis, non luxuriosus, aut in res illicitas expensus.

Usus moderatus bonorum, non luxuriosus.

Quin personæ canonicæ, qui portione gaudent bonorum ecclesiasticorum, atque ecclesiæ deserviunt, quatenus suis necessitatibus opus est, sibi sumere possint, nemo in dubium vocat. *Quis militat ex suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?... Nescitis quoniam, qui in*

sacerdotio operantur, quæ de sacrario sunt, edunt. „Non dixit PAULUS, (inquit S. „CHRYSOSTOMUS) quis militat, & „non est dives? Sed *quis militat suis stipen-* „*pendiis unquam?* Neque dixit, qui plan- „tat vineam, & aurum non colligit, aut „fructum integrum non vindemiat? Sed *ex* „*fructu ejus non comedit?* Neque dixit, qui „pascit gregem, & de agnis non exercet „mercaturam? Sed *& de lacte ejus non co-* „*medit?* Non ex agnis, sed ex lacte. Opor- „tet enim habere & fortitudinem militis, & „agricolæ diligentiam, & curam pastoris, & „post hæc omnia nihil amplius quærere, „quam necessaria.„ *Apostolus PAULUS,* sunt verba S. HIERONYMI, *qui altari, inquit, serviunt, de altari participant & vivunt. Permittitur tibi, o sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxuries.* Vehementer tum eo loco, tum alibi invehitur in abusum hic gliscentem, jam suo tempore, & deinceps amplius etiam invalescentem, ut non raro commodorum vitæ potius, quam muneris ecclesiastici ratio in suscipiendo statu ecclesiastico habeatur, teneaturque. Quod malum ut tolleretur, peroptavit concilium Tridentinum, ab illis ordiendo, quibus potissimum res ecclesiæ debentur, episcopis inquam. *Optandum est*, sunt verba laudati concilii, *ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sunt partes agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro DEI gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque inflammandos, si præpositos suos viderint non ea, quæ*

Hom. 21. in ep. I. ad Corinth.

In c. 2. Michaæ,

Sess. XXV. c. 1.

quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta synodus animadvertat, admonet episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: imprimis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat DEO, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo patrum nostrorum in concilio Carthaginensi non solum jubet, ut episcopi modesta supellectili, & mensa, & frugali victu contenti sint: verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum: quodque non simplicitatem, DEI zelum, ac vanitatum contemtum præseferat. Ita vero habet canon Carthaginensis concilii IV. quam indigitat, referturque a GRATIANO: *Ut episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Quanto id magis convenit aliis minori in gradu dignitatis constitutis personis ecclesiasticis, minusve officium præstantibus, ac stipendium merentibus? *C. Episcopus 41. dist.*

Nec contra temperantiæ tantum virtutem & moderationem peccari hic contigit sed etiam contra justitiæ leges, ut ad restitutionem teneantur ex suis bonis, si quæ sunt, aut parcendo sumtibus etiam honestis & ordinariis, juxta theologos graves, qui bona ecclesiastica prodigunt. Vult autem sacerdotem S. AM-

Lib. II. de offic. c. 21. BROSIUS *nec bonorum operum sumtibus immoderatum esse : Impensas misericordiæ convenientes frequentare , quantum oporteat largiri peregrinis , non superflua , sed competentia ; non redundantia , sed congrua humanitati , ne sumtu pauperum alienam sibi quærat gratiam.* Varia illic attingit e. g. ædificia, vultque non superfluas ædificationes aggredi , non prætermittere necessarias. Addit tamen , maxime sacerdoti hoc convenire , ornare DEI templum decore congruo , ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. Fuit hæc, ut superius vidimus ex quatuor partibus una bonorum ecclesiasticorum , sicuti etiam pauperum. Sed hæc potior est ; nec arithmetica hic valet distributio , cura semper potissimum indigentium est habenda , præsertim in articulo necessitatis. 2.2.q.185. a. 7. *Dicendum* , inquit D. THOMAS , *quod non omnia bona ecclesiarum sunt pauperibus distribuenda , nisi forte in articulo necessitatis.* Additque : *In tali necessitate peccaret clericus , si vellet de rebus ecclesiasticis vivere , dummodo haberet patrimonalia bona , de quibus vivere posset.*

Patet hinc , quid dicendum de usibus non solum superfluis, sed illicitis etiam. Inter quos canonibus ecclesiasticis lusus præsertim sunt interdicti , illecebræ item voluptatum & pomparum sæculi , in venationibus , comædiis , armis , pugnis , tabernis , popinis , commessationibus , choreis &c. de quibus videri potest P. III. L. III. c. 42. THOMASINUS ubi agit *de nefario & perverso usu rerum ecclesiæ proventuumque sacrorum.*

§. LXVI.

§. LXVI.

Excepta necessitatis summæ ac pietatis, causa ecclesiæ bona alienare ac dilapidare nefas est, pariter ac ea alienis & rapacibus invadere manibus & diripere. Ne alienentur aut diripiantur.

Quoniam bona vel reditus ecclesiæ semel attributi pro dicatis DEO semper habiti sunt, cultui ejus tantummodo impendi, nec in ullum alium usum converti debuerunt, nisi extraordinarius necessitatis charitatisque casus id exigat: e. g. captivorum redimendorum, vel pauperum famis tempore juvandorum, quando etiam vasa sacra confregisse pietatis fuit, ut jam exempla dedi, interque alia est S. AMBROSII, qui idcirco ab Arianis in crimen vocatus se defendit. *Nonne melius*, ait, *conflat sacerdos pro alimonia pauperum, si alia subsidia desint, quam ut sacrilegus contaminet & asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: cur passus es tot inopes fame mori? Certe habebas aurum, unde ministrasses alimoniam? Cur tot captivi deducti in commercium, nec redemti ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum. His non potest responsum adferri. Quid enim dices? Timui, ne templo DEI ornatus deesset! respondebit: Aurum sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemtio captivorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte.* Simili in necessitate, injuria S. CYRILLUS HIEROSOL. ab ACACIO fuit impetitus, *Lib. II. de offic. c.28.*

quod thesauros ecclesiæ & vestes sacras pretiosissimas divendidisset: *Cum*, inquit SOZOMENUS, *Hierosolymorum regionem fames occupasset, egentium multitudo necessariis alimentis destituta ad episcopum oculos conjecit, cum autem pecuniæ deessent, quibus subveniri posset egentibus, CYRILLUS thesauros ecclesiæ & sacra vela divendidit.* VICTOR Vitensis tale pietatis opus in episcopo Carthaginensi DEOGRATIAS dilaudat. „Illo (inquit) episcopo constituto „factum est peccatis urgentibus, ut urbem „illam quondam nobilissimam atque famosam „decimo quinto regni sui anno GEISERICUS caperet Romam. Et simul exinde „regum multorum divitias cum populis captivavit. Quocum multitudo captivitatis Africanum attingeret littus dividentibus Vandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, ut moris est barbaris, mariti ab uxoribus, liberi a parentibus separabantur. Statim satagit vir DEO plenus & clarus universa vasa ministerii aurea vel argentea distrahere, & libertatem de servitute barbarica liberare, & ut conjugalia fœdera manerent, & pignora genitoribus redderentur.„

Lib. IV. c. 25.

Lib. I. de persecut. Vandal.

Constitutum autem erat, ut venditio sine subscriptione clericorum aut licentia primatis ac episcoporum comprovincialium fieri omnino non posset. *Irrita erit*, decernit concilium Carthaginense IV. *donatio episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniventia & subscriptione clericorum.* Et conc. Carthaginense V. *Placuit, ut rem ecclesiæ nemo vendat. Quodsi aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primatui provinciæ ipsius, ut cum statuto numero*

c. 32.

c. 4.

mero episcoporum, utrum faciendum sit arbitretur. Et concilium Agathense: *Quodsi necessitas certa compulerit, ut pro ecclesia necessitate aut utilitate, vel in usufructu vel in directa venditione aliquid distrahatur, apud duos tresve comprovinciales vel vicinos episcopos causa, qua necesse sit vendi, primitus comprobetur.* Can. 7.

Alias in usum profanum vertere res semel ecclesiæ consecratas imprimis piaculum erat: *Vas ac instrumentum*, habet canon apostolicus, *ex auro vel argento vel linteo, DEO consecratum, nemo amplius in usum suum convertat: iniquum enim est. Si quis autem deprehensus fuerit, segregatione multetur.* Irritam ejusmodi distractionem sede vacante a presbyteris factam jam concilium Ancyranum ineunte sæculo quarto rescindendam esse voluit: *De his, quæ pertinent ad ecclesiam, quæcunque, cum non esset episcopus, presbyteri vendiderunt, placuit rescisso contractu ad jura ecclesiastica revocari. In judicio autem erit episcopi, si pretium debeat recipi, nec ne: quia plerumque rerum distractarum reditus ampliorem summam pro pretio dato reddiderit.* Concilio Valentiniano, vergente eodem sæculo quarto, tribuitur decretum, irritam declarans alienationem bonorum ecclesiæ, sine consensu scripto dato sacerdotum, quibus eorum bonorum custodia sit. Patet ex accusatione contra S. GREGORIUM NISS. in præsenti causa, quod thesaurarii fuerint ecclesiæ, qui rationem reddere & calumniam retundere parati fuerint, ut S. BASILIUS ad DEMOSTENEM vicarium præfecti prætorii in Ponto & Cappadocia perscribit, qui ea in

Can. 73.

Can. 14.

Epist. 225.

causa concilium Arianornm Ancyræ in Galatia congregaverat. Gravior & assertior fuit causa ANTONINI Ephesiorum episcopi a S. CHRYSOSTOMO dijudicata, teste PALLADIO, cujus accusationis priora capita erant de rebus ecclesiæ distractis, & in profanum usum impie deductis. Et S. ISIDORUS PELUSIOTA non contentus fuit, quod S. CYRILLUS ALEXANDR. minatus tantum fuerit, non reipsa excommunicaverit presbyterum MARTINIANUM, qui ab EUSEBIO constitutus œconomus Pelusio bona ecclesiæ dilapidavit, & Simoniam exercuit. S. LEO gravem dedit epistolam ad episcopos Siciliæ, ne quid bonorum ecclesiæ alienare audeant, etiam in utilitatem suarum ecclesiárum sine totius cleri consensu. CÆSARIUS Arelatensis SYMMACHUM P. commonuit, quod in Galliis sub variis prætextibus bona ecclesiæ alienarent, unde quotidie diminuerentur fundi ad opem pauperibus ferendam destinati. Petit igitur, ut alienationes hujusmodi auctoritate sedis apostolicæ prohiberentur, nisi forte pieatatis causa monasteriis traderentur. Quod graviter fecit SYMMACHUS epistola ad CÆSARIUM data, ubi inter alia hoc primum occurrit decretum: *Possessiones igitur, quas unusquisque ecclesiæ proprio dedit ac reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque contractibus, vel sub quocunque argumento non patimur: nisi forsitan aut clericis honorum meritis, aut monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis necessitas largiri suaserit: sic tamen, ut hæc ipsa non perpetuo sed temporaliter donec vixerint perfruantur.* Necesse fuit in concilio Chalcedonensi hujus rei causa circa res monaste-

Vita Chrysost. c. 13.

Lib. II. epist. 127.

Epist. 17.

T. IV. conc. p. 1295.

naste-

nasteriorum ac ipsa monasteria decerni, ne amplius in sæculares usus degenerent: *Quæ semel voluntati episcopi consecrata sunt monasteria, perpetuo manere monasteria, & res quæ ad ea pertinent servari, eaque non amplius fieri sæcularia habitacula. Eos autem qui hoc fieri permittunt, canonum pœnis subjici.* Can. 24. GRATIANUS refert canones plures concilii Agathensis, quorum nono permittitur rescindi venditiones factas sine licentia. Idem in concilio Epaonensi statuitur. Ex concilio An. 517. Agathensi paulo ante citavi partem canonis can. 7. circa præsens argumentum. Præter canonem autem vigesimum secundum, ubi de eadem re agitur tanquam nota & antiquis canonibus prohibita, quo facilius tamen cupiditas aut improbitas reprimantur, vendere aut donare rem ecclesiæ non solum prohibetur, sed etiam qui contra fecerint rescissa venditione de facultatibus si quas habent proprias, indemnem ecclesiam reddere & communione privari decernuntur; ejusdem vigoris paulo post sequitur alius notabilis canon: *Si quis de clericis documenta, quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere aut negare, adversariis fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumserit, quidquid per absentiam documentorum damni ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam qui in damno ecclesiæ instrumenta ecclesiæ, impie sollicitatis traditoribus, susceperint, pari sententia feriantur.* Conc. Agath. C. 26. Spectat hic canon usurpationes & sollicitationes bonorum ecclesiæ satis tunc frequentes, contra quas eodem fere tempore concilium Romanum sub An. 504. SYMMACHO decreta edidit, & ceu sacrilegium damnavit: *Ergo ingens sacrilegium* T. IV.

est,

conc. p. 1373. *est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum vel salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenit, id est christianis & DEUM timentibus hominibus, & super omnia a principibus, & primis regionum in aliud transferri vel converti. Propterea qui aliter, quam scriptum est, prædia ecclesiis tradita petierit vel acceperit, vel injuste defenderit, aut retinuerit, nisi cito correxerit, anathemate feriatur.* Et paulo post: *Similiter & hi, qui res ecclesiæ jussu vel largitione principum vel quorundam potentum, aut quadam invasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & filiis vel hæredibus suis quasi hæreditarias reliquerint, nisi cito res DEI, admoniti a principe reddiderint, perpetuo anathemate feriantur.* Procul hoc erat a pietate JUSTINIANI, qui pluribus legibus alienationem bonorum ecclesiasticorum prohibuit; quomodo vero recte & utiliter impendi debeant, variis etiam in contractibus modum præscribit.

Nov. 7. 46. 120.

In occidente præsertim opus fuit hujusmodi alienationes usurpationesque bonorum ecclesiæ identidem restringere: quam in rem plures sunt canones concilii Aurelianensis III. & IV. octo priores; concilii autem Parisiensis decem. Laudaturque constantia INJURIOSI Turonensis a GREGORIO Turonensi *lib. IV. de gestis Francorum c. 2.* qui cæteris episcopis cedentibus importunitati CLOTARII solus restitit, & pervicit tandem. Creditusque est CAROL. MARTELLUS damnatus ob usurpationem bonorum ecclesiasticorum; ut refertur in capitul. regum Francorum. Sed non idcirco cessavit usur-

T. II. p. 202.

usurpatio, fuerunt tum monitiones cum terrores canonum necessarii; stimulatque invidia & cupiditas involandi in possessiones sacras ac patrimonium CHRISTI.

§. LXVII.

Bona ecclesiæ propria vel appropriianda, commercio humano variisque contractibus subjecta sunt, salvis suis privilegiis, secundum canones & leges ecclesiasticas, quæ etiam civiles non raro determinant ac corrigunt. Aut aliis modis in commercio & contractibus lædantur.

S. RAYMUNDUS in compilatione decretalium, quæ sub nomine GREGORII IX. prodierunt, & præcipuam juris canonici partem conficiunt, post titulum *de rebus ecclesiæ alienandis vel non*, subjicit titulos plures consequenter de variis contractibus, qui possunt accidere etiam circa bona ecclesiæ, quæ aut jam ceu propria possidet, aut hujusmodi contractibus accipere potest. *Lib. III. tit. 13.*

Ac primo occurrit titulus *de precariis*, quæ a *precario* in hoc distinguuntur, quod secundum illas ad certum tempus aut dies vitæ conceditur usus bonorum immobilium, sub reservatione exiguæ recognitionis non proportionatæ ad usumfructum exinde percipiendum. Jubentur autem precariæ singulis quinquenniis renovari, cum precarium ad nutum concedentis sit revocabile; conceditúrque successori precariam per prædecessorem irrationabiliter factam revocari. Similiter statuitur *tit. 14. c. 1.* *tit. 16. c. 1.*

ex

ex deposito facto apud clericum non teneri ecclesiam: nisi in utilitatem ecclesiæ sit versum.

tit. 18. *c.* 2. Conceditur personis ecclesiasticis locare proventus decimarum his, cum quibus sit conditio ecclesiæ melior, non obstante contrario statuto; ut tamen hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur extendi.
c. 4. Cavetur autem, ne emphiteuta ecclesiæ meliorationes suas, nisi certis præscriptis conditionibus, vendat. Et si contra fecerit, vel canonem per biennium non solverit, nisi celeri satisfactione sibi consulere studuerit, juste decernitur posse expelli.

tit. 19. *c.* 1. Si voluerit princeps rem immobilem sanctis locis præstare & accipere ab eis aliam immobilem, eoque modo de communi voluntate per mutationem contrahere: id conceditur, si causa rationabilis id exposcat, &
c. 2. res, quam præstiterit, major fuerit vel æqualis. Quod est juxta Novell. 7. JUSTINIANI. Commutationes autem rerum ecclesiasticarum ab antecessore inconsulte factæ, a
c. 3. 4. successore emandari jubentur; caveturque ne mancipia ecclesiastica, nisi ad libertatem com-
c. 5. 7. mutentur. Præbendæ etiam commutari prohibentur; beneficiaque perdunt, qui ea propria auctoritate permutant; ac episcopi est causam inspicere necessariam, personas de
c. 6. uno loco ad alium transferendi. Ecclesiarum parochialium & possessionum earum permittitur ad invicem permutatio, suppleto pro minus valentibus pretio; spirituale vero cum
c. 9. temporali permutare neutiquam.

tit. XX. *c.* 2. *tit.* 24. *c.* 5. Aliquando non obstante juramento de non alienando seu noviter infeudando, potest episcopus antiquum feudum ad ecclesiam reversum novo vasallo concedere. Nisi justissima

ſima de cauſa non licet oppignorare res ecclesiæ. Qua in re indulgentius eſt jus canonicum quam civile, quod talem oppignorationem tantum indulget in cauſa redemtionis captivorum. Quodſi rector eccleſiæ pro ſua neceſſitate rem eccleſiæ pignori obligavit, cogitur hæres eccleſiæ reſtituere. *tis. XXI. c.* 1. *Nov.* 7. *c.* 8. *tit. XXI. c.* 3.

Clerici fidejuſſionibus ſe immiſcere prohibentur. Religioſis autem ſevere interdicitur fidejubere absque majoris partis capituli & abbatis licentia. Et ſi clericus fidejubeat pro alio clerico, hic ad ſatisfaciendum fideijuſſori pro ſolutione præſtita compellatur ſub privatione beneficii & officii, præſertim ſi compenſationem ſub juramento promiſerit. *tit. XXII. c.* 1. 4. *tit.* 23. *c.* 1.

Obſtringitur prælatus ſolvere debita ſui anteceſſoris pro eccleſiæ neceſſitate contracta. Suſpenditur autem ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, & eccleſia non tenetur, ſi prælatus ſe obligat pro alienis debitis. Jure civili, qui ſolvendo non ſunt, pœnis ſubjiciuntur; at jure canonico id circa clericos non licet. *c.* 2. *c.* 3.

Donatio, quam facit prælatus in damnum eccleſiæ & inconſulto capitulo, non valet: quoad hoc autem attendi debet quantitas rei donatæ, & loci conſuetudo. Epiſcopus viris religioſis eccleſiam donans cenſetur etiam fructus illius donaſſe; ſed donatio quinquageſimæ vel centeſimæ cum gravi eccleſiæ ſuæ damno poteſt legitime revocari: nec etiam poteſt ultra quinquageſimam vel centeſimam conferre, etiam ceſſante læſione eccleſiæ ſine auctoritate ſuperioris. Monaſterium, domus, hoſpitale licite & valide ſe ſubmittit ac donat alteri monaſterio, domui religioſæ, hoſpita- *tit.* 24. *c.* 2. 3. *c.* 7. *c.* 8.

ſpitali vel eccleſiæ, etiamſi ipſius monaſterii res ac jura actu ſint litigioſa, & fratres talis monaſterii, quod ſe alteri ſubmittit, excommunicati, & ob perjurium infames ſint; dummodo per eam ſubmiſſionem ac donationem non præjudicetur juribus epiſcopi vel tertii.

Hæc potiſſimum ſunt, quæ titulis illis decretalium decernuntur, circa res & bona eccleſiæ, extenduntque ſe ad monaſteria & hoſpitalia, prout etiam apud JUSTINIANUM habetur. Qui etiam alia proſequitur huc pertinentia quoad alienanda, debita ſolvenda, permutanda, in emphiteuſin mittenda, locanda, hypothecanda &c. quæ dijudicanda ſunt & determinanda juxta has aliasque leges & conſuetudiues eccleſiaſticas; quæ haud raro determinant & emendant leges civiles. E. g. qua culpa teneatur commodatarius, depoſitarius &c. circa juſtum venditionis pretium, ac fraudes in menſuris & ponderibus, eccleſiaſticam fraudatoribus conſtituendo pœnam, & actionem permittendo venditori ſi deceptus ſit ultra dimidium pretii: cum jure civili licitum ſit ementibus & vendentibus ſe invicem circumſcribere uſque ad dimidium juſti pretii. Cavet autem jus canonicum, ne eccleſia in actibus ſuis fraudes adhibeat, nec permittit clericis emere vilius & vendere carius &c. Limitatur etiam jure canonico jus civile circa rem propter nuptias donatam venditam, ſi vir habeat alia bona, unde uxor ſibi conſulere poſſit, & emptor ſpacio 30. annorum rem poſſideat, quin uxor eum inquietare valeat, maxime ſi pretium fuit converſum in communem uſum viri & uxoris. Hæc ſpeciminis loco ſunto.

Nov. 7. *Nov. 46. 120.* *tit. XV. tit. XVI. c. 2. tit. XVII. c. 1. 2. c. 3. Leg. 22. §. 3. locat. l. 2. in fin. c. de reſcind. vend. tit. XXIV. c. 5. C. 3. canonum 14. q. 4.*

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Quamvis clericis, minoribus præsertim, consultum ac necessarium etiam fuerit non raro victum sibi quærere, artificio ac negotiolo, quæstuosæ tamen nundinationes & operosæ negotiationes semper eis sunt interdictæ. De negotiationibus clericorum.

S. AUGUSTINUS non solum dilaudat, sed etiam alios ad imitationem exstimulat eorum, *qui orientis more & PAULI apostoli auctoritate manibus suis se transigunt.* Confitetur nimirum apostolus, se ne cui gravis esset, manibus suis victum sibi præstitisse. Quod exemplum multi sancti pastores ecclesiæ sunt imitati, etiam episcopi; quod de S. SPIRIDIONE refert SOCRATES, cujus in concilio Nicæno celebre fuit nomen. Qui, teste laudato SOCRATE, cum episcopatus munere fungeretur, propter singularem animi modestiam oves etiam pavit. SOZEMENUS de ZENONE episcopo Majumæ idem refert, se propriis oculis usurpasse, quod ditissimæ licet præfectus ecclesiæ, & jam centenarius nunquam laborem manuum intermisisset.

De moribus eccles. L.I. c. 33.

Lib. c. 8.

Ab imperatoribus christianis clerici immunitatem acceperunt a tributo ac vectigali negotiationibus indicto. Quod grave alias erat, ac induxit nonnullos mercatores, ut ecclesiæ cuiquam adscriberentur, quo frui possent hac immunitate. Sed HONORIUS huic fraudulentiæ occurrens quæstuosas mercaturas excepit. Jam S. CYPRIANUS doluit, episcopos plurimos derelicta cathedra, plebe deserta,

Cod. Theodos. Lib. XIII. tit. 1. de lustral. col.

lat. l. 16. ſerta, per alienas provincias oberrantes, ne-
Lib. de lapſis. gotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari. Quam in rem ſalubrem conſtitutionem conci-
Can. 18. lium Illiberitanum edidit: *Epiſcopi presbyteri & diaconi de locis ſuis negotiandi cauſa non diſcedant; nec circumeuntes provincias quæſtuoſas nundinas ſectentur. Sane ad victum ſibi conquirendum, aut filium aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant: & ſi voluerint negotiari intra pro-*
An. 397. *vinciam negotientur.* Concilium Carthaginenſe ſtatuit: *Ut epiſcopi & presbyteri, & diaconi non ſint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant: quia reſpicere debeant ſcriptum eſſe: Nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Quibus duobus ex canonibus dilucidari debent tres canones concilii Carthaginenſis IV.; quos tamen ſunt, qui diverſorum conciliorum ſtatuta in unum collecta eſſe putent; quibus etiam id præcipi videtur, ut clerici labore manuum vivant. Sunt autem
Can. 51. hi conſequentes ſeſe canones: *Clericus quan-*
52. 53. *tumlibet verbo DEI eruditus, artificiolo victum quærat: Clericus victum & veſtitum ſibi artificiolo vel agricultura absque officii ſui detrimeuto quærat: Omnes clerici, qui ad operandum validiores ſunt, & artificiola & litteras diſcant.* Putat THOMA-
De Beneſ. P. III. L. III. c. 8. SINUS de inferioribus clericis hoc intelligi tantum debere; cum S. AUGUSTINUS in ſua congregatione clericos hoc onere diſpenſet, etiam monachos ſacris addictos: Idque muneris ſacri rationes expoſcere vult, ac aſſerit, hanc eſſe conſuetudinem eccleſia-
De opere monach. c. 29. rum, *ut nos*, verba ipſius ſunt, *ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non ſinant.*

nant. Nihilominus in concilio Turon. producitur hic exemplum apostoli: *Cum jubeamur victum aut vestitum artificiolo quaerere, & manibus propriis laborare.* Sunt etiam obvia istis temporibus talia exempla, & nonnunquam necessitas hujusmodi artificioli ad vitam transigendam esse potuit, qualis indulsit, ut & mendicare indulgeatur in concilio, quod a S. PATRICIO habitum dicitur: *Ita tamen, ut, si quis permissionem acceperit & collectum sit pretium, non plus exigat, quam necessitas poscit.* In synodo oecumenica VII. ad laborem revocantur, qui sufficientem sustentationem non habent in clero: *Ad vitae vero hujus necessitatem studia sunt diversa; ex his vero, qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim apostolus, ad ea, quae mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae.* Aliter decori ordinis sacri prospexit recentior disciplina, ne quis sacro ordini adscriberetur, cui de sufficienti sustentatione non sit prospectum.

Can. 10.

T. IV. conc. p. 1878.

Can. 15.

Semper autem ex ipsa sacri ministerii ratione cautum fuit, ne clerici se negotiis saecularibus immisceant, ac quaestuosas nundinationes sectarentur. „Non te (inquit S. AMBROSIUS) implices negotiis saecularibus, quoniam DEO militas. Etenim si is, qui imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus; quanto magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationis abstinere debet, agelli sui contentus fructibus, si habet; si non habet, stipendiorum suorum fructu?" Passim prohibitionem hanc stringunt, & est titulus singularis in jure canonico: *Ne clerici*

Lib. I. de offic. c. 36.

Decretal. Lib. III. tit. 50.

ci vel monachi sæcularibus negotiis se immi-scеant. Qua de re pluribus postea differemus.

§. LXIX.

Peculium clericorum.

Non idem omnium semper fuit studium perfectionis, nec eadem disciplina, ac persuasio doctorum veterum & recentiorum de peculio clericorum, ac bonis ecclesiæ fruendi, etiam dum suppetunt propria.

Vid. Thomasin. de Benef. P. III. Lib. III. c. 2. & 3.

Frequens fuit in antiqua ecclesia, ut episcopi ac alii clerici perfectionis amantiores patrimonio renunciarent, cum sacro ordini adscriberentur. Fecerant id exemplo apostolorum, qui suis relictis omnibus audire meruerunt, dignus est operarius mercede sua: utque qui in evangelio laborant, de evangelio vivant: quam apostolus ordinationem Domini esse dicit, & ipse etiam pronuntiat, qui altari ministrant, de altari etiam participare. Quod recentiores theologi eo interpretantur, ut licitum putent, illis etiam quibus propriæ suppetunt facultates, tamen de bonis ecclesiæ vivere. Quos acriter incessit JULIANUS POMERANUS: „Qui (inquit) ecclesiæ serviunt & labori suo velut debita „reddi oportere credentes, ea quibus opus „non habent, aut accipiunt libenter aut „exigunt; nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena percipiant. „ Agit de ea re illic copiose, & undique perfectionis normam inculcat, quæ maxime in apostolo enituit: non enim contentus sua reliquisse,

De vita contempl. Lib. II. c. 9.

postea

postea nec de altari aut oblationibus fidelium vivere voluit, sed labore manuum. *Quod nos*, inquit laudatus JULIANUS, *qui & propria nolumus, amore possidendi, non vivendi necessitate relinquere & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?* Ib. c. 14.
In concilio Carthaginensi statutum est, *ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quodsi a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni, tanquam reprobi judicentur.* Qui canon favere videtur relatæ theologorum opinioni. *An.* 397. c. 45.

Distinguuntur autem post erecta beneficia, quæ jura stolæ vocari hodie solent, ac ea omnia complectuntur, quæ clerici præter communia ecclesiæ bona beneficialia, ex functionibus ecclesiasticis, exequiis, missis, concionibus, quotidianis distributionibus accipiunt, quorum dominium acquirunt, ut pro libitu de illis possint disponere juxta S. ANTONINUM & theologos passim. *P. II. c.* 1. *§. fin.* Pauciores sunt, qui clericis similem liberam dispositionem relinquunt, non solum circa fructus & reditus beneficiorum, verum etiam circa bona, ut vocant parsimonialia, quæ de expensis quotidianis statui suo rationabiliter competentibus parcentes superant, & augentur. GRATIANUS in suo decreto veteri puritati insistit. 1. *q.* 2. *c. clericos c. pastor &c. Et si quis.*

Lib. III. tit. 25. Et in decretalibus GREGORII IX. qui habetur titulus de peculio clericorum, non distinguit propria & ecclesiastica bona clericorum, nec in decursu occurrit nomen peculii; sed id fere unum agitur, ut si quæ post ordinationem ex rebus ecclesiæ vel occasione ecclesiæ clericis obvenerunt, vel clerici acquisiverunt, ad ecclesiam, tanquam res ad ecclesias pertinentes revertantur. Referuntur autem illic omnia ad recentiorem disciplinam, postquam, facta beneficiorum erectione, bona ecclesiæ in certas portiones sunt divisa, a communi massa bonorum ecclesiæ separata. Canon tamen concilii Agathensis secundum veterem adhuc disciplinam clericos omnes participes facit stipendiorum laboribus debitorum. Ita autem habet: *Clerici omnes, qui ecclesiæ fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia laboribus debita secundum servitii sui meritum vel ordinationem canonum a sacerdotibus consequuntur.* Quod theologi in relata sententia pro se sumunt, cum clerici omnes absque distinctione aut exceptione notentur. Capitularia CAROLI M. his non respondent, ad canonicam auctoritatem provocantes: „Volumus atque præcipimus, sicut synodali atque „canonica auctoritate a pastoribus sanctæ ecclesiæ sæpe admoniti sumus, ut canonici clerici, qui in civitatibus vel monasteriis degunt, qui beneficia habent, unde victum & „vestimentum habere possunt; ut his juxta „apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores, & hi qui assidue „in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum „explentes officium vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus con-

Can. 36.

Capit. 76. 77. 78.

ver-

vertant. Scimus enim, quia absque pericu- „ lo, atque dispendio animarum suarum, hoc „ nullatenus facere possunt. Si quis hæc sta- „ tuta contempserit, utrisque careat, id est & „ beneficio & præbenda, atque si gradibus „ fruitur ecclesiasticis, his privetur; quod ha- „ bet ecclesia cum omnibus nihil habentibus „ commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de „ suo sufficiunt, convenit erogare. Quando „ nihil aliud sit, habentibus dare, quam per- „ dere. Nec illi, qui sua possidentes dari sibi „ aliquid volunt sine grandi peccato suo, unde „ pauper victurus erat, accipiunt. „ Res mox clarior evadet.

§. LXX.

Testamenta.

Fuit olim in testamentis clericorum probe distinctum inter bona ecclesiæ nomine acquisita, & propria, necdum facta bonorum ecclesiasticorum divisione.

Potest hinc illis, quæ mox diximus, non parum aspergi lucis, si æquum jus attendatur bonorum in vita, & in morte, & confusio bonorum tollatur, quam divisio eorum erectis beneficiis afferre solet. Canon apostolicus circa res episcopi, penes quem fuit moles bonorum ecclesiasticorum, hoc sollicite distinguit, quod modo fieri tam pronum non est. *Sint autem manifestæ*, ita habet, *res propriæ episcopi (si tamen & habet proprias) & manifestæ dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere; nec sub occasione ecclesiasticarum rerum* Can. 40.

quæ episcopi esse probantur, intercidant: fortassis enim aut uxorem habet aut filios, aut propinquos, aut servos. Et justum est hoc apud DEUM & homines, ut nec ecclesia detrimentum patiatur, ignoratione rerum pontificis; nec episcopus vel ejus propinqui sub obtentu ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant qui ad eum pertinent, morsque ejus injuriis malæ famæ subjaceat. Canon iste, ut alii etiam, in concilio Antiocheno firmatus est: *Manifesta vero sint, quæ pertinere videntur ad ecclesiam cum notitia presbyterorum & diaconorum qui circa ipsam sunt, ita ut cognoscant, nec ignorent, quæ sunt ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat. Ut si contingeret episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus, quæ sunt ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur episcopi sub occasione rerum pervadantur ecclesiæ. Justum namque & acceptum est coram DEO & hominibus, ut sua episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ ecclesiæ sunt eidem conserventur ecclesiæ: ut nec ecclesia aliquid patiatur incommodum, nec episcopus sub occasione proscribatur ecclesiæ; neque in causas incidant, qui ad eum pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur.* Legibus imperatoriis tum bona martyrum & confessorum sine hæredibus mortuorum, quæ alias fiscus repetere poterat, cum bona clericorum, sine hæredibus & facto testamento defunctorum, ecclesiæ cesserunt: „Si quis episcopus, aut „presbyter, aut diaconus, aut diaconissa, aut „subdiaconus vel cujuslibet alterius loci cle„ricus, aut monachus, aut mulier, quæ so„litariæ vitæ dedita est, nullo condito testa„men-

An. 341. can. 24.

Cod. Theodos. Lib. V. t. 3. de bonis cleric. l. 1. Cod. Just.

mento decesserit, nec ei parentes utriusque „ sexus, vel liberi, vel si qui agnationis co- „ gnationisque jure junguntur, vel uxor ex- „ titerit, bona quæ ad eum pervenerint sa- „ crosanctæ ecclesiæ vel monasterio, cui fue- „ rat destinatus, omnifariam socientur; ex- „ ceptis iis facultatibus, quas forte censibus „ adscripti, vel juri patronatus subjecti, vel „ curiali conditioni obnoxii, clerici vel mo- „ nachi cujuscunque sexus relinquant. „ Concilium Agathense duos in hoc argumento habet canones, quorum prior imprimis facit ad illustrationem superioris legis, ac ipse ab ea lucem accipit: *Episcopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium quam ecclesiam relinquit hæredem, si quid de ecclesia, non in ecclesiæ causa aut necessitate præsumsit, quod distraxit, aut donavit, irritum habeatur. Qui vero filios habet, de bonis quæ relinquit ab hæredibus ejus indemnitatibus ecclesiæ consulatur.* Notandum est, quod canon iste aliter a GRATIANO referatur, interjecta nempe particula negativa: *Alium quam ecclesiam non relinquat hæredem.* Et conspirat canon concilii Hispalensis I. *Comperimus in canone (consulentes vetera statuta) ut episcopus, qui res proprias, excepto filiis & nepotibus alteri & non ecclesiæ suæ dimiserit, quidquid de ecclesia rebus aut donavit, aut vendidit, aut quoquo modo ab ecclesia transtulit, irritum haberetur.* Et concilium Epaonense: *Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi in tantum de juris proprii facultate suppleverit.* Jam hinc colligi potest, cur disciplina circa testamenta successu temporum immutata est, ne res ecclesiæ distraheren-

L. I. t. 3. de episc. l. 20.

Conc. Agath. C. 23.

Causs. 12. q. 2. c. 34.

Can. 1.

Can. 17.

tur, & ad alienas manus pervenirent: cum difficillimum esset post mortem episcopi, penes quem dum vixerat erat cura bonorum ecclesiæ, sua vindicare, quod ut fieret sanxit dudum concilium Hipponense juxta FERRANDI collectionem: *Ut episcopi quidquid nomine suo comparaverint cogantur ecclesiæ refundere: quidquid autem eis donatur, cui voluerint, conferant.* Hinc conciliatur canon Agathensis concilii ante laudatus, cum consequente altero, qui ita habet: *Ut de rebus episcopi propriis vel acquisitis, vel quidquid episcopus de suo proprio habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat. Quidquid vero de provisione ecclesiæ suæ fuerit, sive de agris, sive de frugibus, sive de oblationibus, omnia in jure ecclesiæ reservare censuimus.* Quoad canonem laudatum Hipponensem, ex collatione canonum ecclesiæ Africanæ, explicatior redditur, & magis adhuc disciplina vetus illustratur postea, ubi constituitur: *Ut si quis episcopus hæredes extraneos a consanguinitate sua vel hæreticos etiam consanguineos aut paganos ecclesiæ prætulerit saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter DEI sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus decesserit, quia utique debuit, factus episcopus, rei suæ ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre.* Adhuc supersunt nobis testamenta sanctissimorum episcoporum. GREGORIUS NAZ. in favorem quidem ecclesiæ Nazianzenæ, ut a parentibus destinatum erat, sua testamento relinquit, sed reddit causam, cur neptibus, malæ nimirum vitæ, nil relinquat. S. CYRILLUS ALEX. facto testamento successori multa legavit causa addita, ut cognatis faveat. DACHERIUS nobis PERPE-

An. 393. *tit.* 32. *c.* 8.

T. II. concil. 1065. *tit.* 32. *tit.* 81.

Epist. 239.

T. IV. conc. p. 406.

PETUI Turonensis testamentum protulit in pias quidem maximam partem causas, prout ipsi libuit. Similiter CÆSARII Arelatensis, & REMIGII Remensis supersunt testamenta, in quibus de facultatibus aliunde quam ab ecclesia quæsitis plena libertate disponunt. Et ita deinceps cautum est a pontificibus, referunturque decreta conciliorum & Romanorum pontificum in jure canonico, atque distinctio fit bonorum ante ordinationem & postea acquisitorum; item ratio redditur, quæ eadem ex allatis a me antiquitatis monumentis patet: *Cum ab ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona tamen per eas acquisita in alios transferre præsumunt.* Et ex S. GREGORIO c. 1. h. t. *Quidquid ipsum habuisse patuerit, a qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum, quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quidquid vero cognoveris, eum in episcopatus ordine acquisivisse, in ejusdem ecclesiæ dominio conservetur.*

Lib. III. tit. 26. de testamentis. *C. 9. h. t.* *Lib. VII. ep. 53.*

§. LXXI.

Indecorum quidem est spolii nomen relictorum a clericis bonorum, quod ab iniquis usurpatoribus vindicatum, unacum annatis seu fructibus ecclesiæ vacantis, cessit legitimis ecclesiæ prælatis, imprimis Romanis pontificibus.

Spolia, annatæ.

Quoniam, ut superius dictum est, penes clerum fuerunt ecclesiæ viduatæ res & proventus, contigit non raro eas invadi, ut ex

mox

mox laudato canone concilii Antiocheni colligere licet, atque in concilio Chalcedonensi contra hanc usurpationem decretum est editum: *Non licere clericis post obitum sui episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum, quodsi hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.* Cautum est pluribus conciliorum canonibus, ne episcopi visitatores, qui ex vicinia ad vacantem sedem ejus curam habituri accesserant, ecclesiarum illarum bona invadant. In concilio Aurelianensi II. duo in hanc rem sunt canones quintus & sextus, necesse autem fuit eosdem renovare in concilio V. *Nec quidquam de rebus ecclesiæ, præter humanitatem auferre præsumat.* Quæ nimirum erat rata pro sua, quam gerebat cura, cujus etiam pars erat penes œconomum, & archidiaconum. Reges etiam tuitioni ecclesiæ incumbentes satagebant incolumitati rerum ecclesiasticarum, ut prohiberentur prædæ, distributiones rite fierent, & proventus fundique successori integri servarentur.

Can. 22.

Can. 8.

Baluz. capitul. T. II. p. 270.

Quæ cura etiam ad comites est delata, & advocatos defensoresque ecclesiarum; qui tamen non raro hostes & insidiatores præcipui sunt facti. Quare invigilandum fuit ecclesiæ prælatis, imprimis summis pontificibus ad propellendos ejusmodi usurpatores, qui, quidquid hic erat juris, ad se potius revocabant.

Et sic jus spolii invaluit, de quo extat constitutio BONIFACII VIII. indulgeturque episcopis, & abbatibus, aliisque prælatis, quibus illud jus privilegio vel consuetudine jam præscriptum erat. Atque ex CLEMENTIS V. decretali constat, eundem morem

In sexto l. 1. tit. 16. c. 9. Clement. l. 5. tit. 6. c. 1.

circa

circa fructus beneficiorum vacantium obtinuisse, unde annatarum si non origo, usus saltem & jus invaluit, quatenus præcise ex titulo fructuum beneficii vacantis repetuntur. Apud JUSTINIANUM enim alius ejusmodi elargitionum titulus profertur. *Nov. 123.* Nihil hic dicam, quam ingentes sæculo decimo quinto imprimis res hæc motus in ecclesia excitaverit, & summis pontificibus extorquere hoc jus contenderint alii præsules & principes illi ipsi, quorum antecessores id Romanis principibus integrum præstarunt præsertim durante schismate Avenionensi, quo pontifices veluti sua sede extorres, eo egebant subsidio, ut postea sede restituti cessare debuisse fuerit visum. Ea de re actum est in conciliis Pisano, Constantiensi & Basileensi, nuspiam tamen penitus explosum fuit illud jus, & deinceps variis variorum regnorum cum Romanis pontificibus transactionibus & concordatis nationis Gallicæ & Germanicæ imprimis, partim est firmatum, partim restrictum ad eum modum, quo hodieque obtinet; atque notandus est vulgaris error, & persuasio, quæ hæreticis cavillandi occasionem præbet, quasi pallia sua archiepiscopi ingenti eo pretio emere debeant, quo fructus primi anni redimunt ac annatas persolvunt. De quarum origine jam superius quædam prælibavimus.

CAP. IV.

CAPUT IV.

De beneficiis.

§. LXXII.

Beneficiorum varia genera.

Bonorum ecclesiasticorum personis ecclesiasticis concessorum ob munus & officium sacrum divisione facta, inde *beneficiorum* nomen est ortum, ac varia genera.

Glossar. h. v.

Beneficium nihil aliud est, quam officium ecclesiasticum cum certis fundis ac reditibus concessum. „ Beneficium (inquit DUCANGIUS) scriptoribus mediæ ætatis dicitur „ prædium fiscale, quod a rege vel principe, „ vel alio quolibet ad vitam viro nobili utendum conceditur. Ita autem appellatum est, „ quod is ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud possideat. Observat autem, idem esse beneficiario jure possidere, ac per usumfructum. „ Quorum ea erat conditio, „ ut qui ea impetrabant, (verba sunt ejusdem DUCANGII) aut quibus conferebantur, se in vassaticos commendarent, & „ servitium militare facerent iis, qui ea conferebant. Hinc beneficiarii honores prædia in beneficium seu feudum concessa. Ea „ si nobilibus darentur a rege vel principe, „ regalia appellata sunt. „ Translatum ergo nomen illud est ad militiam sacram, quando successu temporum prædia ecclesiæ clericis ad usum dari cœperunt ab episcopis, penes quos pri-

primum ſuprema eſt diſpenſandorum bonorum eccleſiaſticorum poteſtas, ut in præcedentibus diximus, explicavimusque, quomodo paulatim eccleſiæ bona diviſa ſint, & ſingularibus perſonis, eccleſiisque addicta. Cujus rei initia ex SYMMACHI epiſtola (referturque apud GRATIANUM *cauſ.* 19. *q.* 1. *can.* 61.) jam indicavimus, & in concilio Aurelianenſi I. habetur: *Si epiſcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas clericis & monachis præſtiterit excolendas vel pro tempore tenendas, etiam longa tranſire annorum ſpatia comprobentur, nullum eccleſia præjudicium patiatur, nec ſingulari lege præſcriptio, qua eccleſiæ aliquid impediat, apponatur.* Apud SYMMACHUM habetur ratio conferendarum hujusmodi poſſeſſionum, clericis bonorum meritorum, aut monaſteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis, ſi neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen, ut hæc ipſa non perpetuo, ſed temporaliter perfruantur. Patet hinc, ſicuti eadem fuit cauſa conferendorum beneficiorum profanorum, & eccleſiaſticorum; ita eundem fuiſſe decurſum, ut primum parcius certis perſonis benemeritis darentur ad certum tempus ac dies vitæ, deinceps etiam ad hæredes & ſucceſſores transferrentur, ipſisque attribuerentur eccleſiis, martyriis, capellis, oratoriis, cœmeteriis, xenodochiis, monaſteriis, item officiis, quia juxta BONIFACIUM VIII. *Beneficium datur propter officium.*

An. 511. *c.* 23.

Cap. fin. de reſcriptis in 6.

Et ita moderna beneficiorum forma emerſit, ut non jam perſonis, ſed officio ac titulo annecterentur, ut qui officium ac titulum haberet, etiam jus haberet fructus percipiendi ex bonis officio ac titulo annexis. Et ita titu-

titulus & officium unacum proventibus inde provenientibus beneficium habetur. Quod canonistæ recentiores definire solent: „ Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcunque ex bonis ecclesiasticis seu DEO dicatis propter officium spirituale auctoritate ecclesiæ constitutum.„ Theologi autem: „ Jus perpetuum ministrandi in ecclesia, auctoritate episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.„ Quivis intelligit utramque definitionem ad idem redire, & officium cum mercede ac proventibus complecti, eo solum discrimine quod canonistæ principaliter proventus, theologi autem officium seu ministerium sacrum exprimant. *Cum*, juxta concilium Trident. *beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur.* Et juxta INNOCENTIUM III. „ Cum in ecclesia DEI & officia beneficiis & beneficia sint officiis deputata, & oneri honor annexus, & onus honori, ecclesiasticis debent gaudere stipendiis, qui ecclesiasticis officiis sunt adscripti; ne contra legis veteris inhibitionem os bovi trituranti claudatur, aut contra verbum apostoli aliquis suis cogatur stipendiis militare, si qui altari deservit, non detur vivere de altari. „ Et ad archiepiscopum Mediolanensem scribens hoc pastoralis officii sui debitum agnoscit: „ Ut ea, (ait) sollicitudine utilitatibus ecclesiarum intendere debeamus, quod ipsis ecclesiis ordo debitus conservetur, & clerici earum ministerio deputati, sicut ab eis stipendia militiæ clericalis accipiunt, ita eis obsequia militiæ clericalis impendant. „

Seff. XXI. de reform. c. 3.

Lib. II. ep. 225. ad episc. Paduanum.

Lib. I. ep. 22.

Hinc

Hinc varia emergunt beneficiorum genera pro ministerii sacri ac officii diversitate; celebrior autem est distinctio in curata, vel simplicia. Illa vel curam animarum solum spectat, vel exterius etiam forum, & sic officium summum pastorum antistitumque ecclesiæ complectitur, episcoporum, & qui eorum nomine jurisdictionem sacram administrant officiales, archipresbyteri, archidiaconi &c. Quæ curam habent animarum quoad forum internum seu directionem conscientiæ, proprie ac usitate nunc vocari solent beneficia curata, distinguuntur que a simplicibus, quia hæc alias functiones sacras psallendi, missas legendi &c. tantum habent; licet alias e. g. in ecclesiis cathedralibus & collegiatis in clero emineant beneficiati ejusmodi.

§. LXXIII.

Ordinatio facta ad certas ecclesias & beneficia.

Rata semper fuit ecclesiæ lex & disciplina, ut clerici ad munus sacrum certæ ecclesiæ ac beneficio addicti ordinarentur, unde nec decedere pro lubitu, nec sine legitima causa & judicio dejici possent.

Vetitum erat semper in ecclesia, ne episcopus alterius diœcesis clericum usurparet, etiam ad altiorem clericatus ordinem evectum. Jam concilium Nicænum canonem in hanc rem edidit. *Can. 16.* *Nulli episcopo liceat*, sancit concilium Sardicense, *alterius episcopi civitatis hominem ecclesiasticum, & in suis parochiis ordinare clericum.* *Can. 18.* Et postea: *Quicumque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine con-* *Can. 19.*

ſenſu epiſcopi ipſius, *& ſine voluntate ordinare*, *non ſit rata ordinatio.* Qui canones mox in concilio Carthaginenſi I. ſunt firmati, & deinceps in variis conciliis, ac ſummorum etiam pontificum decretis. *Alienum clericum* ſtatuit S. LEO, *invito epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat*, *& nemo ſollicitet*, *niſi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat.* Uſurpationem legi iſti contrariam gravem injuriam reputat. Conſtat vero, quantas ea jam olim turbas excitaverit in ORIGENE, a THEOCTISTO & ALEXANDRO Cæſareæ & Hieroſolymorum epiſcopis presbytero ordinato, teſte S. HIERONYMO. Debuerat in ea eccleſia ordinari, Alexandrina nimirum, cui addictus erat. Nec exire aut morari poterant ordinati ad certam eccleſiam in aliena eccleſia, *Niſi cauſas*, ut habet concilium III. Carthaginenſe, *eorum juſtas epiſcopus loci*, *vel presbyteri locorum prævideriint.* S. LEO partem illam eccleſiaſticæ diſciplinæ omnino in integrum revocandam voluit: *Qua olim a ſanctis patribus & a nobis ſæpe decretum eſt*, *ut nec in presbyteratus gradu*, *nec in diaconatus ordine*, *nec in ſubſequenti ordine clericorum ab eccleſia ad eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum.*

Epiſt. 84. *c.* 9.

De ſcript. eccl. in Origene.

Can. 37.

Epiſt. 86.

Poterat autem id cum bona epiſcopi alterius loci venia, ut vidimus. In concilio Toletano II. dum eadem innuitur diſciplina, juſta hinc depromitur cauſa quoad ejuſdem diœceſis eccleſias: *Si priorum canonum ſententia hunc recte tenet ordinem*, *ut epiſcopus ab alio epiſcopo*, *ſi indigentiam habuerit*, *clericum ad ordinandum petat & accipiat*: *cur qui in diœceſi ſua habet eos*, *quos pro DEI officio & ſuo juvamine dignos repererit*, *ad ſuam principa-*

Can. 11.

lem

lem ecclesiam non perducat & habeat. Agitur illic de parochianis, presbyteris & diaconis in principalem ecclesiam transferendis.

Affigi solebant sicuti certo muneri & ordini, ita etiam loco & ecclesiæ, nec erant aut tolerabantur clerici nisi ita ordinati. Concilium Melphense vocat novum sui temporis *An.* 1089. clericorum Acephalorum genus, qui nimirum *Can.* 9. certæ ecclesiæ addicti non erant. Et concilium Lateranense III. episcopum obstringit, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, ut tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis assignet: nisi forte talis, qui ordinatur extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. Primum hic occurrit titulus *patrimonii* in antiqua ecclesia inauditus, ubi nullus nisi ad certum munus & ad certam ecclesiam fuit ordinatus. Quam praxin saluberrime revocare studuit concilium Tridentinum: *Cum nullus debeat ordinari, qui ju-* *Sess.* *dicio sui episcopi non sit utilis aut necessa-* *XXIII.* *rius suis ecclesiis, sancta synodus vestigiis* *cap.* 16. *sexti canonis concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut pro loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.*

Suis autem sedibus & ecclesiis per ordinationem affixi, nec pro lubitu cedere, nec sine legitima causa & judicio expelli poterant etiam ab episcopo, concilio Sardicensi ita statuente: *Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito & aspere com-*

moveatur adversus presbyterum sive diaconum suum, & exterminare eum ab ecclesia voluerit; providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem. Multo minus aliis id facere liceat sine judicio episcopi. Concilium Londinense: *Nullus abbas, nullus omnino clericus vel laicus, quemquam per episcopum ordinatum, absque proprii episcopi judicio præsumat ejicere.* Jam tunc jus patronatus inoleverat, & patroni etiam laici nonnunquam arrogaverant, quod nec ipse episcopus poterat, sine legitimo causæ examine & judicio; a quo, qui se injuste damnatum putavit, potuit apud superius tribunal conqueri, ut sine culpa non pelleretur beneficio vel officio, nisi legitima ratione alio transferendum duxisset episcopus, ad altius vel exilius munus pro personæ qualitate.

An. 1125. c. 9.

§. LXXIV.

Quorum collatio ad episcopos spectat.

Quemadmodum ordinatio cleri suæ diœcesis, ita etiam collatio officiorum & beneficiorum ad episcopum semper pertinuit, varia disciplina in id maxime invigilando, ut de idoneis ac dignis ministris ecclesiæ provideatur.

Collatio nihil aliud est, quam assignatio seu cessio muneris sacri ac beneficii vacantis, facta ab eo, qui potestate hac pollet: quæ cum sit ecclesiastica, ab ecclesiæ antistite fieri debet, factaque olim constanter est ab episcopo, simul cum ordinatione ad certum munus ecclesiasticum sacro ordine ad munus istud

obeun-

obeundum idoneo. Cum enim beneficia primæva sua origine sint ordines sacri, & ordinibus istis cohærentia officia, nihil magis curæ & sollicitudini pastorali incumbit quam aptos sacro ministerio adoptare.

Quoniam vero fidelibus populis præficiuntur, æquum olim judicarunt pii præsules, quemadmodum in electionibus ita etiam in collationibus, *ut plebe præsente*, verba sunt S. CYPRIANI, *vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Formam hanc ex apostolorum praxi deducit non solum quoad episcopos sed etiam presbyteros & diaconos. Et POSSIDIUS de S. AUGUSTINO narrat: *In ordinandis sacerdotibus & clericis consensum majorem christianorum & consuetudinem ecclesiæ sequendam esse arbitrabatur.* Constitutum fuit in concilio IV. Carthaginensi unanimiter auctore haud dubie S. AUGUSTINO: *Ut episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat.* Consuetudo hæc etiam novo jure decretalium inculcatur, & ab ALEXANDRO III. ita patriarchæ Hierosolymitano est rescriptum: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti.* Hodieque in ecclesiis cathedralibus moris istius habentur vestigia, quatenus pro amplitudine diœceseos & variis juribus & consuetudinibus licet. Nec unquam hactenus a suprema saltem inspectione, & determinatione, quæ proprie collatio dicitur, episcopi in suis

Epist. 51.

Vita c. 22.

Can. 22.

De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli c. 4.

ſunt diœceſibus excluſi, aut excludi poſſunt; licet hic uti in bonis eccleſiaſticis, ita etiam in beneficiorum collationibus diviſio ſit facta, ſintque alia collativa alia electiva in minoribus nonnunquam beneficiis æque ac majoribus, ut jam diximus, quando de electione egimus, quod perſonale eſt viſum, quoad miniſtros ſacros eccleſiæ; hic autem idem recolendum eſt, quoad id quod reale eſt in beneficiis tam quoad officium ſacrum, quam quoad bona & proventus illi annexos: unde communiter a Canoniſtis proviſio beneficiorum ſeu collatio inter emolumenta epiſcopalia & fructus epiſcopales reputatur; cum, præſertim quoad beneficia curata, grave ſit onus, atque vel hinc auctoritatem circumſpectionemque ſummam epiſcopi requirat: ut in concilio Cabilonenſi II. ſaluberrime eſt proviſum, ac ratio hæc tangitur: *Inventum eſt, quod multi arbitrii ſui temeritate, & quod eſt gravius, ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque conſenſu epiſcoporum eccleſias dant, vel auferunt. Unde oportet, ut canonica regula ſervata, nullus absque conſenſu epiſcopi presbytero eccleſiam det. Quam ſi juſte adeptus fuerit, hanc nonniſi gravi culpa ſua & coram epiſcopo canonica ſeveritate amittat.*

Can. 42.

Seſſ. XIV. c. 18.

Concilium Tridentinum, ne quid gratiæ aut favori hic detur, concurſum ad parochialia & paſtoralia munia inſtitui voluit; fuerunt tamen, qui locum dare concurſum hunc candidatorum ambitioni exiſtimarunt. Quod tunc fit, quando beneficium non propter officium ſed proventus quæritur: & in gratiam etiam concedi pronum eſt, non ſpectando dignitatem & aptitudinem; quod grave nimis & abſurdum INNOCENTIUS III. pronuntiavit, & ſem-

C. graviter de prabendis.

ſemper bonis omnibus deteſtabile, atque ab eccleſia execratione, pœnisque graviſſimis plectendum eſt viſum, ut ſuo loco dicemus, ubi de criminibus agemus ad jus forumque eccleſiaſticum pertinentibus: quæ inter nihil magis exteriorem formam ac regimen eccleſiaſticum corrumpit & deturpat, quam quæſtus & lucri inhiatio tam in conferente, quam accipiente beneficia eccleſiaſtica.

§. LXXV.

De exſpectativis reſervationibus &c.

Variis proviſionibus exſpectativis reſervationibus &c. collationes beneficiorum per eccleſiam fecit Romana ſedes, reſtricta ea licentia per concilium Tridentinum, & determinata in Germania & alibi per concordata.

Nulla ejusmodi in antiquitate eccleſiaſtica occurrunt exempla; & ſi neceſſitas utilitasque eccleſiarum popoſcit, de providendis eccleſiæ miniſtris curare, zelo & pietate id factum: cujusmodi exempla imprimis non pauca in S. GREGORIO M. laudantur, qui non ſolum ad vacantes parochias, ſed & epiſcopales ſedes idoneis paſtoribus committendas vigilantiam ſuam conferebat, ex gremio etiam eccleſiæ ſuæ, quæ ſeminarium fuerat, uti fidei in occidente præſertim diſſeminandæ, ita etiam ad jam conſtitutas eccleſiæ bonis ornandas paſtoribus. Aliunde etiam id juris erat communis, ut negligentia in vacantibus ſedibus & beneficiis providendis a ſuperiore reſarciretur. Sed ulterius explicata eſt poteſtas non *C. nulla 2. de conc.*

non tantum erga vacantes, verum etiam per exſpectativas & reſervationes beneficiorum necdum vacantium, quamvis in concilio Lateranenſi III. ejusmodi proviſiones eſſent vetitæ.

præb. ex conc. Later. III. c. licet 3. de ſuppl. negl. prælat. C. nulla de conc. præb.

Dabat autem pontifex exſpectativam ſeu aſſecurationem dignitatis eccleſiaſticæ vel beneficii clerico, quando vacaturum eſſet: reſervationes ſimiliter ſunt factæ eodem modo, electione vel collatione ordinaria fieri prohibita, quando vacatio futura eſſet; ut certis perſonis reſervaretur, quibus forte de beneficio non erat proviſum, aut non ſatis ad ſuſtentationem, & pro dignitate: „Cum neceſſitatibus pauperum clericorum (ut INNOCENTIUS III. cauſam exprimit) qui „nullum ſunt eccleſiaſticorum beneficiorum „conſecuti, ſedes apoſtolica duxerit ſuccurrendum." Neceſſitas ea ingruit præſertim tempore ſchiſmatis Avenionenſis, & mirum in modum auctus eſt numerus exſpectativarum & reſervationum *in forma pauperum & alias*, ut RAINALDUS refert, & conſtat ex hiſtoria motibusque illorum temporum: dum quisque pontificum ſuos clientes favore proſequi & amplificare ſtuduit. Nec penitus ſiſti potuerunt conatibus conciliorum Piſani, Conſtantienſis & Baſileenſis, uſque ad concilium Tridentinum, ubi univerſim exſpectativæ & gratiæ quæcunque *ad vacatura beneficia* ſunt ſublatæ. *Mandata*, ita decernunt patres, *de providendo & gratias, quæ exſpectativæ dicuntur, nemini amplius etiam collegiis, univerſitatibus, ſenatibus, & aliis ſingularibus perſonis etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi hactenus conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec*

Lib. XVI. epiſt. 177.

Ad an. 1311.

Seſſ. XXIV. cap. 19.

aliæ

aliæ quacunque gratia ad vacatura, *nec indulta ad alienas ecclesias*, *vel monasteria alicui*, *etiam ex sancta Romana ecclesia cardinalibus concedantur*, *& hactenus concessa abrogata esse censeantur*. Et quamvis in Gallia concilium Tridentinum non quoad omnes reformationis articulos fuerit receptum, ultro tamen decretum hoc acceptum est, & gratanter; licet in concordatis titulus esset *de mandatis apostolicis*: aliis in salvo manentibus, quæ jure decretalium, vel extravagantium vel regularum cancellariæ, vel etiam concordatorum circa provisionem beneficiorum & dignitatum ecclesiasticarum competunt apostolicæ sedi: cujusmodi concordatum cum gente Germanica fuit initum, ut electiones essent integræ, cathedralium, collegialium & abbatialium ecclesiarum, reservatis tamen beneficiis *in curia* vacantibus, quæ possiderent addicti alias curiæ Romanæ, cardinales & pontificii ministri, quocunque in loco degerent, dignitatibus item primariis cujusque ecclesiæ cathedralis & collegialis; alia beneficia inter pontificem & ordinarios æquatis partibus dividerentur. Nominant ordinarii mensibus Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri, sex reliquis papa ut si intra trium mensium spatium non providisset, jus nominandi ad ordinarium rediret. At datur etiam pontifici adhuc jus præventionis, quæ locum habet in beneficiis revera vacantibus, si pontifex prævenit ordinarium collatorem, provisio in forma *dignum*, quando ordinario examen committitur, dignusne sit beneficio, jus devolutionis ac facultas legatorum pontificiorum. Resignationes etiam in favorem huc revocari possunt,

quando ob Simoniam & alias causas delapsi sua dignitate & beneficio post factam resignationem, iterum indultu pontificio mox iterum illud accipiunt.

§. LXXVI.

Jus patronatus.

Jus nominandi vel præsentandi ad beneficium personam idoneam, quod *patronatus* dicitur, non solum ecclesiasticis, sed etiam laicis ecclesiarum fundatoribus competere solet.

Hom. 18. *in acta apost.*

Jam supra laudavi S. CHRYSOSTOMUM hortantem & exstimulantem fideles, ut in agris ac villis ecclesias erigant, clerum instituant ad ministerium sacrum: quod certatim esse factum in oriente primum, historia nos eorum temporum edocet; ac simul etiam patet, haud gravate ecclesiam indulsisse, ut, quos peterent illic clerici constituerentur, ut ex BARONIO non unum tantum suppetit documentum. Exemplo præibant ecclesiastici pariter in occidente, ubi illustrior primum ac frequentior fuit patronatus ecclesiasticus. Habetur in concilio Arausicano eam in rem constitutio de episcopo in alienæ civitatis territorio, ecclesiam ædificare disponente, vel pro fundi sui negotio, aut ecclesiastica utilitate &c. In concilio Aurelianensi IV. statuitur indiscriminatim: *Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere diœcesim primum, & terras ei deputet sufficientes, & clericos qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Videtur innui, clericorum depu-

Ad an. 455. *n.* 21. 460. *n.* 24.

Can. 10.

An. 541. *c.* 33.

putationem etiam fundatoribus illic tribui: & ex præcedentibus canonibus colligitur, hunc canonem de laicis potius quam ecclesiasticis patronis sumi debere. Sed a GRATIANO refertur sub nomine GELASII P. decretum, quo nihil fundatori juris vindicatur, nisi processionis aditus, quod quid sit, non satis constat. Nec ex GREGORIO M. colligi potest, cum sæpe de ejusmodi patronis laicis tractet, penes eos fuisse arbitrium clericos nominandi; sed episcopi arbitrio rem relinquit. Quod forte sic est intelligendum, quomodo in laudato concilio Aurelianensi & constanti ecclesiæ disciplina habetur: *Ut in* Can. 7. *oratoriis Domini prædiorum minime contra votum episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, pregrinos clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio pontificis observare præceperit.*

Forsitan ipsa negligentia episcoporum, & periculum ecclesiarum, magis magisque patronis laicis canones & disciplinam ecclesiæ favorabilem reddidit. Colligi id datur ex concilio Toletano IX. ubi luculenter patronatus laicus statuitur: *Quia ergo fieri cognoscitur,* Can. 2. *ut ecclesiæ parochiales vel sacra monasteria, ita quorundam episcoporum vel insolentia vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, ideo compassione decernimus, ut quamdiu earundem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites extiterunt, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in iisdem basilicis iidem ipsi offerant episcopis ordinandos. Quodsi tales forsan non inveniantur, ab eis tunc, quos episcopus*

scopus loci probaverit DEO placitos, sacris cultibus instituat, cum eorum conniventia servituros: quodsi spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumserit episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari. Egregie hæc favent patronis & fundatoribus ecclesiarum, sed ultra eorum personas privilegium non extendunt, ut deinceps fuit factum, & constans tenet disciplina, jusque decretalium tam quoad personalem quam realem patronatum rei ipsæ affixum, singulari titulo *de jure patronatus.* Concilium Tridentinum sollicite de hac re agit, ne quo alio quam fundationis aut donationis, vel præscriptionis temporis immemorialis titulo a laicis jus hoc prætendatur, aut usurpetur ad ecclesiastica beneficia in servitutem redigenda: *Ut igitur*, cavent patres, *debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta synodus, ut titulus juris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento & aliis jure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasque secundum juris dispositionem. In iis vero personis seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quamsi præter reliqua ad eam necessaria præsentationis etiam continuatæ, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spacio, quæ omnes effe-*

Sess. XXV. c. 9.

ctum

ctum sortitæ sunt, authenticis scripturis probentur.

§. LXXVII.

Distinguenda sunt legitima regum ac principum jura, ab usurpationibus circa ministros ecclesiæ constituendos & beneficia ecclesiastica, pro eorum in ecclesiam munificentia.

Jura principum circa beneficia.

Non hic agimus de cura & vigilantia principum, quam urgentibus præsertim causis & difficultatibus impenderunt pro auctoritate sua & potentia, justo identidem zelo, ad tumultus & factiones in eligendis constituendisque ecclesiæ ministris & pastoribus arcendos; nec etiam dubitari potest de jure principum & optimatum, majori utique quam promiscuæ plebis ac fidelium populorum, quorum erant olim partes in electionibus & institutionibus ministerii ecclesiastici ad principes successu temporis majore ex parte devolutis ob frequentes turbas; quas tamen haud raro auxerunt potius pro tyrannide & potentia, & jus a se alienum usurparunt.

Cujus rei, ut alia exempla taceam, unum principis & apostolicæ sedis Romanæ commemorasse sufficiat, a quo tempore Ariani principes ecclesiam infestarunt, & occupato per vim Italiæ regno, jus sibi in constituendo summo pontifice usurparunt. Initium sumsit pernicies ista ab ODOACRE principe barbaro, qui in concilio Romano IV. sub SYMMACHO P. præfecti sui voce edixit, ne post obitum Romani pontificis successor sine regis consensu eligeretur, sacra synodo repudiante iniquam legem. Quam tamen regni & impietatis

tis successores instaurare sunt conati, ut colligitur ex epistola ATHALARICI regis ad Romanum senatum super electione FELICIS III. quam refert CASSIODORUS. JUSTINIANUS autem imperator vindicata recuperataque Italia, jus illud Arianorum tyrannorum, Gottorumque barbarorum sibi asserere non dubitavit, & ad successores transmittere, paucis exceptis, hæresibus NESTORII, EUTYCHIS, Iconoclastarum cumprimis invectos, ingenti summa pecuniarum indicta, atque per exarchas Ravennatenses, continuo incubantes, exacta, quasi beneficio principum ecclesiam suam tenerent pontifices. Reges Francorum stirpis Corolingicæ in libertatem quidem vindicarunt ecclesiam Romanam, sed postea sub OTTONIBUS, FRIDERICIS imprimis & HENRICIS antiquæ insectationes & vexæ in universum occidentem sunt invectæ, & summæ quæque dignitates ac beneficia venalia exposita, sub beneficiorum regalium prætextu, dominiorum scilicet & prædiorum ecclesiæ a principibus in beneficium concessorum.

Lib. VIII. ep. 15.

Beneficiorum etiam fructus sede vacante usurpabant, & ingentes pecuniarum summas emungebant, repetebantque, & constituendorum ecclesiæ præsulum providendique beneficiis vacantibus jus sibi vindicabant; non tantummodo per simplicem denominationem præsentationemque, quæ utpote aliis etiam fundatoribus & dotatoribus ecclesiarum competens negari summis principibus ac regibus haud poterat; sed ultra progressi sacra profanaque miscebant, & collationem ipsam usurpabant, venumque exponebant sacrum ministerium: fortiter sese opponentibus

impri-

imprimis summis pontificibus, & tandem evincentibus, ut ad justos limites juris patronatus, denominationes nimirum & præsentationes ad beneficia & dignitates apud summas etiam sæculi potestates, res redierint. Et ubi maxime lacessita sunt jura sacra in imperio nimirum Romano Germanico, libere etiam electiones secundum formam ecclesiæ primitivæ integræ remanent. Quod inferiora autem beneficia attinet, solummodo precibus locus est, quas *primas* seu *primarias precum* vocant, ad primam vacaturam pro diversis regnorum consuetudinibus; nisi quando singularibus de causis ac gratia, *indulta*, ut appellantur, conceduntur, ad conferenda beneficia, & decerpendam etiam nonnunquam quandam portionem fructuum in magnis ecclesiæ necessitatibus, & officiis singularibus ecclesiæ præstitis. Notabile autem est LUDOVICI VII. e Palæstina reducis exemplum. Cui, ut refert VALSINGHAMUS, cum quidam clericus papale privilegium attulisset, quod in omni ecclesia regni sui primam vacaturam haberet, cum fructibus medio tempore provenientibus; ille confestim combussit litteras, dicens se malle tales comburere litteras, quam animam suam in inferno torqueri. Difficulter cupiditates, usurpationes & aliæ labes hic caventur, ubi potentiæ terror & majestatis splendor intercedit.

Script. Aug. p. 2388.

§. LXXVIII.

Institutio ac investituræ.

Ejusdem naturæ est *institutio* in beneficium, ac collatio, atque eodem modo ad ecclesiæ præsules pertinet, hinc tanto molimine ecclesia

jus

jus investiturarum ex manibus laicorum extorsit.

Tres institutionis species assignant canonistæ: quarum prima est institutionis corporalis per immissionem; altera institutionis auctorizabilis, id est, approbationis ad curam animarum; tertia media inter corporalem & auctorizabilem, quam vocant collativam, quæ est proprie institutio, atque ipsa beneficii collatio, seu tituli canonica concessio, sine qua ipsum beneficium haberi non posse pronuntiat prima regula juris in sexto.

Patet hinc posse competere nonnisi ordinariis beneficiorum collatoribus, episcopis. Ita HONORIUS III. respondit: *Te nobis proponente didicimus, quod quidam prælati ecclesiarum tuæ jurisdictionis, in ecclesiis sibi commissis sine conscientia tua clericos de alienis episcopatibus instituere non verentur. Attendentes igitur id eis nulla ratione licere, cum sit honestati contrarium, & a sanctorum patrum institutionibus alienum &c.* Vides, nec prælatis quidem ecclesiasticis aliis quam episcopis instituendi jus competere ordinarie.

De officio archidiac. c. 4.

Ubi tamen exceptio datur & in concilio Lateranensi III. notata est circa equites templi vel S. JOANNIS HIEROS. ut in ecclesiis suis, quæ ad eos jure pleno non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent. Habuerunt ergo institutionis jus in ecclesiis, quæ ad eos pleno jure pertinent; quod similiter de abbatibus dicendum, qui jurisdictione quasi episcopali gaudent in ecclesiis, quæ *tanto tempore*, verba sunt COELESTINI III. *probantur ab abbatibus possessæ ecclesiæ*

Cap. 9.

Cap. auditis *de præscription.*

pleno

pleno jure, ut videantur in eis episcopale jus præscripsisse. Idemque tenent canonistæ de aliis dignitatibus ecclesiasticis præpositis, decanis, capitulis, si jurisdictione quasi episcopali gaudeant juxta capitula *cum venissent* de institutionibus; *Ad aures* de excessibus prælatorum; *Referente* de præbendis. Ubi archidiaconis id muneris tribuitur, sed delegatione episcopi; ut constet, id juris esse omnino episcopalis, quoad institutionem proprie sic dictam, etiam post erectionem beneficiorum, obtinentibus juribus feudalibus, quoad investituram, quæ respondet institutioni beneficiorum: ut sicuti ad Dominum directum spectat investire vasallum, & in possessionem mittere; ita quoque ad beneficiorum collatorem spectat, beneficiarium in possessionem mittere, quod est complementum traditionis rei jam indultæ, atque adeo ad collatorem proprie sic dictum spectat, nec juri patronatus competit aut præsentationi denominationique etiam regiæ.

Hinc investitura tot canonibus est proscripta, & clericis interdictum, ne a manu laica beneficium accipiant; laicis autem ne dent: *Nullus laïcus det*, decernit concilium *An.* 1096.
Turonense, *vel adimat presbyterum ecclesiæ* *can.* 67.
sine consensu præsulis. Nullus laïcus consuetudines habeat episcopales, vel justitiam, quæ pertinet ad curam animarum. Et in concilio Nemausensi ejusdem anni sub depositionis pœ- *Can.* 8.
na clerico vel monacho interdicitur ecclesiasticum munus de manu laici suscipere. *Quia*, ut ratio additur, *non intravit per ostium, sed ascendit aliunde, sicut fur & latro.* Quod in aliis eorum temporum conciliis passim est cautum pariter ac decretis summorum pontifi-

cum, ob usurpationem hanc a laicis patronis fundatoribus & dotatoribus, qui jure feudali tunc obtinente id sibi sumebant. Testis hujus rei est ALEXANDER III. in Anglia, etiam inolevisse hanc pravam consuetudinem, ut ad episcopos Angliæ perscribit: *Epist.* 28. „Emersit quædam prava consuetudo, & in „illis partibus inolevit, scilicet quod laici „ecclesias & ecclesiastica beneficia soleant „passim, quibus vellent, conferre, & aucto„ritate sua clericos investire. Unde quoniam „sanctorum patrum institutionibus id cogno„scitur adeo contradicere, ut danti & acci„pienti de manu laica sit anathema &c. „ Ubi vides conferre dici laicos beneficia, & sua auctoritate *investire*, quod institutioni respondet. Et ejus rei causa in Germania præsertim exarsit ingens illud incendium sub HEINRICIS IV. & V. cum illi ob feuda imperialia investituram per annulum & baculum arrogarent, & *ob regalia* fructus ecclesiarum vacantium ad se raperent, tanquam directi domini, beneficiariis solum gaudentibus dominio utili, quod transeat ad dominum usufructuario moriente, quamdiu vacaret beneficium. Quæ fuit causa discidii BONIFACIUM VIII. inter & PHILIPPUM PULCHRUM, collationem beneficiorum usurpantem, quam spiritualem contendit BONIFACIUS, & secus sentientes pro hæreticis habuit. CLEMENS quidem V. postea aliquid indulsit, ejusque successores. Sed ipsi Galliæ reges religioni duxerunt tandem suos facere hos sacros proventus, atque a longo tempore, teste FLEURIO, non utuntur amplius fructibus regaliæ, sacræ capellæ a S. LUDOVICO & postea a CAROLO V.

Institut. au droit ecclesiast. T. I. chap. 18.

olim

olim addictis; in cujus compensationem LUDOVICUS XIII. abbatiam S. NICASII Remenſis prædictæ capellæ addixit, detractis illis fructibus, publico emiſſo libello, illos dandi novo epiſcopo, quod fideliter præſtatur.

Quoad inveſtituras res tandem etiam compoſita eſt, licet longe pertinacior in Germania fuerit ea controverſia, quæ diu imperium a ſacerdotio diſcidit. GREGORIUS VII. inveſtituras omnes a laicis factas vetuit damnavitque pariter, ac ejus ſucceſſores VICTOR III. & URBANUS II. Contendebant imperatores, id jus ſibi competere ob feuda imperii a prælatis eccleſiaſticis poſſeſſa; hinc non ſolum electionibus ſe miſcebant, atque homagium ratione regalium & feudorum requirebant; ſed etiam inveſtituram per annulum & baculum priusquam conſecrarentur præſtabant. Eo autem res eſt redacta, ut electio imperatore regibusque præſentibus conſentientibusque fiat; in Germania ratione regalium epiſcopus per ſceptrum, antequam conſecraretur, impetrare deberet, in cæteris regnis nondum elapſis ſex poſt conſecrationem menſibus; officia autem & ſervitia feudalia, quæ hactenus præſtare conſueverint, impoſterum quoque illis fore præſtanda.

Horum nimirum intuitu ſecundum jura feudalia omnia iſta requirebantur, ac ſacra profanis miſcebantur; jamque pontifex PASCHALIS II. concilium inierat, & cum HENRICO V. qui patris animum & obſtinationem induerat, pactus erat, ut dimiſſis pontifici inveſtituris, imperatori fas eſſet ſupremæ dignitatis jura ac feuda imperii principatus & comitatus epiſcopis adimere; ſed conditionem hanc duram

acceptare detrectabant episcopi, bonorum suorum vindices, quæ hactenus quiete possederant.

§. LXXIX.

De residentia.

Ordo ac ministerium sacrum quemque clericorum, ac pastores imprimis suæ ecclesiæ alligat ad residentiam; ut, nisi justis probatisque per ecclesiæ decreta de causis, abesse diutius saltem non possint.

Can. 16. *Qui discedunt ab ecclesia*, habet concilium Nicænum, *presbyteri vel diaconi aut quicunque in canone* (ecclesiastico scilicet) *prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur.* In concilio Ephesino I. id imprimis NESTORIO exprobratur, quod peregrinos clericos sibi adsciverit contra canones

P.I.c. 30. ecclesiasticos: *Opera utitur clericorum quorundam ab externis paraciis & diœcesibus adscitorum, quibus tamen secundum ecclesiasticos canones in alieno episcopatu vel ecclesia degere non licet, sed iis solum locis & civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt.*

Can. 42. Dudum ante in concilio Laodiceno constitutum erat, non oportere sacerdotem vel clericum sine jussione sui pontificis iter ingredi. Constans id praxis obtinebat, ut litteris formatis, quas vocabant, ac commendatitiis essent instructi, si vel ad tempus alibi divertebant:

Can. 12. *Clerici*, statuit concilium Turonense I. *non absque sacerdotum suorum commendatione, ad alias provincias seu civita-*

vitates ambulare disponant. Passim in aliis conciliis idem constitutum reperitur. Rationem insignem reddit AGAPITUS P. *Qui permanendo in ecclesiis, in quibus militant, & ministerii sui poterunt assiduitate in DEI salvatoris nostri amore fervescere, & quae in pervagatione reprehensibilia sunt vitare.* *Epist. 2.*

Spectat hoc eos imprimis, qui pastorali defunguntur officio, praesertim episcopi, quos a suo grege abstrahi, rerum terrenarum causa, omnino sacrum vetat munus, & jam S. CYPRIANUS plurimos secus agentes notavit episcopos: *Quos*, inquit, *& ornamento esse oportet ceteris & exemplo, divina procuratione contemta, procuratores rerum saecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari.* *Lib. de lapsis.* Pronum id maxime fuit postquam ecclesia libertate fuit donata, & principes in eam fuerunt aggregati. Quam in rem plures canones a concilio Sardicensi sunt editi, & jam antea *Can. 11.* in concilio Antiocheno statutum est, ut episcopi, qui ad imperatorum aulam se conferunt, licentiam & litteras metropolitani & reliquorum provinciae episcoporum habeant. Nec quidem licebat principali cathedra relicta, in alia ecclesia dioecesis degere, ut in concilio Cathaginensi V. statutum est: *Ut nemini sit* *Can. 5.* *facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre, vel in re propria, diutius, quam oportet, constitutam, curam vel frequentiam propriae cathedrae negligere.* Causa iterum additur, alienarum rerum a pastorali cura, etiam propriarum perfunctio.

In decretalibus seu jure canonico singularis habetur titulus *de clericis non residentibus*, & eousque severitatis proceditur, ut etiam depositionis sententia in archiepiscopum hanc legem excedentem statuatur INNOCENTII III. decreto: „Nolentes igitur „quod diutius ecclesia pastorali maneat con„solatione destituta, mandamus, quatenus „personam vobis idoneam in archiepiscopum „eligatis.„ Antea jam JUSTINIANUS eandem severitatem a patriarchis erga metropolitas, ab his erga episcopos exercendam vult: „Si vero maneat per omnia inobe„diens, expellatur a sacro episcoporum cho„ro & alium introducat (patriarcha); si non „metropolita, sed aliorum episcoporum ali„quis sit, qui erraverit, hæc omnia a metro„polita fiant.„ In concilio Tridentino idem a summo pontifice, monito a metropolitano vel seniore provinciæ episcopo, faciendum decernitur, ut ecclesiis de pastoribus utilioribus providere possit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Declaratur autem qualis sit hæc obligatio: „Cum præcepto divino „mandatum sit omnibus, quibus animarum „cura commissa est, oves suas agnoscere, „pro his sacrificium offerre, verbique divini „prædicatione, sacramentorum administratio„ne, ac bonorum omnium operum exemplo „pascere, pauperum aliarumque miserabi„lium personarum curam paternam gerere, „& in cætera munia pastoralia incumbere; „quæ omnia nequaquam ab iis præstari & im„pleri possunt, qui gregi suo non invigilant, „neque assistunt, sed mercenariorum more de„serunt: sacrosancta synodus eos admonet & „hortatur, ut divinorum præceptorum memo„res,

Cap. qualit.

Nov. VI. c. 2.

Sess. VI. c. 1.

Sess. XXIII. c. 1. de reform.

res, factique forma gregis in judicio & verita- „ te pascant & regant. „ Pertinet hoc ad omnes, qui curam animarum impendunt; vultque synodus parochos & alios curam animarum habentes, non solum ad residentiam privatione fructuum, sed etiam beneficiorum constringi; canonicos autem, plus quam tres menses absentes in anno, medietate fructuum primo anno, altero autem omnibus fructibus privari. Episcopis similiter non indulget ultra duos aut tres menses abesse sine urgente causa charitatis, necessitatis, obedientiæ, aut manifestæ utilitatis ecclesiæ vel status: quibus in casibus licentiam scripto a papa, metropolitano, aut antiquiore suffraganeo haberi vult. *Seff. XXIV. de reform. c. 12.*

Eo redeunt legitimæ causæ a residentia excusantes: *Ne videamur*, ut ait synodus Sardicensis, *januam claudere charitatis.* Quæ postea etiam præcipuas causas justæ excusationis affert jussionem principum, urgentes calamitates pauperum, viduarum & pupillorum, eorum item, qui ad misericordiam ecclesiæ confugiunt, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certe quamcunque sententiam excipiunt. Frequens tunc impendenda erat hæc miseris opitulatio, ac causarum etiam ecclesiasticarum in aulis principum conciliisque necessitas, annua semel saltem in concilium provinciale congregatio. Unde mihi consuetudo alicubi præsertim in Hispania pullulasse videtur, quotannis accedendi ecclesiam metropolitanam ac Romanam, tum pietatis sacræque peregrinationis causa, cum etiam, ut episcopi ecclesiarum suarum causas agerent apud Romanum tribunal, & ad limina apostolorum vota sua redderent, similiter ac Hierosolymis & in Palæstina tempore belli sacri: *Can. 5. Can. 8. Conc. La-*

 qua

ter. 1225. *c. ult. c. relatum* 4. *& quaest.* 12. *cleric. non resid.*

qua occasione fructibus beneficiorum frui licuit etiam longe tempore absentibus. Idem illis indultum, qui utilitatis ecclesiae universalis causa penes pontificem essent, aut legationibus defungerentur, vel officiis publicis penes reges & principes in palatio episcopos retinentes. Item qui litteris sacratioribus operam dabant, aut eas in universitatibus docebant. Et si quae aliae occurrunt causae juxta regulas a concilio Tridentino saluberrime praescriptas, dijudicandas in casibus singularibus a legitimis superioribus ecclesiasticis.

§. LXXX.

De pluralitate beneficiorum.

Plura habere beneficia, nisi urgens necessitas aut magna utilitas ecclesiae dispensationem indulgeat, piaculum ingens est, & destructio ecclesiastici vigoris.

Necessaria certae ecclesiae alligatio ac residentia ex jure divino, ut modo vidimus, pluralitatem beneficiorum suapte proscribit. Beneficium datur ob officium: quod cum tremendum sit, cura animarum, & munus pastorale, angelicis etiam humeris formidandum, pius quisque & suae salutis studiosus, potius illud omnino non suscipiendum duxit, quam ut cumulatum illud onus & multiplex sibi inferendum ducat, idque ambitione & cupiditate, non zelo animarum, quomodo D. PAULUS bonum opus dixit esse episcopatum.

1. *Tim.* *III.* 1. *Hom. X. in ep.* 1. *ad Tim.*

„ Si quis episcopatum desiderat, (ait eum in „ locum D. CHRYSOSTOMUS) non „ culpo, non improbo, opus quippe regimi-

„ nis

nis est ; si quis hunc idcirco appetit, „ non principatus, aut dominationis fastu, „ verum cura regiminis & charitatis affectu : „ non improbo, inquit, bonum quippe desi- „ derat opus ; si quis ita desiderat, desideret. „ Et S. AUGUSTINUS : „ In actione non „ amandus est honor in hac vita, sive po- „ tentia, quoniam omnia vana sub sole ; sed „ ipsum opus, quod per eundem honorem „ vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, „ ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ „ secundum DEUM est, propter quod ait „ apostolus : *Qui episcopatum desiderat, bo-* „ *num opus desiderat ;* exponere voluit, quid „ sit episcopatus, quia nomen est operis non „ honoris. Quodsi igitur propter honorem „ & ambitum quæratur, & plus quæratur, „ quam ut opus & ministerium impleri va- „ leat, & beneficium seu proventus non of- „ ficium quæratur, quid hoc sit, quivis in- „ telligit. „

Serm. 62. de verb. Dom.

Quodsi ambitio, & cupiditas non sistat, & se satiet uno beneficio, sed plura ambiat & inhiet, pessimum est & inauditum in antiquitate exemplum. Cum enim tunc beneficium ab officio non distingueretur, atque proventus meris constarent distributionibus, ne quidem titillare animum potuit ista cupiditas, ut postea post beneficiorum erectionem. Quare mirum non est, nullos in hanc rem veteres extare canones, Chalcedonensem si excipias, qui agit saltem de clericis non in suprema ecclesiæ dignitate constitutis, &, ne in duabus ecclesiis conscribantur, prohibet : „Non licet „ clericum conscribi duabus simul ecclesiis, & „ in qua ab initio inordinatus est, & ad quam „ confugit, quasi ad potiorem ob inanis glo- „

Can. 10.

„ riæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad ſuam eccleſiam, in qua primitus ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si vero jam quis translatus eſt ex alia in aliam eccleſiam, prioris eccleſiæ vel martyriorum quæ ſub ea ſunt, aut ptochodochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos autem qui auſi fuerint poſt definitionem magnæ ſynodi quidquam ex his perpetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio gradu excedere." In ſynodo VII.

Can. 15. œcumenica ſimilis occurrit canon: „ Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus eccleſiis. Negotiationis enim eſt hoc & turpis commodi proprium, & ab eccleſiaſtica conſuetudine penitus alienum. Unusquisque ſecundum apoſtolicam vocem, in quo vocatus eſt, in hoc debet manere, & in una locari eccleſia. Quæ enim per turpe lucrum in eccleſiaſticis rebus perficiuntur aliena conſiſtunt a DEO. „. Canon hic de duabus eccleſiis in una etiam urbe agit, cum Chalcedonenſis de eccleſiis diverſis in locis etiam diverſis agat, ut in eum canonem BALSAMON obſervat. Et HINCMARUS eo canone utitur in quadam cauſa pluralitatis epiſcopatuum Turonenſis nimirum & Nannetenſis, quas duas ſedes ASTARDUS poſſederat, quem ſugillat HINCMARUS, atque alios etiam ſui ævi præſules, qui contra hunc canonem pluribus inſiderent eccleſiis in Galliis. „ Nos autem (inter alia ſcribit) moderni & Gallicani epiſcopi novos canones facere conamur, ut liceat nobis, quod gravius eſt, quam carnali commercio, ſpiritali adulterio, aut duas uxores, id eſt, duas ſedes ſimul habere, aut uxorem ſimul

T. II. p. 749.

„ &

& concubinam tenere, vel vivente licet in- „ firma uxore, id est, ecclesia nostra, per- „ secutionibus qualibet rebus ac possessioni- „ bus imminuta ad alterius copulam trans- „ migrare. „ Prætexuerat nimirum ASTARDUS paupertatem & desolationem ecclesiarum suarum, atque ad id etiam S. GREGORII M. abutebatur auctoritate, qui in ejusmodi casu ab uniendis ecclesiis non erat alienus; sed propinquis & cohærentibus, ut ostenderat HINCMARUS: ut succurreretur consuleretu rque potius ecclesiæ utilitatibus in rite perfungendo, quam ut aliquid deperiret: id quod damnatur in pluritate beneficiorum, ab eo tempore grassante, unde divisio bonorum & ordinatio beneficiorum ingruerat.

Huic malo mox occurrerunt canones ecclesiastici. In concilio Epaonensi eam in rem habetur canon, quando necdum plena beneficiorum constitutio fuit facta; ne si quis ad alterius ecclesiæ regimen assumtus sit, de priori aliquid usurpet: *Quisquis clericus aliquid de munificentia ecclesiæ, cui servierat, adeptus ad summum sacerdotium alterius civitatis est, aut fuerit ordinatus, quod dono accepit vel acceperit reddat: quod usu vel proprietate secundum instrumenti seriem probatur emisse, possideat.* Can. 14. Non hic de pluralitate beneficiorum res est, sed cavetur, de prioris beneficii proventibus ne decerptio fiat & usurpatio, quæ detrimentum ecclesiæ in temporalibus tantum infert, non in spiritualibus, quemadmodum pluralitas beneficiorum officium pastorale impedit. Alias enim nonnunquam accidit etiam in antiqua ecclesia, & sanctissimi præsules aliquando onus in se susceperunt

sceperunt plurium ecclesiarum. Tale exemplum nobis S. BASILIUS refert & laudat impense in EUPHRONIO, nonnisi ægre & magna populorum contentione ac ecclesiæ utilitate, suscipiente duarum ecclesiarum curam, auctoritate ac dispensatione synodi provincialis: „ Per eos (sunt verba S. BASILII) „ quibus rerum ecclesiasticarum concredita est „ dispensatio prout tempora exigebant, ne„ cessario pro illius ecclesiæ, quo transfere„ batur, utilitate non mediocri. „

Epist. 292.

Contigit etiam nonnunquam simul cum episcopali abbatiale munus geri, sed eadem utilitatis ratione habita, sine dispendio curæ pastoralis in sanctis & religiosis personis, non ob lucrum temporale. Et tamen S. WOLFGANGUS id sibi haud ferendum duxit onus. Egregia illius eam in rem referuntur apud SURIUM verba, consilium ineuntis abdicandi sese munere abbatis, quod episcopi in Ratisbonensi ecclesia antea solebant gerere in celebri S. EMMERANI monasterio: „ Vos „ scire debetis, WOLFGANGUM nun„ quam in humeros suos accepturum sarcinam, „ quam ferre non possit, nempe ut episco„ pus pariter & abbas dici velit. Sicut enim, „ teste beato GREGORIO, indecorum est, „ ut in corpore humano alterum membrum „ alterius fungatur officio; ita noxium & tur„ pissimum est, si singula rerum ministeria per„ sonis totidem non fuerint distributa. „

Ad 31. Octob.

Hoc semper perpendit ecclesia, & detestata est pluralitatem corporum seu beneficiorum sub uno capite. Hinc tot conciliorum canones & decreta contra eam usurpationem, a quo tempore frequentari cœpit, ut præ multitudine delinquentium non potuerit emendari, ut dolet

let ALEXANDER III. referturque in decretalibus, ac plura in eam rem afferuntur decreta, suntque imprimis severæ inhibitiones conciliorum Claromontani præsente URBANO II. III. & IV. Lateranensium sub ALEXANDRO III. & INNOCENTIO III. Quorum præsertim saluberrimis statutis decretales GREGORII IX. refertæ sunt, pariter ac sextus decretalium BONIFACII VIII. & aliorum, quibus constat corpus juris canonici; præter GRATIANI decretum, in quo pariter decreta conciliorum & summorum pontificum afferuntur *dist.* 70. In decretalibus autem plerumque *tit. de præbendis* in rem nostram contra pluralitatem beneficiorum habentur gravissima decreta. Quibus identidem conciliorum decreta accesserunt imprimis concilii Tridentini non uno in loco, ac sessione, primum innovando constitutiones INNOCENTII III. & GREGORII IX. & alia deinceps caute eam in rem determinando; deinde universaliter omnem pluralitatem beneficiorum proscribendo: *Ut imposterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, licet nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* In concilio Lateranensi sub INNOCENTIO III. papæ dispensatio committitur in favorem personarum sublimium & litteratarum, possuntque occurrere legitimæ causæ & circumstantiæ: *Sine quibus circumstantiis*, inquit D. THOMAS, *licitum non est, quantumvis dispensatio intervenit, eo quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris*

Can. 12. *& seqq. Clericis non resid. c.* 3. *De præbendis & dign. c.* 15. 18. 28. 30.

Sess. VII. *c.* 2. *Ib. c.* 3. *& seqq. Sess.* XIV. *c.* 17.

C. 28. *de præbend.*

Quodl. 9. *art.* 15.

ris

. vis positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

§. LXXXI.

De unione beneficiorum.

Unio ecclesiarum, ac beneficiorum legitime, justis ex causis, necessitate utilitateque ecclesiæ flagitante, facta, identidem est & auctoritate etiam concilii Tridentini constabilita.

S. GREGORIUS M. necessarias ejusmodi unionis faciendæ depromit causas: „ Et „ temporis qualitas, (inquit) & vicinitas nos „ locorum invitat, ut Cumanam & Misanatem unire debeamus ecclesias: quoniam eæ „ non longo itineris spacio a se sejunctæ sunt, „ nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. „ In concilio Emerit. causa universim redditur, quare uni sacerdoti ecclesiæ parochiales plures committi queant:

Can. 61. *In parochiis multæ sunt ecclesiæ constitutæ, quæ a fidelibus factæ, aut paucum aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures extant commissæ.* In concilio Toletano XVI. quid faciendum sit in

Can. 4. emergentibus casibus, decernitur: *Sed & hoc necessario instituendum deligimus, ut plures ecclesiæ uni nequaquam committantur presbytero: quia solus per totas ecclesias nec officium valet persolvere, nec populis sacerdotali jure occurrere; sed nec rebus earum necessariis curam impendere.* Ea scilicet ratione, ut ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ vero minus decem habuerit mancipia, aliis conjungatur.

Suc-

Successu temporum inductæ sunt uniones, quas vocant gratiosas, solummodo ad augendos proventus. Cum autem unionibus ejuscemodi numerus collationum & gratiarum imminueretur, inventæ sunt uniones *ad dies vitæ*, quæ tamen ob incommoda plurima sunt abolitæ.

Alias minorum ecclesiarum uniones ab episcopo fieri possunt, etiam beneficiorum regularium; quodsi vero agitur de unione episcopatuum aut de unione minorum beneficiorum ad mensam episcopi, soli papæ jus id competit. In unionibus autem faciendis omnes sunt vocandi, quorum interest juxta regulam cancellariæ de unionibus, ut semper in unionibus concessio fiat, ad partes vocatis quorum interest. *C. sicut* 8. *de excess. prælat.* 1. *Clement. ne in agro, de statu monach.* §. *ad hæc.*

In concilio Tridentino variis abusibus prætextu unionum fieri pronis obviatum est ad obtegendam pluralitatem beneficiorum: *Quicunque de cætero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam sive commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo, contra formam sacrorum canonum & præsertim constitutionis INNOCENTII III. quæ incipit, De multa, recipere ac simul retinere præsumserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat.* *Sess. VII. c. 4.* Contingit ita sub pallio unionis pluralitatem beneficiorum tegi, quando *ad vitam* fit. Quare FAGNANUS hanc unionem non proprie unionem, sed magis palliatam quandam dispensationem vocat. *Ad cap. exposuisti de præbendis. n.* 7.

Proprie ergo dicta unio perpetua est, quæ non in favorem personæ, sed ecclesiæ vel bene-

nefi-

neficii fit. Ubi item providentiſſime concilium Tridentinum proſpexit, quantum licuit, ne & hic intercedat commodum potius perſonarum, & ſubreptio, non utilitas & neceſſitas eccleſiarum; quæ una hic ſpectanda

C. 6. eſt: ſtatuitque, *ut uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ, examinari ab ordinariis, tanquam a ſede apoſtolica delegatis, poſſint; & ſi per ſurreptionem, vel obreptionem obtentæ ſuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis aut alias rationabilibus cauſis coram loci ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſurreptionem obtentæ præſumantur: ac propterea niſi aliter a ſede apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

Seſſ. XXIV. c. 13. Spectant hæc potiſſimum beneficia curata; de ſimplicibus enim facilior fuit ſynodus, permittitque epiſcopis, qui fructuum ſubventione pro diœceſis ſuæ tenuitate indigent, de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non ſint, nec dignitates, ſeu canonicatus & præbendæ nec monaſteria, in quibus viget regularis obſervantia, vel quæ capitulis generalibus & certis viſitatoribus ſubduntur a ſummo pontifice, provideri. Similiter in eccleſiis cathedralibus & collegiatis epiſcopis permittitur cum conſenſu capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia,

C. 15. non tamen regularia, iis unire; vel ſi hac ratione providerinon poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis, cum patronorum conſenſu, ſi de jure patronatus laicorum ſint, quarum fructus & proventus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eas ad

paucio-

pauciorem numerum redigere. Jam priori ſeſſione XXIII. c. 18. conceſſerat, ut pro congrua dotatione epiſcopi beneficia aliquot ſimplicia ſeminario ſeu collegio applicent epiſcopi & incorporent.

§. LXXXII.

De commendis.

Labentibus ſæculis, ac diſciplina eccleſiaſtica, tam ſæcularia quam regularia beneficia ſeu monaſteria in commendam commiſſa haud raro ſunt, non eccleſiaſticis ſolum ſed laicis etiam perſonis: non ſemper prævalente eccleſia contra abuſus, & ingentia inde provenientia detrimenta.

Reſpondebat initio res nomini, ut adminiſtratio eccleſiæ vacantis commendata eſſet præſuli alteri, donec ipſa ſuum nanciſceretur. In concilio Valentino in Hiſpania vocatur epiſcopus commendator, qui epiſcopo nondum defuncto ſed ægrotanti aderat. Jam diximus alibi de antiquo eccleſiæ more conſtituendi epiſcopos viſitatores ſede vacante. Quam in rem ſingulariter incubuit vigilantia S. GREGORII M. Deſolantibus autem Italiam Longobardis deſertas haud raro contingebat eſſe eccleſias, quas S. GREGORIUS committere ſolebat vicino paſtori, donec inſtitui poſſet epiſcopus cardinalis ſeu titulatis; aut ſede ſua pulſis paſtoribus in commendam tradebat nonnunquam monaſteria. Viciſſim terras eccleſiarum monaſterio *Lib. I. ep.*

U appli-

38. 39. 76. *II. ep.* 13. 35. *VI. ep.* 10. *Lib. IV. ep.* 18. *Lib. IV. ep.* 1.

applicabat, necessitate ita flagitante. Alias vero ejusmodi incubationes damnabat, avertebatque. „ Pervenit ad me (scribit eo in negotio ad episcopum Ravennatensem) quod „ in ecclesia fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta „ sunt: dumque hi qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo enim potest & „ ecclesiasticis ministeriis deservire & in monachica regula ordinate persistere; ut ipse „ monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet, „ quia ego nullo modo patior, ut loca sacra „ per clericorum ambitum destruantur. „

Lib. VII. ep. 7. & *lib. IX. ep.* 29.

Sed non eo vigore semper actum fuit, tenueruntque nonnunquam episcopi monasteria aut sua aut pontificis auctoritate: ac consueverunt dari in commendam prioratus, curata & alia minora beneficia quæcunque: patet id ex epistolis GREGORII VII. Prætextus hic erat plura obtinendi beneficia, quin directe sacris canonibus contravenire videretur,

An. 1253. *C.* 28. *C. nemo* 15. *de elect. in* 6. *Can.* 5.

ut in concilio Salmurcensi notatur, & a BONIFACIO VIII. ubi de parochiarum ejusmodi commendis agitur, quas etiam a laicis sic usurpari contingebat, ut ex concilio Cabilonensi discimus: *Saculares vero, qui necdum sunt ad clericatum conversi, res parochiarum vel ipsas parochias minime ad regendum debeant habere commissas.* Concilium Aurelianense IV. indiscriminatim perstringit: *Si quis clericus aut laicus sub poten-*

Can. 25.

tum nomine atque patrocinio res ad jus ecclesiæ pertinentes contemto pontifice, petere seu possidere præsumserit.

Et ita passim in conciliis Gallicanis cavetur tam contra clericos quam laicos, cum illic accideret ducibus & comitibus præsertim militibus beneficia ecclesiastica concedi fruenda: unde frequens est nomen commendarum militarium, temporibus difficillimis irruptionum barbaricarum. Obtentum id legitur in concilio Liptinensi a CARLOMANNO: *Statuimus quoque cum consilio servorum DEI & populi christiani, propter imminentia bella & persecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia DEI aliquanto tempore retineamus.* Refert HINCMARUS, S. BONIFACIUM ex præcepto ZACHARIÆ ei concilio præfuisse, alias infensissimum hujusmodi usurpatoribus, quos *raptores & sacrilegos* vocat. Fuit autem imprimis CAROL. MARTELLUS idcirco infamatus, quamvis jam antea & post sub stirpe Carolingica obtinuerint commendæ, præsertim sub CAROLO CALVO; sed clericis concessæ, e manibus laicorum ereptæ. Sub quo tamen in concilio Tullensi constitutum est agi apud principes: *Ut unicuique congregationi DEO vacantium in timore & amore ejus a discretissimis principibus secundum auctoritatem divinam suæ professionis liceat habere prælatos.* Et NICOLAUS P. gravissime tulit usurpationem hanc in destructionem disciplinæ monasticæ: *Quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem, sed evertere.*

Can. 2.

Epist. 105.

Can. 12.

Epist. 24.

ctere. Quod unusquisque præpositus, cujus est ordinis, ejus quoque erit propagator; nec bene disponet aliquando cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse, qui disponit, æmulator. Communit ibi monasterium Corbejense contra hanc incubationem privilegio, quale etiam in concilio Suessionensi III. Solminiacense obtinuit, auctoritate JOANNIS VIII. firmatum, & a MARTINO P. postea renovatum: simile privilegium concessum est monasterio Floriacensi. Ipse sibi pontifex legem facit contra commendas beneficiorum, pariter ac in concilio Tricassino. In concilio

Can. 2. postea Troslejano provocatur non solum ad

Cap. 3. canones ecclesiasticos, sed etiam capitularia

Lib. I. ca- imperialia citantur: *Ut loca, quæ semel DEO*

*pitul.c.*31. *dicata sunt, aut monasteria sunt, maneant perpetuo monasteria, nec possint ultra fieri sæcularium habitacula. Nunc autem in monasteriis DEO dicatis monachorum, canonicorum & sanctimonialium abbates laici cum suis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur & canibus.* Vehementissime postea iterum resumto eodem argumento minas intonant: „ Respectum siquidem timoris DEI habenti„ bus auditu lugubre, dictu nefas, actu di„ gnoscitur horribile, quando contra omnem „ paratum, & totius christianæ religionis au„ ctoritatem & consuetudinem in monasteriis „ regularibus laici in medio sacerdotum & cæ„ terorum religiosorum, ut domini ac magistri „ residentes, velut abbates de illorum vita & „ conversatione ac regula sibi penitus ignota „ perverso ordine dijudicant. Quæ pro certo „ abominatio illa est, quam Dominus in e„ vangelio præsignat, dicens: *Cum videritis* „ *abominationem desolationis stantem in loco*

„ *ubi*

ubi debet, qui legit, intelligat. Ista nam- „
que vere est abominatio desolationis non tan- „
tum subditorum vel eorum qui illis ad suam „
ipsorum perniciem videntur principari, ve- „
rum regis & totius regni, omniumque qui „
tam detestabili favent ordinationi. Cense- „
mus igitur, ut status monasteriorum inviola- „
tus, juxta antiquam regulæ traditionem & „
canonum constituta, servetur: & ut abbates „
sint religiosæ personæ, & quæ regularem „
noverint disciplinam.„ Refert LUDOVIC. THOMASINUS complura eam in rem conciliorum decreta & ad principes obtestationes, capitularia item Francorum, sub quo regno maxime grassabatur malum illud, quamvis aliorsum etiam ac ipsum orientem pervaserit; sed facilius alibi obviatum est. Apud REGINONEM habetur decretum conventus Francofordiensis sub OTTONE I. quo innuatur præfato regi, *ut nulla abbatia, quæ per se electionem habet ad monasterium, nec alicui in proprium possit donari. Ille vero quæ electione carent, regis donatione & privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus mundiburdio subsistit, surrogari possint.* Videbantur in Galliis cum stirpe Carolingica, & sub auspiciis Capetiorum exspirasse commendæ etiam clericorum. Sed iterum deinceps erexerunt caput. In concilio Viennensi sub CLEMENTE V. conquestus est celebris DURANDUS Mimatensis contra cardinales, quod ecclesias etiam cathedrales & ultramarinas sub diversis coloribus sibi faciant commendari. Revocavit CLEMENS V. hujusmodi commendas. Item JOANNES XXII. teste RAINALDO, *Omnes commendas factas per prædecessores suos de ecclesiis cathedrali-*

De benef. P. II. L. II. c. 15. &c.

Append. 2. c. 53.

P. II. tit. 21.

Cap. cum rationibus de elect. in Clementinis.

Ad an. 1333. n. 67.

dralibus, & abbatiis, quibuscumque personis, cardinalibus & patriarchis duntaxat exceptis. Sed eo ipso tempore plurimum sunt auctæ, auctoribus ipsis pontificibus Avenionensibus, qui proventibus Italiæ cum libere non fruerentur aliunde pro se suisque supplere debebant defectum ex beneficiis ac monasteriis, sub salutari quidem prætextu destructæ disciplinæ regularis, cardinalibus & aliis prælatis commendatis; at nec respondit effectus proventuum causa, in pejus ruentibus rebus; ut ex concilio Lateranensi sub LEONE X. constat; nec aboleri potuerunt, quamvis concordata Gallica id postularent, ubi frequentes sunt commendæ. In concilio Tridentino res hæc variis fuit agitata studiis, & quod penitus tolli non potuit malum, moderati saltem sunt quantum potuerunt patres, prospicere rei monasticæ conati: *Cum pleraque monasteria etiam abbatiæ, prioratus & præposituræ ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia passa fuerint, tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta; cupit sancta synodus ea ad congruam monasticam vitæ disciplinam omnino revocare, verum adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium posset adhiberi; ut tamen nihil prætermittat, unde prædicta salubriter aliquando provideri possit; primum quidem confidit, sanctissimum Romanum pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares personæ ejusdem ordina-*

Extrav. comm. de præb.

An. 1514. *Sess.* 7. & 9.

Sess. XXI. de regular. c. 21.

dinis expresse professa, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ vero imposterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.

§. LXXXIII.

Xenodochia, nosocomia &c. antiquissima reputari possunt beneficia, seu loca pia, quibus proventus largiter sunt addicti, ac potissima fuit semper egentium omnium cura. De locis piis.

A primordiis ecclesiæ sicuti bonorum omnium ecclesiæ episcopus habuit curam, ita peregrinorum, pauperum, infirmorum, viduarum, orphanorum & aliorum indigentium, quos bonorum ecclesiæ participes, & ratam suam semper habuisse partem, postquam distributio bonorum ecclesiæ quadripartita audiri cœpit, jam ex superius dictis constat.

Habentur vero etiam, cum primum persecutionibus cessantibus licuit, loca ejusmodi piis operibus destinata operose instructa. Quæ res æmulationem invidiamque JULIANO APOSTATÆ excitavit, ut ex GREGORIO NAZIANZENO discimus. *Orat. 3.* Qui idem satis deprædicare non potest amplissimum xenodochium a S. BASILIO extructum, *Orat. 20.* & nos jam ex ipso S. BASILIO audivimus, quam copiosissime rebus omnibus fuerit instructum. PALLADIUS in vita S. CHRYSOSTOMI, PAULINUS in vita S. AMBROSII, POSSIDIUS in vita S. AUGUSTINI studia horum præsulum in hanc rem miris extollunt mo-

dis, pariter ac S. HIERONYMUS ad PAMMACHIUM ſcribens, & in epitaphio PAULÆ, ac FABIOLÆ, alibique laicorum ardorem & munificentiam dilaudat, in extruendis hujusmodi locis piis, ut etiam epiſcopis & presbyteris nonnunquam æmulationem excitarint; cum ſemper clericorum hæc fuerit præcipua cura ſub inſpectione epiſcoporum. In concilio Chalcedonenſi ſtatuitur:

Can. 8. *Ut clerici qui præficiuntur ptochodochiis & monaſteriis ſub epiſcoporum poteſtate permaneant.* Quare etiam jure canonico ejusmodi loca in vera erecta ſunt beneficia eccleſiaſtica, ſub obligatione, præter communem illam a nobis ſuo loco aſſertam, ſingulari impendendi proventus honeſtæ ſuæ ſuſtentationi ſuperfluos, in uſus pauperum ac miſerabilium perſonarum, ſecundum leges fundationi hoſpitalis adſcriptas: qualia nonnulla hoſpitalia eſſe ſupponit Clement. 2. de religioſis domibus pariter ac concilium Tridentinum præcipiens omnibus, qui hujusmodi loca in titulum obtinent, ut impoſitum illis onus officiumque adminiſtrent: atque hoſpitalitatem, quam debent ex fructibus ad id deputatis actu exerceant. Sunt etiam

Seſſ. VII. c. ult. Seſſ. XXII. c. 8. 9. ſingulares religioſi ordines ac domus, in quas concilium Tridentinum Ordinario inſpectionem tribuit. In jure canonico titulo de domibus religioſis de his locis piis ſimiliter aigitur.

Seſſ. XXV. c. 8. Collegiis canonicorum plerumque fuit annexum hoſpitale, pariter ac monaſteriis, quæ ſemper hoſpitum curam geſſerunt, & paſſim etiam monaſteriis unita ſunt: unde ſynodus

Seſſ. XXV. c. 8. Tridentina præcipit illis, qui hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumque uſum præcipue inſtituta eccleſiis ſuis unita obtinent, ut

impo-

impositum illis onus officiumque administrent, atque hospitalitatem quam debent ex fructibus ad id deputatis exerceant. In urbibus etiam passim dudum ejusmodi loca pia erigi sunt curata: quam in rem habetur canon concilii II. Aquisgranensis: *Placet, ut deinceps in singulis civitatibus & monasteriis juxta modum rerum hospitalitas ordinetur advenientium.* In concilio Aquisgranensi I. in eandem rem pulcherrima habentur instituta juxta apostolicam institutionem, & constantem usum obligationemque, ne erectis beneficiis, & bonis ecclesiasticis fixis, parte sua fraudarentur indigentes quicunque. „ Proinde (sanciunt PP. illi) „ oportet, ut prælati ecclesiastici præcedentium patrum exempla sectantes, aliquod „ præparent habitaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus ecclesiæ tantum ibidem „ deputent, unde sumtus necessarios juxta „ possibilitatem rerum habere debeant, exceptis decimis, quæ de ecclesiæ villis ibidem conferuntur. „ Decimæ autem illic intelliguntur de frugibus, & omnibus eleemosynarum oblationibus. Habentur hæc in regula canonicorum eo in concilio tradita, ubi plura adhuc in eandem rem statuuntur. AUBERTUS MIRÆUS in notis in eam regulam dicit, multis in locis hujusmodi domus hospitalarias ad usum pauperum extructas hodieque multis in locis juxta canonicorum templa subsistere.

An. 836. *c.* 3.

An. 816.

Cap. 141.

 CAP. V.

CAPUT V.

De cura ecclesiæ circa causas civiles, & secularia judicia.

§. LXXXIV.

Ecclesia jurisdictionem temporalem non arrogat.

Distincta cum sit sacra a politica potestate, jurisdictionem sibi in temporalia non arrogat ecclesia, lacessitis principum juribus.

Hactenus auctoritatem ecclesiæ vindicavimus & jura, tum quoad res & causas mere sacras, cum quoad mixtas, bona nimirum temporalia & possessiones jure proprietateque ad ecclesiam æque pertinentes, quam alius quisque rerum suarum in hoc mundo est dominus. Circumspiciendum nunc etiam de finibus utriusque potestatis sacræ & profanæ, quibus se limitibus contineant, & mutua concordia conspirent, ut maneat cuique suum secundum divinam ordinationem: quomodo olim magnus OSIUS CONSTANTIO in sacra involanti in faciem edixit, teste S. ATHANASIO: *Tibi DEUS imperium commisit; nobis quæ sunt ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Nimirum in his, quæ religionem & salutem animæ spectant, quisque supremus etiam princeps subest ecclesiæ, quin tamen legiti-

Epist. ad Solitar.

legitima eorum in hoc mundo convellatur, ſed diſtincta maneat duplex poteſtas, ſacra & politica: *Duo ſunt*, ſcribit GELASIUS P. ad ANASTASIUM imperatorem, referturque a GRATIANO: *Imperator auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen præſulibus divinarum devotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cœleſtibus ſacramentis, eiſque ut competit diſponendis, ſubdi ſe debere cognoſcis religionis ordine potius quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere arbitrio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Nihil ſilet, quod ad auctoritatem eccleſiaſticam faciat, ſed eam circumſcribit ſuis limitibus circa ſacra. Pariter ad eundem ANASTASIUM SYMMACHUS, cum de exerenda vel maxime poteſtate eccleſiaſtica ageretur, nimirum excommunicationis ſententia feriendo ipſo imperatore in cauſa ACACII, extollit quidem ſacram poteſtatem, profanam tamen ſuo ut relinquat in loco: *Conferamus autem*, inquit, *honorem imperatoris cum honore pontificis: inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum. Tu imperator, a pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremo tu humana adminiſtras; ille tibi divina diſpenſat. Itaque non*

Cap. duo ſunt. diſt. 96.

Symach. in apologetico.

non dicam superior, certe aequalis honor est.
Epist. I. Et GREGORIUS II. similiter ad imperatorem LEONEM ISAURICUM scribens, utriusque potestatis limites definit: *Scis imperator, sanctae ecclesiae dogmata non imperatorum esse, sed pontificum, quae tuto debent praedicari. Idcirco ecclesiis praefecti sunt pontifices a reipublicae negotiis abstinentes, ut imperatores similiter ab ecclesiasticis abstineant, & quae sibi commissa sunt capessant.* In eodem argumento versatur secunda ad eum epistola, ut discrimen utriusque potestatis commonstret, non tollat, ut multis visus est fecisse hic pontifex in negotio translationis imperii ad reges Francorum, auctoritatemque suam in supremum etiam usurpasse principatum terrenum cum successoribus, in eadem re laborantibus; qui tamen auxilium, destituti, petebant tantum, non alienam potestatem arrogabant.

Quod dum multi non attenderent, enata est invidiosa illa de directa vel indirecta potestate pontificum in reges, & regna etiam temporalia lis. Fomentum praebuit, quae postea facta est sceptri in regno Franciae translatio a CHILDERICO III. ad PIPINUM stirpemque Carolingicam BURCHARDO episcopo Virsburgensi unacum capellano PIPINI ad papam consilii capiendi gratia misso: quod dedit pontifex, ut regno consuleretur; non auctoritatem suam interponendo in imperium ac politicam potestatem, quam semper distinctam deinceps pontifices agnoverunt sacram & politicam, ut, *sicut reges praesunt in caussis saeculi, ita sacerdotes in caussis DEI*, quae LEONIS IV. verba sunt apud GRATIANUM. Et ut apud eundem NICO-

Cap. Nos si incompetenter 2. q. 7.

LAUS

LAUS I. ſcribens ad MICHAELEM imperatorem dicit: *Ultra ſibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatoris uſurpavit. Quoniam idem mediator DEI & hominum homo CHRISTUS JESUS ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriusque diſcrevit, ut & chriſtiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus.*

Intrepide quidem pontifices, quæ ſuæ erant auctoritatis circa religionem etiam in principes exercebant refragarios; nec primus, ut ſunt qui exiſtimant, GREGORIUS VII. cenſuras in principes ſtrinxit; licet majori cum vigore egerit, & ulterius etiam tandem progreſſus ſit, poſtquam jam RODOLPHUS a proceribus imperii in locum HENRICI eſſet ſuffectus, diu cunctatus, donec ipſe depoſitionis ſententiam ferret. Quæ eſt *res facti* & ſententia privata multorum tunc temporis, ac ipſius etiam pontificis; haud dubie fide adhibita donationi CONSTANTINI qua in occidentem pontifici tribuitur poteſtas & imperium. Quæ ſi ſubſiſteret etiam, indulgentia eſſet CONSTANTINI, non propria eccleſiæ poteſtas, licet hæc politica ſublimior & in reges quosque terrenos contumaces prævalens ſit ſacra poteſtas & principatus, civili tanto melior, juxta S. CHRYSOSTOMUM, *quantum a terra cœlum, imo & multo magis.* Quæ qui ſecum perpenderit, offendi deſinet, ſi pontifices neutiquam tacuerint, quam præſtans ſua ſit poteſtas: quo ipſo oſtenditur circa ſpiritualia, non

Hom. 15. in ep. 2. ad Corinth.

non temporalia eam versari. Non sic insolens aut arrogans videbitur, quod soli sacra potestas, lunæ autem profana comparetur, ut ab INNOCENTIO III. est factum, refertur que in jure decretalium de majoritate & obedientia : *Ad firmamentum igitur cœli, hoc est universalis ecclesiæ, fecit DEUS duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur.* Frequens est solis & lunæ comparatio sacræ & politicæ potestati applicata, atque etiam jam ante INNOCENTIUM III. adhibita, non ultra limites extendenda, pro similitudinum natura, quæ non in omnibus conveniunt; ne cavillandi inde occasio sumatur, & in suspicionem veniat illustrior spiritualis potestas, quasi lucem omnem, unde suam derivet politica potestas, sibi arroget ecclesia, ac auctoritatem suam solam ostentet. Quomodo BONIFACIUS VIII. exacerbatus a PHILIPPO IV. Francorum rege, in oratione quam habuit an. 1303. pro confirmando rege Romanorum ALBERTO, sumsit. Qui etiam perhibetur duplicem in tiara coronam primus gestasse, ut utriusque regni corporalis & spiritutalis prærogativam hac ratione innueret, cui creditur tertiam ante annos trecentos URBANUM V. addidisse, numeri forte mystici causa, cœlestium, terrestrium & infernorum, quorsum ecclesia principatum suum extendit, sed spiritualem & sacram, ut quæ solvit & ligat in terris, soluta sint & ligata in cœlis, & portas etiam infero-

Lib. I. tit. 33. c. 6.

Vid. Breviar. Fr. Pagi.

rum

rum poteſtatesque inimicas habeat, ſitque eccleſiæ dominium a mari uſque ad mare, atque de terrena & politica poteſtate etiam participet eccleſia, emerſa ſtatu preſſo, quo ſub imperatoribus ethnicis detinebatur, in libertatem vindicata, & centuplo etiam in hac terra aucta, principatum nacta ſupremum imprimis eccleſia Romana, ut nulli inter tot chriſtianos principes obnoxia, ſacram ſuam exercere liberam nec impeditam poſſit poteſtatem, ut jam ſuperius notavi.

§. LXXXV.

Non ſolum perſonarum eccleſiaſticarum, verum etiam fidelium cauſæ & lites juxta apoſtoli edictum, etiam cum bona chriſtianorum principum venia, apud tribunal eccleſiaſticum agebantur ſemper tranſigebanturque olim.

Licet ipſi principes cauſas ſæculares commiſerint judicandas.

Jam ſuo loco diximus de foro competente apud eccleſiaſticum judicem, immunitateque perſonali: ubi etiam præter eccleſiaſticos canones indulta principum ex codice potiſſimum Theodoſiano, ac primis chriſtianorum principum legibus quaſdam attulimus, quibus nunc ex codice Juſtinianeo aliquas addere licet, id ſingulariter exprimentes, quod nunc agimus tam quoad perſonas, quam cauſas conjunctas cum perſonis ſacris ac DEO dicatis: *Sancimus, ſi quis quamcunque habuerit cauſam, cum aliquibus venerabilibus aſcetis, aut ſacris virginibus, aut mulieribus omnino in monaſteriis conſiſtentibus DEO amabilem ci-* Nov. 79. c. 1. 2.

vita-

vitatis illius episcopum interpellet; ille vero mittat, & cum omni honestate, quæ sunt de personarum præsentia disponat: sive oportet per abbates sive per responsales, sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipse vero cum omni veneratione sacerdotali causam examinet & judicet; & civiles non sint ei penitus judices, neque confundant eorum honestatem, cum idonei sint singularum civitatum episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela judiciorum disponere atque judicare, honeste atque sacerdotaliter, secundum leges nostras & divinos canones. Poterat adhuc forte de his personis dubietas esse, necdum tam arcte ordini sacro innexas, quas alia lege simul comprehendit omnes: *Jubemus metropolitam episcopos sub se constitutos semel aut secundo per singulos annos convocare, & omnes causas subtiliter examinare, quas episcopi, aut clerici, aut monachi ad invicem habent, easque disponere; & super hoc, quidquid extra regulas a quacunque persona delinquitur, emendare.* Expressæ jam antea sunt causæ: *Sed neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali, episcopum ad judicem civilem aut militarem invitum perducere, citra imperialem jussionem permittimus.* Alias in canonibus exceptæ erant causæ criminales & capitales, sed erant tamen etiam juxta canones, & cum episcopo tractandæ, juxta concilium Matisconense a CLOTARIO II. singulari edicto firmatum: *Qui vero convicti fuerint de crimine capitali juxta canones distringantur, & cum pontificibus examinentur. Quodsi causa inter personam publicam & homines ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte præpositi ecclesiarum, & judex publicus in audientia publica positi, ea debeant judicare.*

Nov. 86. c. 8. 21.

Can. 4.

Non

Non erat infrequens ejusmodi utriusque fori judicii in unum consessus ad judicandum; & in jam laudata JUSTINIANI novella 86. c. 1. 2. indulta est appellatio iis omnibus, quibus ordinarius erat suspectus judex: *Si contigerit quendam nostrorum subjectorum in dubitatione habere judicem; jubemus sanctissimum episcopum audire cum clarissimo judice: ut ambo per amicabilem conventum dissolvant, quæ dubia sunt, ut non cogantur subjecti nostri propter hujusmodi causas recedere a propria patria.* Quin de ipso judice cognoscere & decernere poterat episcopus: *Si contigerit quempiam a judice provinciæ lædi, jubemus eum adire civitatis episcopum, & ipsum judicare judicem, & eum qui putatur lædi ab eo.*

Retulit JUSTINIANUS in suo codice ARCADII & HONORII legem, qua episcopale judicium omnibus indulgetur: *De audientia episc. L. I. tit. IV. l. 8.* „Episcopale judicium ratum sit omnibus, „ qui se audiri a sacerdotibus elegerint; eam- „ que eorum judicationi adhibendam esse re- „ verentiam jubemus, quam vestris deferre „ necesse est potestatibus, a quibus non li- „ cet provocare. „ Quodsi nullum de CONSTANTINI lege esset dubium, quæ ad calcem codicis Theodosiani habetur, adhuc *Extrav. de elect. judicii episc.* amplior foret isthæc episcoporum auctoritas: „Quicumque litem habens, sive possessor sive „ petitor erit, inter initia litis, vel decursis tem- „ porum curriculis, sive cum negotium perora- „ tur, sive cum jam cœperit promi senten- „ tia judicium eligit sacrosanctæ legis antisti- „ tis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi „ alia pars refragatur, ad episcopum cum „ sermone litigantium dirigatur. „ Constat ex

EUSEBIO, auctoritatem decretorum ecclesiasticorum ratam omnibus provinciarum rectoribus esse voluisse CONSTANTINUM: ac *cuivis judici praeferendos esse sacerdotes DEI.* Et SOZOMENUS testatur; „Eum litigantibus permisisse, ut ad episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent: eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis praevaleret, perinde ac si ab ipso imperatore data fuisset: utque res ab episcopis judicatas rectores provinciarum, eorumque officiales executioni mandarent." Quae satis congruunt cum lege laudata, licet illius circumstantias non omnes referant.

Vita Constant. lib. IV. c. 27.
Lib. I. c. 9.

Constat autem ex praxi jugi non solum tempore persecutionum ac ecclesiae pressae, juxta praescriptum apostoli apud ecclesiam transacta fuisse judicia etiam saecularia: *Saecularia igitur judicia si habueritis: contemtibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Ubi vocem Graecam ἐξȣθενημένοι aliter sumit LIGHFOOTUS, ut prorsus contrarium sensum habeat, ac significet homines summae quidem existimationis, sed privatos judices, qui vocabantur ἰδιῶται, non authentici. Patet hoc ulterius ex confoederatione disciplinae, cujus PLINIUS in celebri ad TRAJANUM epistola meminit, testaturque TERTULLIANUS, apud ecclesiam fuisse tribunal & judicium plenissimum, sed charitatis christianae legibus, non forensibus formulis exactum, quod de S. GREGORIO TAUMAT. GREGORIUS NISS. commemorat: „Suis ipsius legibus utebatur ad arbitrium, quod susceperat disceptandum reconciliationem suadens, & ut amice inter se-

1. Corinth. VI. 4.

De vita Gregorii Taumat.

se concordarent, & pacis lucrum pluris, „ quam id, quod ex proventibus caperent, „ æstimarent. Nam pacem quidem in per- „ petuum & viventibus & mortuis permanere; „ redituum esse temporarium usumfructum, „ æternam vero ob injuriam condemnationem. „ Idem de S. AUGUSTINO POSSIDIUS testatur: „ Compertis rerum oppor- „ tunitatibus divinæ legis veritatem partes do- „ cebat, eamque illis inculcabat, & eos, quo „ adipiscerentur vitam æternam, edocebat & „ admonebat. „ Narrat autem quam assiduus & diligens in hoc negotio fuerit, causis fidelium audiendis dirimendisque, „ ut causas „ eorum audiret diligenter ac pie, & eas ali- „ quando usque ad horam refectionis, ali- „ quando autem tota die jejunans, semper „ tamen nosceret & dirimeret. „ Ipse S. AUGUSTINUS de S. AMBROSIO narrat, quam assiduus fuerit in hac re, ut accessus sibi ad eum, sicut volebat, non pateret: *Non quærere ab eo poteram, sicut volebam, secludentibus me ab ejus aure, atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. Cum quibus quando non erat, per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis aut lectione animum.* Idem accidisse S. AUGUSTINO testis est POSSIDIUS in ejus vita, & ipse variis in locis conqueritur, cupiissetque si liceret, piis potius vacare studiis: „ Non permittor, (inquit alicubi) ad „ quod volo vacare ante meridiem, post me- „ ridiem occupationibus hominum teneor. „ (Et alibi) Quantum attinet ad meum com- „ modum multo mallem per singulos dies „ certis horis, quantum in bene moderatis „

Vita S. Aug. c. 19.

Confess. L. VI. c. 3.

Epist. 110.

De oper. monach. c. 29.

 „ mona-

„ monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos molestiis affixit apostolus non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus. (Et alibi) Constituit talibus causis ecclesiasticos apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare christianos. „

Serm. 24. *in ps.* 118.

Itaque dispensare sibi non poterat, quin & sese offerebat & rogabat fideles, ut ad se venirent tempore præsertim Quadragesimæ, ut mutuo reconciliati passionem & resurrectionem dominicam celebrarent. Tandemque sarcinam illam vix licuit in HERACLAM successorem a se destinatum, deponere. Mirabilis etiam SYNESIUS id onus cum sarcina episcopali libenter excussisset, & aliquando nihil non, sed frustra, egit apud populum, quam non hæc cum sacerdotio conveniant persuadere suos conatus: *Jam vero*, inquit, *ex ipsis rebus sententiæ meæ suffragatores habere vos destinabam; reipublicæque administrandæ vim cum sacerdotio conjungere, perinde esse atque ea quæ nendo connecti nequeant.* Refert etiam THEODORETUS, hanc inter difficiliores esse episcopi occupationes, controversias fidelium dirimere. Et SIDON. APOLLINARIS passim ejusdem oneris mentionem facit. Omnium vero ægerrime tulit S. GREGORIUS M. tantopere rerum temporalium cura & inter-

Serm. 211. *c.* 7.

Epist. 57.

Hist. relig. c. 17.

L. III. ep. 12. *L. VI. ep.* 2. & 4.

Prolog. in dialog.

terpellationibus importunitateque hominum sæcularium, qui negotia ad præsulem deferant, turbari, quibus jam licet expeditos & liberos fere vivere homines ecclesiasticos.

§. LXXXVI.

Id indultum singulariter est ecclesiæ præsulibus, ut miseros servituti aut supplicio addictos in libertatem vindicarent, suoque apud judices & principes interventu ereptos, emendationi salutari & pœnitentiæ reservarent.

Et proprium officium habeat circa personas afflictas.

CONSTANTINUS repetitis legibus id indulsit, ut in ecclesia a sacerdotibus servi ac mancipia libertati restituerentur & manu mitterentur, quod jus prætoribus tantum & consulibus erat. Una earum legum haud superest; duæ adhuc in codice Theodosiano & Justinianeo restant, altera ad OSIUM Cordubensem, altera ad PROTEGENEM Sardicensem, ut creditur, episcopum. Quam ob rem AURELIUS Carthaginensis in Italiam misit exploratum, quomodo jure illo uterentur illic, ut pariter in Africa ita fieret. Et in concilio Africano constitutum est, ut ea facultas ab imperatore peteretur, obtentam autem fuisse ex S. AUGUSTINO discimus. Lege CONSTANTINI ad OSIUM simul comprehenditur, ut ecclesia sua mancipia prout vellet, emanciparet. Quod jus studiose conservavit ecclesia, & ex canone Arausicani concilii turbatum, ut videtur, vindicatum est: *In ecclesia manu-missos*, vel

Cod. Theodos. Lib. I. tit. 1. *Cod. Justin. tit.* 13. *leg.* 1. *T. II. concil. p.* 1088. *An.* 401. *Ibid. p.* 1097. *Ser.* 21. *p.* 113. 356. *p.* 1387. *Can.* 7.

per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem vel obsequium vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit animadversione ecclesiastica coerceatur.

Jam suo loco diximus de jure asyli, singularis est autem vetus disciplina, ut venia impetraretur reis: quam in rem extat Sardicensis concilii canon: *Quia sæpe contingit aliquos qui egent misericordia ad ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione vel in insulam deportatione damnati, vel quavis alia sententia addicti sunt, iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione & dubitatione iis veniam esse petendam.* In codice Theodosiano habetur lex, qua cavetur, ne vis adhiberetur, in vindicandis addictis supplicio, & pro criminum immanitate damnatis. Et in THEODORICI regis edicto statuitur; *Si addictos damnatosque judiciis, clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam vel ad dispendia teneantur.* Qua de re agit S. AMBROSIUS, nec violentiam probat, etsi aliquando casibus extraordinariis factam instinctui divino tribuat; idque officium personis sacris omnino debere edicat, quod ipse studiosissime obivit, & apud THEODOSIUM plurimos exilio, carceribus & extremo supplicio eripuit, ut ipse testatur, & THEODOSIO per litteras gratias agit his verbis: *Debeo beneficiis tuis, quibus me petente liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de ultimæ necis pœnis.* De eo refert PAULINUS in ejus vita, magnam fuisse in eo interveniendi assiduitatem & constantiam, & varia narrat exempla gratiasque obtentas tempore GRATIANI etiam imperato-

Can. 7.

L. IX. tit. 40. *l.* 15. *&c.*

C. 114.

L. II. de offic. c. 21.

Epist. 17.

ratoris apud MACEDONIUM & STYLICONEM præcipuos publici ſtatus adminiſtros. Et SOZOMENUS narrat, dum vix acceſſum ad imperatorem habere poſſet, perviciſſe tamen, & gentili etiam criminis læſæ majeſtatis reo vitam impetraſſe. Agit de eo pietatis munere variis in epiſtolis. Et in pſal. 118. *Eripe*, inquit, *eum, qui ducitur ad mortem, hoc eſt, eripe eum interceſſione, eripe gratia tu ſacerdos, aut imperator eripe ſubſcriptione indulgentiæ, & ſolviſti peccata tua, eruiſti te a vinculis.* De S. MARTINO ſcimus & jam alibi retulimus, eum in tali cauſa ad imperatorem MAXIMUM profectum, ut obtineret, quam reis veniam petierat, etiam aliquid de diſciplina remiſiſſe eccleſiaſtica, & cum ITHACIO communicaſſe. Refert autem SULP. SEVERUS alibi aliquando ipſum apud officiales pro imperio egiſſe: *Advocat omnes officiales, jubet omnes cuſtodias relaxari.*

Lib. VII. c. 25.

Oct. 8.

Dial. 3.

In appendice codicis Theodoſiani a SIRMONDO edito habetur lex, ſacerdotique tribuitur facultas, *ut carceris ope miſerationis aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, conſoletur inſolentes, & cum ſingulorum cauſas cognoverit, interventiones ſuas apud judicem competentem ſuo jure moderetur.* De S. GERMANO Altiſiodorenſi narratur in ejus vita, cum in ſimili caſu homines exorare non potuiſſet, DEUM precibus flexiſſe, ut fractis carceribus & ſolutis ſponte ſua vinculis liber exitus vinctis eſſet:
„ Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens onera vacua catenarum, tenens nexus, quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquando, quia „

C. 13.

L. II. c. 15.

 „ va-

„ vacuus & præcedente pietatis triumpho „ turba miserorum gremio gaudentis ecclesiæ „ infertur. „ Alia ejusmodi leguntur exempla sanctorum, & mos etiam refertur ecclesiæ Aurelianensis ex tali miraculo a B. ANIANO perpetrato, ut deinceps ad solemnem episcopi in urbem ingressum captivi solverentur, evacuatis carceribus. In capitularium libris statuitur: „ Ut episcopus judices publi„ cos commoneat, ut in diebus celeberrimis, „ id est, nativitate Domini nostri JESU CHRI„ STI, & sancta resurrectione & Penteco„ ste, quicumque miserrimi vinculis detinen„ tur, relaxari debeant, & absolutionem pro„ mereri. Et judex, si pastorem commonen„ tem despexerit, quamdiu loci illius episco„ po visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus ar„ ceatur. „

Surius ad 17. Nov.

Poterat hoc beneficium, si indiscriminatim & sine delectu impenderetur, mala generare, & injustitiæ potius quam pietati patrocinari. Et quidem S. AMBROSIUS: *In causis*, inquit, *pecuniariis intervenire non est sacerdotis; in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur; quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur.* Sed hæc indulgentia ecclesiæ præsulibus concessa est, qui prudentia pollent & pietate, iis in casibus, ubi ignoscendi venia in gloriam ecclesiæ & salutem publicam & animarum cederet. MACEDONIUS Africæ vicarius dubium hoc movit S. AUGUSTINO, num ex religione sit, quod episcopi apud judices pro reis intercedant; prolixeque respondet, & pietatis opus istud vindicat sanctus doctor, atque eo induxit animum MACEDONII, ut auderet & apud ipsum

L. III. de offic. c. 9.

Ep. 152.

In vita S. Aug. c. 20.

ipſum intercedere & gratiam obtineret teſte POSSIDIO. Id autem potiſſimum agit, ne ad impunitatem ſceleris, non correctionem facere videantur interceſſiones illæ. „ Nullo „ modo ergo (inquit) culpas, quas corrigi „ volumus approbamus, nec quod perperam „ committitur, ideo volumus impunitum eſſe, „ quia placet; ſed hominem miſerantes, fa- „ cinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quan- „ to magis nobis diſplicet vitium, tanto mi- „ nus volumus inemendatum interire vitio- „ ſum. Facile enim eſt atque proclive ma- „ los odiſſe, quia mali ſunt: rarum autem „ & pium eosdem ipſos diligere, quia homi- „ nes ſunt; ut in uno ſimul & culpam im- „ probes, & naturam approbes, ac propter- „ ea culpam juſtius oderis, quod ea fœdatur „ natura quam diligis. Non eſt igitur iniqui- „ tatis, ſed potius humanitatis ſocietate de- „ vinctus, qui propterea eſt criminis perſe- „ cutor, ut ſit hominis liberator. Morum „ porro corrigendorum nullus alius quam in „ hac vita locus eſt: nam poſt hanc vitam „ quisque id habebit, quod in hac ſibimet „ conquiſierit. Ideo compellimur humani ge- „ neris charitate intervenire pro reis, ne „ iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut „ ea finita non poſſint finire ſupplicium. Noli „ ergo dubitare hoc officium noſtrum ex re- „ ligione deſcendere. „ Et in epiſtola apud APRINGUM proconſulem ſcribit de Circumcumcellionibus infenſiſſimis catholicorum hoſtibus & parricidis, ut eccleſiaſticæ manſuetudinis memor mitius agat: „ Non (inquit) „ quo ſceleſtis hominibus licentiam facino- „ rum prohibeamus auferri; ſed hoc ſuffice- „ re volumus, ut vivi & nulla corporis parte „ trun-

Ep. 153.

Ep. 134. vid. proxim. antecedens ad Marcellinum epiſtola, &

sequens 139. ad eundem &c.

„ truncati, vel ab inquietudine insana ad sa-„ nitatis otium legum coercitione dirigantur, „ vel a malignis operibus alieni utili operi de-„ putentur. Vocatur quidem & ista damna-„ tio. Sed quis non intelligat magis benefi-„ cium quam supplicium nuncupandum, ubi „ nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœ-„ nitendi medicina subtrahitur? Imple chri-„ stiane judex pii patris officium, sic succen-„ se iniquitati, ut consulere humanitati me-„ mineris. „

Epist. 58.

Hoc ergo spectabant pii ecclesiæ præsules, ut pro supplicio vindice medicinale esset ad correctionem, ac tempus pœnitentiæ. *Potest fieri*, inquit S. AMBROSIUS, *ut ille criminosus possit habere spem correctionis; si sine baptismo est, ut possit accipere remissionem; si baptizatus, ut pœnitentiam gerat, & corpus suum pro CHRISTO offerat. Quantæ sunt ad salutem viæ!* Ad hoc erat accommodatissima vetus pœnitentiæ publicæ disciplina, qua olim criminosi addicebantur erepti a carnificis manu. *Prorsus*, scribit S. BASILIUS ad CALISTHENEM tali in causa, *licet juratum sit tibi, eos ad supplicium tradere secundum leges, nostra correptio non minorem vindictam allatura est, nec lex divina futura est cum dignitate, quam sint aliæ in communi vita positæ leges.* Et S. CHRYSOSTOMUS hoc insigni similitudine illustrat: „ Sacerdos hoc agit, non „ ut de nocente supplicium sumat, sed ut vi-„ tium evellat. Nam tu quidem perinde fa-„ cis, ac si morbo aliquo in capite enato non „ morbum ipsum comprimas, sed caput am-„ putes; ego vero non ita, sed morbum trun-„ co. Tu quidem sive impunitum dimiseris,

Ep. 388. vet. ord.

Hom. 15. in epist. 1. ad Cor.

„ pejo-

pejorem reddis; sive supplicio affeceris, „ incurabilem reliquisti: ego autem nec im- „ punitum abire sino, nec tuo more plecti; „ verum simul & pœnam, quam debeo, ab „ eo expeto, & quod commissum est, corri- „ go. „ A CAROLO M. est hoc saluberrime constituum in capitularibus: *Melius videtur, ut si aliquid inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonice impositum sit.* S. BERNARDUS hujus rei dedit exemplum THEOBALDO comiti Campaniæ in latrone: *Tu illum*, ajebat, *decreveras brevi supplicio, & interitu momentaneo consummari, sed ego eum faciam diuturno cruciatu & morte longissima mori. Tu furem appensum per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo remanere permitteres, ego cruci affixum faciam per annos complurimos in pœna jugiter vivere & permanere.* Vid. Bibl. Cisterc. T. I. pag. 52. T. II. p. 17.

Lib. I. c. 79.

§. LXXXVII.

Sunt, quorum cura singulariter ecclesiæ incumbit, ac tuitio, judiciumque circa causas personasque miserabiles & oppressas, viduas, orphanos & calamitosos quoscunque.

Et miserabiles.

Haud abs re S. CHRYSOSTOMUS ecclesiasticorum judiciorum officium longe molestius difficiliusque, quam forense judicat: *Judiciorum*, inquit, *officium innumeras parit molestias, multum negotii, tot difficultates,*

Lib. III. de sacerdot. circa fin.

tates, quot ne forenſes quidem judices ſubeunt. Siquidem jus ipſum reperire labor eſt, repertum non violare difficile. Non modo autem negotium & difficultas adeſt, ſed etiam periculum non parvum. Jam enim quidam ex infirmioribus in negotia delapſi, quia patrocinium non invenere, circa fidem naufragati ſunt. Multi enim ex læſorum numero non minus, quam ipſos lædentes; eos qui ſibi non ferunt opem, odio habent: ac neque negotiorum diſtractionis, neque temporum iniquitatis, neque ſacerdotalis potentiæ mediocritatis, neque alius cujuspiam rationem habere volunt: ſed ſunt inexorabiles judices hanc unam ſcientes apologiam, malorum ſeprementium exitum. Qui hunc præbere nequit, quamvis innumeras cauſas proferat, nunquam eorum condemnationem effugiet. Egerat ante de virginum & viduarum cura, ſed earum, quæ eccleſiæ albo adſcriptæ ſunt; quo neutiquam ſe continet eccleſiaſticum munus & ſollicitudo paſtoralis circa perſonas quaſcunque ſibi ſatis conſulere non valentes, & oppreſſas plerumque potentiorum violentia, cui opponi neceſſe eſt religionis auctoritatem ac vigorem eccleſiaſtici judicii.

Lib. II. de offic. c. 29.

Egregie, inquit S. AMBROSIUS, *hinc veſtrum eniteſcit miniſterium, ſi ſuſcepta impreſſio potentis, quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, eccleſiæ ſubſidio cohibeatur; ſi oſtendatis plus apud vos mandatum Domini, quam divitiis valere gratiam; meminiſtis ipſi quoties adverſus regales impetus pro viduarum, imo omnium depoſitis, certamen ſubierimus commune hoc vobiſcum mihi.* Mirifice a S. GREGORIO NAZ. invictum hac in re S. BASILII robur & zelus

zelus deprædicatur, *libertas*, inquit, *ad præsides, tum alios tum potentissimos civitatis: egentium patrocinia plura quidem spiritualia, sed tamen corporea non pauca; nam id quoque sæpenumero ad animam tendit, per benevolentiam subigens, ac in servitutem trahens.* In concilio Matisconensi II. gravissimus est canon ad id statuendum, quod divina lege officium incumbit ecclesiæ præsulibus, ne quid in forensi judicio inconsulto ac injuste circa ejusmodi miserabilium personarum caussas agatur: „ Quid autem scriptura divina „ de viduis & pupillis præcipiat nobis clam „ non est. Ideoque quoniam provisioni no- „ stræ, DEO auctore, causæ principaliter vi- „ duarum & pupillorum sunt commissæ, per- „ venit ad nos, quod a judicibus crudelius „ pro levissimis causis veluti defensore ca- „ rentes irremedicabiliter affligantur. Ob quam „ causam decernimus, ut judices non prius „ viduas & pupillos conveniant, quam episco- „ po nuntiarint, cujus sub velamine degunt. „ Quodsi episcopus præsens non fuerit, archi- „ diacono vel presbytero cuidam ejus, ut pa- „ riter sedentes communi deliberatione cau- „ sis eorum terminos figant, ita juste ac re- „ cte, ut deinceps de talibus antedictæ per- „ sonæ non conquassentur. Quodsi is qui ju- „ dex est, aut impetitor eis autem injuriam „ aliquam ingesserit; aut definitionem tanti „ concilii transgressus fuerit, a communione „ suspendatur. Quibus igitur magnarum re- „ rum causæ commissæ sunt, nec minimarum „ dignum est causas parvipendere personarum. „ Solent enim & minima paulatim despecta in „ magnum malum trahere. „

Orat. 20.

Can. 12.

Sed non raro tutela hæc eo momentosior

graviorque

graviorque erat, quod etiam maximis sæculi principibus ab ecclesiæ præsulibus impenderetur. Id sibi gloriæ duxit S. AMBROSIUS impendisse VALENTINIANO impuberi apud MAXIMUM: „ Gloriosum (inquit) mihi „ est hoc pro salute pupilli imperatoris. Quos „ enim episcopi magis quam pupillos tueri debemus? scriptum est enim, *judicate pupillo, & justificate viduam, & eruite injuriam accipientem.* „ Plures eam in rem extant conciliorum canones, & vigilantiæ pastoralis, ut debita regibus & principibus jura regni & obedientiæ præstarentur. Imprimis concilia Toletana id constanter tenuerunt, postquam in concilio quarto canon eam in rem est editus, postea in quinto non solum repetitus est, sed & constitutum, ut in omnibus posthac conciliis legeretur & confirmaretur, tum quoad subjectionem regibus impendendam, ac contra rebelles quoscunque & conjurantes in capita principum gravissimo vibrato anathemate, cum etiam *contra reges ipsos si superba dominatione crudelissimam potestatem in populis exercuerint.*.

Epist. 27.

Maxime id egerunt summi pontifices, seque præcipua regna successu temporis in ejus tutelam commiserunt, & protectioni subjecerunt. *Licet omnibus de nobis sperantibus,* inquit GELASIUS, referturque cum aliis a GRATIANO dist. 87. *non debeamus, in quantum possumus, nos negare; plus tamen viduarum & orphanorum causas, & impensius ducimus exequendas, quas tueri a nobis, vel ab omnibus divina manifestat assertio.* S. GREGORIUS M. probe agnovit, pastoralis regiminis necessitate se compelli, *ut,* ait, *orphanorum viduarumque causis solertius,*

Lib. I. ep. 62.

tius, quam curis cæteris insistamus. Hinc nuntiis, quos per varias provincias misit, id singulariter commisit, & identidem inculcavit, ac reliquos etiam pastores hujus sui muneris commonefecit: *Officii quidem sacerdotalis est*, scribit ad episcopum Centumcellensem, *ut viduis ac maritali regimine desolatis impertiri solatia debeatis; ut unde in hoc mundo humana conditione privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire.* Ita comiti Tolosano respondit INNOCENTIUS III. referturque in decretalibus GREGORII IX. „ ut in omni causa, quæ ratione perso-„ narum, vel rerum ad ecclesiasticum forum „ pertinet, ac super universis capitulis, quæ „ pro pace servanda sunt per dictum lega-„ tum statuta vel auctoritate apostolica sta-„ tuenda, item viduis, pupillis, orphanis, „ & personis miserabilibus tenearis in judicio „ ecclesiastico respondere. „ In simili casu a regia etiam persona ad jus hoc ac forum fuit provocatum, & causa reducta, ut ex decretali HONORII III. constat: *Quod vidua spoliata irrequisito feudi domino, spoliatorem seu detentorem rei coram ecclesiastico judice poterat convenire, cujus interest viduas defendere.* Eodem autem titulo de foro competenti ex decretali III. eo res reducitur, ut in defectum judicis sæcularis in negotio sæculari ecclesiæ judicium intercedat: „ Nos „ igitur attendentes, quod sic sumus viduis „ in justitia debitores, quod aliis in ju-„ stitiam facere non debemus: mandamus „ quatenus, nisi sit talis causa, quæ ad „ ecclesiasticum judicem pertinere noscatur, „ ei supersedere curetis: dummodo „ per judicem sæcularem suam possit justi-„ tiam

Lib. I. ep. 13.

Lib. V. tit. 40. c. 26.

Lib. II. tit. 2. c. 15.

C. 11.

„ tiam obtinere, alioquin non obstante ipsius „ contradictione causam ipsam ratione præ- „ via terminatis. „ Cautum etiam est, ne fraus intercederet circa viduas & orphanos, an vere tales sint ac indigentes, an vero nobiles ac divites, juxta decretalem GREGORII IX. *Significantibus: Quod cum nobilis mulier JULIANA vidua, mentiens se pauperem contra eos super terris & rebus aliis ad judices nostras litteras impetrasset, iidem coram eis excipiendo proponere curaverunt, quod, cum dictæ litteræ suggesto mendacio impetratæ fuissent, cum prædicta JULIANA, quæ nobilis est & dives, pauperem se dixisset in eis, coram eis (nisi requisito prius domino, sub cujus jurisdictione ipsi consistunt, & coram quo parati erant eidem exhibere justitiæ complementum) non debebant de jure per tales litteras conveniri.*

Lib. I. tit. 29. c. 38.

§. LXXXVIII.

Causasque publicas.

Hæ & aliæ graves necessitates non ecclesiæ solum, sed etiam reipublicæ haud raro sacros præsules etiam ad comitatum ac aulas principum ire, ac legationibus negotiisque publicis defungi compellebant, compelluntque.

Quam ægre semper tulerit ecclesia sacrorum antistites a suis sedibus divelli, quamque hoc sacro muneri suo sit adversum, ex supradictis *de residentia* jure divino præceptis, dignoscere licet. Imprimis autem negotiis publicis reipublicæ distendi, & in aulis principum demorari,

morari, visum semper fuit, sacrum dedecere ministerium. Gravis eam in rem est epistola S. GREGORII NAZIANZ. ad fratrem CÆSARIUM, quem in aula principis & quidem JULIANI APOSTATÆ esse multorum offensionem & murmur excitabat, tantum quod filius esset episcopi, licet sacris non addictus. Amabat JULIANUS penes se habere viros habiles & peritos, etiam ecclesiarum præsules, & ad suum advocabat comitatum, uti de se ipse S. BASILIUS testatur; sed refugiebant illi, qui satis noverant, nec christianas aulas & principes frequentare esse conforme regulis ecclesiasticis, nec quando id necessitas flagitaret, id sine singulari licentia licere: *Si quis*, statuit concilium Antiochenum, *episcopus, aut presbyter subjectus ecclesiæ regulæ, præter consilium & litteras episcoporum provinciæ, & præcipue metropolitani adierit imperatorem, hunc reprobari & abjici oportere, non solum a communione, verum etiam ab honore, cujus particeps videtur existere, quia venerandi principis auribus molestiam tentato more deproperet super aliquibus ordinationibus & ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus, componendis irrita quidem, quæ ab eo geruntur existant, ipse vero incompositi motus sui & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus a sancto concilio.* Erant tunc ea tempora, ut haud tutum, & periculosum esset quam maxime in rebus etiam ecclesiasticis apud principes agere, idcirco prohibendum fuerat, pariter ac si ambitus alicujus causa idem fieret, quod in concilio Sardicensi est interdictum, & ob transgressores ecclesia in reprehensionem incidit; „ Scimus enim „

Epist. 17.

Can. 12.

Conc. Sardic. can. 11. „ (sunt GAUDENTII episcopi verba) & „ ipsi sæpissime propter paucorum impudentiam religiosum sacerdotale nomen fuisse „ reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus, voluerit ambitioni „ magis servire quam DEO, is debet scire, „ causis redditis, honorem dignitatemque se „ amissurum. Quod ita demum compleri poterit, si unusquisque nostrum, qui in canali „ constitutus est, cum progredientem episcopum viderit, inquirat transitum ejus, „ causas videat, quo tendat, agnoscat; & siquidem eum invenerit ire ad comitatum, „ requirat & illud quod superius comprehensum est, ne forte invitatus sit, ut ei facultas eundi permittatur. Si vero ut superius „ memoravit sanctitas vestra, propter desideria & ambitiones ad comitatum pergat, „ neque in litteris ejus subscribatur, neque „ in communionem recipiatur. Si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. „ Universi dixerunt, honestum esse & placere „ sibi hanc constitutionem. „ Sequenti canone OSIUS eam moderationem attulit, ut episcopus diaconum suum mittere possit. Et idem etiam concilium indulget, ut jam retulimus, in necessitatibus ecclesiæ, pauperum, viduarum & orphanorum ne videatur janua claudi charitati, fas esse ad aulas principum accedere.

Quomodo S. MARTINI, & aliorum paulo ante exemplum laudavimus: de quo SULPITIUS refert, quod multis gravibusque *Dial.* 3. laborantium causis ad comitatum ire, sit compulsus; idque non semel tantum factum esse compertum est, & sanctissimi quique præsules, cum auctoritate valerent, idem haud

raro

raro muneris obierunt, imprimis S. EPIPHANIUS Ticinensis in aliis etiam quam ecclesiasticis negotiis. Uti imperatoris ANTHEMII cum genero RICIMERE reconciliandi p. 373. causa (quemadmodum in vita ejus refertur ab ENNODIO) & ob GLYCERIUM imperio pulsum a NEPOTE, felici semper p. 381. successu, quem alii legati obtinere haud poterant. Dum etiam THEODORICUS lege prohibuisset in Italia testamenta condere; unus S. EPIPHANIUS tantum auctoritate valuit, ut ad revocandam legem induceret THEODORICUM. Qui ipse 394. maxime idoneum habuit sanctum præsulem, quem ad GONDEBALDUM Burgundionum regem delegaret ad redimendos captivos ex Liguria abductos. Nec recusavit S. EPIPHANIUS legationem, & feliciter confecit cum VICTORE Mediolanensium antistite. Eadem liguria tributis & exactionibus gravata levamen accepit per sanctum virum ad THEODORICUM missum, atque cursum vitæ suæ ita conficientem, utilitates quaslibet curantem, præter sacrum ecclesiæ ministerium etiam in reipublicæ & principum causis.

Sub regno deinceps Francorum multo amplior semper evasit hæc præsulum ecclesiasticorum cura & labor. S. REMIGIUS id consilii dedit CLODOVEO recens ad fidem converso, *ut sacerdotibus honorem deferret, & ad eorum consilia semper recurreret. Quodsi tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare.* Consilium hoc secutus est CLODOVEUS & ejus deinceps successores non suæ solum, sed subsequentium etiam stirpium, ac aliarum regionum Conc. Gall. T. I. p. 175.

 reges

reges & principes: eoque magis implicati sunt præsules ecclesiæ & abbates etiam, quo erectis beneficiis, acceptisque regalibus obstricti magis fuerunt principibus & reipublicæ. Ut tamen concilia, & pii præsules quantum potuerint id egerint, ut ab aula & negotiis publicis removerentur, tantum saltem, ne ministerium ecclesiasticum & res ecclesiæ detrimentum paterentur negligerenturque. At urgentibus necessitatibus & causis publicis frequenter legationes obire, conciliis & consultationibus interesse, reipublicæ apud principes gubernacula regni moderari usque ad hodiernum diem contigit præsules, ad reipublicæ emolumentum non spernendum; si salva præstetur ecclesiæ salus, & principale munus sacrum non negligatur.

§. LXXXIX.

Alias interdictis negotiationibus sæcularibus.

Alias vero curæ & negotiationes sæculares, quibus ab officio & ministerio sacro avocantur, interdictæ semper fuerunt personis ecclesiasticis & servitio divino peculiariter consecratis.

2. Tim. II. 4.

Ep. 17. c. 2.

Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus. Quem locum GELASIUS P. huc interpretatur in celebri ad Lucaniæ episcopos epistola, refertur que a GRATIANO *dist* 88. quæ tota est in hoc argumento: „Plurimos clericorum negotiationibus inhonestis & lucris turpibus imminere nullo „pudore cernentes evangelicam lectionem, „qua ipse Dominus negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec a-

„posto-

postoli verba recolentes, quibus ait: *Ne-* »
mo militans DEO implicat se negotiis sæ- »
cularibus. Psalmistam quoque DAVID sur- »
da dissimulantes aure, cantantem: *Quo-* »
niam non cognovi negotiationes, introibo »
in potentias Domini. Proinde hujusmodi »
aut ab indignis posthac quæstibus noverint »
abstinendum, & ab omni cujuslibet nego- »
tiationis ingenio vel cupiditate cessandum: »
aut in quocunque gradu sint positi, mox a »
clericalibus officiis abstinere cogantur: »
quoniam domus DEI domus orationis & »
esse debet & dici, ne per officia negotia- »
tionis potius sit latronum spelunca. » Iis- » *Hom.* 38.
dem ac aliis scripturæ locis utitur auctor o- *c.* 21.
peris imperfecti super MATTHÆUM ab *C.* 11.
eodem GRATIANO eadem distinctione
88. relatus: » Ejiciens Dominus vendentes »
& ementes de templo significavit, quia homo »
mercator vix aut nunquam potest DEO »
placere. Et ideo nullus christianus debet »
esse mercator, aut si voluerit esse, projicia- »
tur de ecclesia DEI, dicente propheta, »
quia non cognovi negotiationes, introibo in » *C.* 12.
potentias Domini. Quemadmodum enim »
qui ambulat inter duos inimicos, ambobus »
placere volens & se commendare, sine »
maleloquio esse non potest (neque est enim, »
ut isti male loquatur de illo, & illi male »
de isto) sic qui emit & vendit, sine menda- »
cio & perjurio esse non potest &c. » Et post- »
ea ex S. AUGUSTINO: » *Quoniam* »
non cognovi litteraturam. Aliqui codices »
habent negotiationes: in quo diversitas in- »
terpretum sensum ostendit, non errorem »
inducit. Ergo si propterea iste tota die »
laudem DEI dicit, quia non cognoscit ne- »

 » gotia-

„ gotiationes, corrigant ſe chriſtiani, non „ negotientur. Sed ait mihi negotiator: Aſ„ fero ex longinquo merces, mercedem la„ boris mei, unde vivam, peto: *dignus* „ *eſt enim operarius mercede ſua.* De men„ dacio, de perjurio agitur, non de nego„ tio &c. „ Et ex CASSIODORO in eundem pſalmi locum: „ Negotiatores ergo „ illi abominabiles exiſtimantur, qui juſti„ tiam DEI minime conſiderantes, per im„ moderatum pecuniæ ambitum polluuntur, „ merces ſuas plus perjuriis onerando, quam „ pretiis. Tales ejecit Dominus de templo, „ dicens: *Nolite facere domum Patris mei* „ *domum negotiationis.* „ Hæc de abuſu promiſcuo in negotiationibus dicuntur, & argumento veluti a minori ad majus afferuntur a GRATIANO, dum id agit, ut epiſcopi, & eccleſiaſtici ſæcularia non curent. Proprie huc ſpectat, quem idem adducit, apoſtolicus canon: *Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus nequaquam ſæculares curas aſſumat: ſin aliter dejiciatur.* Quo pertinent alii ex iisdem canonibus, *Clericus fidejuſſionibus inſerviens abjiciatur. Diximus non oportere epiſcopum vel presbyterum, ſeipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in eccleſiaſticis negotiis verſari. Vel ergo ita non facere perſuadeatur, vel deponatur.* Et ultimus canon: *Epiſcopus vel presbyter exercitui vacans* (*ϛρατείᾳ σχολάζων*) *& utraque obtinere volens Romanum ſcilicet magiſtratum* (*Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν*) *& ſacerdotalem adminiſtrationem, deponatur. Quæ ſunt enim cæſaris cæſari: & quæ ſunt DEI DEO.* Ubi verba invicem conſequentia ſe explicant, ne militia tantum ſacerdotali adminiſtrationi adverſa eſſe videatur.

Can. 7. ed. Labb. 6. Can. 20. ſeu 19. C. 81. ſeu 80.

deatur. Et ex S. CYPRIANO illuſtrantur hi canones, qui ut jam ſuperius retuli, epiſcopos plurimos divina procuratione contemta, procuratores rerum ſæcularium nundinationisque quæſtuoſæ per provincias oberrantes fieri doluit. Atque idem in concilio quodam Africano ſtatutum eſſe dicit: *Ne quis de clericis & DEI miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli divino ſacerdotio bonorati & in clerico miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificiis deſervire & precibus atque orationibus vacare debeant.* Contra hunc canonem cum VICTOR moriens FAUSTINUN presbyterum eccleſiæ Furnitanorum, tutorem teſtamento conſtituiſſet, S. CYPRIANUS ſententiam concilii proſecutus prohibuit, ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in eccleſia frequentaretur. *Neque*, inquit, referturque a GRATIANO, *apud altare DEI meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros voluit avocare. Et ideo VICTOR, cum contra formam nuper in concilio a ſacerdotibus datam, Geminium FAUSTINUM presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in eccleſia frequentetur: ut ſacerdotum decretum religioſe & neceſſarie factum ſervetur a nobis.* Concilium Carthaginenſe I. interdicit procuratores, tutores, negotiorum geſtores in clerum ordinari, niſi poſtquam redditis ratiociniis liberati fuerint: habeturque in decreto GRATIANI *diſt.* 54. & in eodem *diſt.* 88. laudata, tres conſequenter ex concilio Carthag. IV. ponuntur canones: *Epiſcopus*

Epiſt. 66. *ad cler. Furnit.*

Diſt. 88. c. 14.

An. 348. *C.* 8.

Cap. Magnus epiſcopus.

C. 18. *pus tuitionem testamentorum non suscipiat: C. 20. Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, & orationi, & verbi C. 17. DEI prædicationi tantummodo vacet: Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum, ac peregrinorum non per seipsum, sed per archipresbyterum aut per archidiaconum agat.*

De hoc jam vidimus, habetque GRATIANUS singularem distinctionem 87. mox præcedentem, ut episcopi sint viduarum, orphanorum, pauperum protectores; nihilominus patres concilii Carthaginensis præcipuum episcopale munus non voluerunt piis licet istis impediri causis, sed aliis suo nomine committi. Cui congruenter JUSTINIANUS sancit, & exceptionem firmat quoad cognatos presbyterorum: Nov. 123. c. 5. *DEO amabiles episcopos & monachos, ex nulla lege tutores, aut curatores cujuscumque personæ fieri permittimus; presbyteros autem, & diaconos, & subdiaconos jure & lege cognationis tutelam aut curam* Ib. c. 6. *suscipere hæreditatis permittimus.* Alias autem, ut procuratores aut sponsores coram tribunali in ulla causa vel suo vel ecclesiæ nomine sint, universim mox interdicitur: *Sed neque procuratorem litis aut fidejussorem pro talibus causis episcopum aut œconomum, aut alium clericum cujuslibet gradus, aut monachum proprio nomine, aut ecclesiæ aut monasterii sinimus, ut ne per hanc occasionem & sanctis domibus damnum fiat, & sacra* Can. 20. *ministeria impediantur.* Huc referri potest mox laudatus canon apostolicus: *Clericus* ἐγγύας διδοὺς καταιρείσθω *fidejubens deponatur.* Et quod ex aliis canonibus apostolicis retulimus, explicatur, confirmaturque

cano-

canone concilii Carthaginensis III. *Ut episcopi & presbyteri & diaconi non sint conductores neque procuratores, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant.* Et in concilio Arelatensi: *Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus a communione alienus fiat.* Omnia complectitur synodus Chalcedonensis contra irrepentes abusus & transgressiones priorum horumce canonum: *Pervenit ad sanctam synodum, quod eorum, qui in clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducunt, & sæcularia negotia exercent divinum ministerium negligentes, sæcularium vero domos subeuntes, & eorum facultatum tractationem ac curationem propter avaritiam suscipientes: definit ergo sancta synodus, neminem deinceps neque episcopum, neque clericum, neque monachum, vel possessiones conducere vel sæcularibus possessionum administrationibus seipsum ingerere, nisi utique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel civitatis episcopus eum rerum ecclesiasticarum curam gerere permittat, vel orphanorum vel viduarum, quibus provideri non potest, vel personarum, quæ ecclesiastico auxilio maxime indigent propter timorem Domini. Si quis autem, quæ statuta sunt, deinceps transgredi aggressus fuerit, is pœnis ecclesiasticis subjiciatur.* Addunt deinceps singularem iterum circa monachos canonem, & postea de utroque statu: *Eos qui in clero semel ordinati sunt, & itidem monachos statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire. Qui*

Can. 15.

T. IV. conc. p. 1013. c. 15.

Can. 3.

Can. 4.

Can. 7.

autem hoc audent & non pœnitentia ducti ad id revertuntur, quod propter DEUM prius elegerant anathematizari. Etſi canon iſte de deſertione præpoſiti intelligendus eſſe videatur, de illis tamen etiam recte ſumitur, qui in eccleſia & religione ſæcularem vitam & negotia agunt. Quemadmodum S. GREGORIUS BASILIUM epiſcopum notat, velut unum de laicis in cauſis ſæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter deſervire, defenſorique ſuo in Sicilia in ordinem redigendum committit: „ Quæ res, quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem annihilat, ſtatim ut experientia tua hoc præceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta executione compellat, quatenus ei illic te inſiſtente quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat: ne ſi quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos graviter incipias eſſe culpabilis. „ Eundem in modum HONORIUS III. contra clericos ſuos Ambianenſem epiſcopum armat: „ Ex litteris „ PONTINI comitis intelleximus, quod „ quidam clerici ſuæ terræ potius ſæcularibus „ negotiationibus quam officiis divinis intendunt: & gaudere volentes privilegio clericali, nolunt ſtatutis patriæ (quibus quoties „ expedit, ſicut laici ſe tuentur) in negotiationum ſuarum quæſtibus ſubjacere: mandamus, quatenus ſi tales tertio a te commoniti ab hujusmodi non reſipuerint, ſed prætermiſſis divinis officiis negotiationibus inſtiterint ſupradictis, cum facto privilegium abjiciant ſæculare, tu quo minus, dum his ſe implicant, de ſuis facultatibus, ſtatutis „ &


L. VIII. epiſt. 11.

De vita & honeſt. cleric. cap. ult.

& consuetudinibus patriæ subjaceant, non „ defendas eosdem. „ Pertinet huc titulus eorundem decretalium: *Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant*; ac initio statim ex concilio Moguntino recensetur, quam multis modis hic delinqui possit: „ Multa sunt negotia sæcularia, de quibus „ pauca perstringamus, ad quæ pertinet om- „ nis carnalis concupiscentia. Quidquid plus „ justo appetit homo turpe lucrum est. Mu- „ nera injusta accipere vel etiam dare. Pro „ aliquo sæculari quæstu pretio aliquem con- „ ducere. Contentiones, vel lites, vel rixas „ amare. In palatiis sæcularibus disputare, „ excepta defensione orphanorum aut vidua- „ rum. Conductores sæcularium rerum aut „ procuratores esse. Turpis verbi vel facti „ esse joculatorem, vel jocum sæcularem di- „ ligere. Aleas amare. Ornamentum inconve- „ niens proposito suo quærere. In delictis vi- „ vere velle. Gulam & ebrietatem sequi. Pon- „ dera injusta vel mensuras habere. Nego- „ tium injustum exercere. Nec tamen justum „ negotium est contradicendum propter ne- „ cessitates diversas, quia legimus, sanctos a- „ postolos negotiatos fuisse: & in regula B. „ BENEDICTI præcipitur provideri, per „ quorum manus negotia monasterii procu- „ rentur. Canes & aves sequi ad venandum, „ & omnibus quibuslibet causis superfluis in- „ teresse. Ecce talia & his similia ministris „ altaris Domini, nec non monachis omnino „ interdicimus, de quibus ait apostolus: *Ne-* „ *mo militans* ***DEO*** *implicat se negotiis sæ-* „ *cularibus.* „

L. III. tit. 50. c. 1.

SECT. III.



SECTIO III.

DE JUDICIIS, CRIMINIBUS, ET POENIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De judiciis ecclesiasticis.

§. XC.

De judice competente:

Causæ ecclesiasticæ legitime coram eccclesiastico judicio ac judice competente transigendæ sunt, nisi mutuis pactis & transactionibus, vel coram arbitris finiantur.

Institut. jur. can. L. I. tit. 1.

Judicium, inquit LANCELLOTUS, *est discussio causæ, quæ rite fit in foro coram judice: causa vero est origo negotii & materia judicii.* In præcedentibus tam quoad personas, quam res sacras seu ecclesiasticas jam egimus, quæ ad forum seu judicium ecclesiasticum pertinent, quatenus a sæculari distinguitur; ut sicut personæ & res sæculares ad judicium sæculare, sic personæ & res sacræ ad ecclesiasticum pertineant, ceu forum competens: ita, ut ratione causarum ratio non habeatur personarum sive laicæ sint, sive ecclesiasticæ, modo causæ tales sint, ut judicio ecclesiastico sint reservatæ & ab eo decidi debeant.

Quodsi

Quodsi veterem disciplinam ecclesiæ spectemus, ubi internum cum externo fuit conjunctum forum ecclesiasticum, amplissima sese exeruit ecclesiastica potestas ratione peccati, sed sine strepitu judiciali, formulis juris, aut formali *processu*, qualis etiam in foro ecclesiastico obtinet *ordinarius* vel *summarius*. Ille est, in quo præscriptus solemnis ordo judiciarius observandus est, ut sine nullitate omitti nequeat, qui in Clement. *Sæpe* de V. S. solemnis ordo judiciarius vocatur; *Summarius* vero, in quo de simplici & plano sine strepitu & figura judicii proceditur, observatis tantum substantialibus processus, solemnibus vero omissis juxta citatam Clementinam: e. g. solemni libelli in scriptis oblatione, litis contestatione, dilationum, exceptionum, testium ambagibus, litis item & sententiæ publicandæ. Adhuc brevior est processus sine ullo juris ordine in rebus notoriis ac omnino manifestis, ubi nec substantialibus opus est, dum juxta decretalem, *secundum traditiones canonicas manifesta accusatione non indigent, nec in eis est ordo judiciarius observandus, qui debet in aliis observari.* Vocant hunc *processum tumultuarium* inepto certe nomine. *De jure j. c. 21.*

Res autem pro notoriis circumstantiis non plus flagitat, estque e re omnino, ut litium ambages, quantum secundum justitiæ leges licet, præscindantur, & quam paucis fieri potest expediantur. Quare ecclesia, ubi in re manifesta judicii forma opus haud est, esse missam eam vult, & ubi paucis expediri potest sine forensi strepitu aut solemnitatibus processum summarium solum amplectitur juxta Clementinam 2. *de judiciis*: de electionibus, postu-

postulationibus vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis aut super decimis, nec non super matrimoniis vel usuris, & eas quoquomodo tangentibus. Universimque concilium Trident. voluit, ut causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram ordinariis locorum saltem intra biennium a die motæ litis terminentur.

Sess. XXIV. de reform. c. 20.

Accidit non raro, ut metu judiciorum deveniatur ad pacta & translationes & ad compromissa. *Et quidem*, inquit LANCELLOTUS, *pacta inter quoscunque, quacunque de re inita, regulariter suam habere debent firmitatem: neque enim quisquam ut divinum monet oraculum, ea quæ de labiis suis procedunt irrita facere debet.* Quod quidem usque adeo obtinet, ut apostolicis etiam indultis pactum deroget. Inde cum monasterio ab apostolica sede libera sepultura concessa esset, pactumque esset cum rectore parochialis ecclesiæ, ne parochiani ipsius ad sepulturam reciperentur, responsum est, in dicto monasterio sepeliri eligentes, obstante conventione, voti sui fieri non posse compotes. Et paulo post de transactionibus juri haud contrariis, servandis, & partium juribus derogantibus decernitur, *Transactiones quoque similem juris firmitatem obtinent usque adeo, ut juribus omnibus, quæ partibus omnibus, aut obtentu præscriptionis, aut privilegii, seu quocunque modo suffragari poterant, vires adimant.* Sed & hoc de illis transactionibus intelligere nos oportet, quæ non sunt juri contrariæ. Alioqui si aut super re sacra & litigiosa, aut in causa matrimonii interpositæ sint, nullum robur habent.

Instit. jur. can. Lib. III. tit. 3.

C. 1. de pact. in 6.

Agit

Agit consequenter LANCELLOTUS de arbitris, qui nullam potestatem habentes, consensu litigantium in judices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententia stetur. Excluduntur autem laici in re spirituali, nisi clericis adjuncti, aut apostolica auctoritate compromissum nacti, monachi & regulares, servi, fœminæ, hæretici quoque, apostatæ, schismatici, infideles & excommunicationis vinculo ob delictum proprium innodati. Qui legitimam in partes potestatem habent, ab eisdem tamen in arbitros eligi potuerunt. Quod non solum de eis intelligendum est, qui ordinariam exercent jurisdictionem, verum etiam de his, qui delegatam tantum obtinent. C. penult. extr. de restit. in integ. causæ recensentur, quæ arbitrorum cognitionem & judicium effugiunt.

§. XCI.

Judicium informatur libelli accusatorii, seu conventionalis oblatione ab actore, quo reus in jus vocatur, & legitime citatus comparere debet, exceptiones suas aut mutuas allaturus petitiones, si quas habet, ante litis contestationem. Ac judicio.

Quomodocunque res coram judice agatur, causa ei rite proponi debet, quod in causis ordinariis fit solemni libelli oblatione, ut ex ejus inspectione deliberare reus valeat, utrum cedere velit, an contendere, utque si contendendum est, dispi-

cere

cere valeat judex, quemadmodum a se concipienda sit sententia. *Nihil enim aliud est libellus, quam brevis scriptura, claram actoris intentionem continens, & contra adversarium necessario concludens*, ut definit LANCELLOTUS, & distinguit duas libellorum species, accusatorii, quo quis aliquem apud judicem alicujus criminis reum defert; conventionalis, quo in civilibus disceptationibus utimur, dum rem nostram, aut quam nobis deberi putamus, in judicio petimus.

Instit. jur. can. L. III. tit. 7.

Hoc proprie hujus est loci, ubi de hujusmodi causis agitur coram legitimo judice repetendis quod actoris est; rei autem nomen is habet, qui in jus vocatur, & citandus ad judicium est juridice tribus edictis, vel uno pro tribus, quod peremtorium dicitur. Quodsi de legitima citationis insinuatione constet, nec compareat præstituto termino citatus, si citatio fuerit arctatoria, non monitoria tantum, contumaciæ crimen incurrit, de quo singulari titulo *de dolo & contumacia*, & mox alius subsequitur, *de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ*, quæ singularis contumaciæ est pœna, ut actor in possessionem mittatur earum rerum, de quibus quæstio vertitur, vel quæ alias sunt in patrimonio rei, pro modo debiti, sive mobilia sint, sive immobilia: ut si per annum in sua contumacia perseveraverit, judice decernente, actor verus efficiatur possessor, super proprietate duntaxat adversæ parti defensione reservata. Sed solet, idque communius, aliis modis contumacia coerceri: litis & expensarum damno, mulcta, vel excommunicationis censura.

Decretal. Greg. IX. L. II. l. 14.

C. fin. §. in alio is, extr. ut lite non contesta-ta.

Indul-

Indulgentur tamen dilationes citato, nisi libellus statim citationi adjectus sit, ut de causæ statu inde plene instrui possit, neque opus sit induciis deliberatoriis, utrum cedere velit vel contendere, acceptare vel recusare judicem, ac proponere quas habet exceptiones. *Cap. 2. de dilationibus.*

Exceptio, juxta LANCELLOTUM, *est actionis vel intentionis exclusio.* Exceptionum autem duo summa genera constituit dilatoriarum, ac peremtoriarum. Illæ rem & judicium differunt, hæc jus actoris perimunt, & semper agentibus obstant. Variis autem ex circumstantiis personarum, judicis, actoris, ac rerum, repetuntur ad præjudicium causæ inferendum. *Instit. Jur. can. L. III. t. 8.*

Quodsi exceptio ejusmodi nulla suppetat, quæ vel judicium differat, vel litis ingressum impediat, mutuis petitionibus adversarium suum fatigare poterit, & agentem coram eodem judice, antequam litem contestetur, reum constituere per modum *reconventionis* simultaneo processu actorem in eodem foro super alia causa conveniendo, eo effectu, ut ordine successivo utraque causa simul agatur. Siquidem in ipso litis exordio, seu ante litem contestatam proponatur. Quæ omnia vides, necdum ad actionem ipsam ac causam pertinere, de qua principaliter lis intenditur. *Cap. I. de mutuis petit.*

§. XCII.

Litis contestatione causa ipsa informatur, & processus coram legitimo judice, actore & reo momenta rerum secundum ordinem juris pro- De litis contestatione.

proferentibus, ſingula diſcutiente judice quoad probationes, teſtes, inſtrumenta &c.

Quando remotis omnibus obſtaculis, quæ futuræ liti obicem ponere poterant, judicium ipſum inſtauratur, & de ipſa cauſa principali coram judice diſceptandum eſt, litis conteſtatio fit per petitionem in jure propoſitam, & congruam reſponſionem rei, animo conteſtandi litem factam, cum judex per narrationem negotii cauſam audire cœperit. *Igitur ſecuta conteſtatione*, inquit LANCELLOTUS, *reus & judici ſubjicitur & actori obligatur, dilatoriis exceptionibus via præcluditur, actiones perpetuantur, præſcriptio interrumpitur, alii quoque effectus emanant, ut tam civilibus quam eccleſiaſticis conſtitutionibus ſuis locis traditur.* Habetur in jure canonico ſingularis titulus *de litis conteſtatione*, quem mox alius ſubſequitur: *Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem vel ad ſententiam definitivam.* Eſt nimirum litis conteſtatio baſis ac fundamentum judicii accepti & conſtituti, ſine qua legitime procedi nequit, nec ea valorem habent, quæ judicium conſtitutum ſubſequuntur ordine juris; quo inverſo, quidquid fit, incaſſum eſt, ac nullum. Monet tamen LANCELLOTUS, quod traditum eſt, lite non conteſtata non poſſe teſtes recipi, aut ad ſententiam perveniri, non eſſe perpetuum. *Nam*, inquit, *ſi forte de morte teſtium timeatur, vel abſentia diuturna, cum civiliter eſt agendum, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, ſenes & valetudinarii & alii teſtes, de quibus ex probabili*

Inſtit. L. III. t. 11.

L. II. tit. 5.

Inſtit. L. III. tit. 11.

babili causa timetur, etiam lite non contestata sunt admittendi, seu pars conventa sit contumax, seu sine dolo sit absens, ut conveniri non possit. In jure civili vocatur ea litis contestatio ficta, quando reus legitime & peremtorie citatus contumaciter non comparet. In jure autem canonico in causis summariis, spiritualibus & matrimonialibus ordo iste judiciarius non præcise attenditur, & hinc receptio testium facilius admittitur, licet litis contestatio expressa desit. Vocatur hoc examen testium extraordinarium, *ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur*, ut ait pontifex. Quamvis autem examen hoc extraordinarium ante litem contestatam fieri possit; publicatio tamen attestationum reservanda ad eum litis statum, quo probatio est suscipienda, vel reprobatio a reo peragenda, non vero ante litem contestatam urgenda.

C. 1. ut lite non contestata &c.

Ib. c. 5.

Litis contestationem sequitur juramentum calumniæ, ad malitiam nimirum & calumniam litigantium compescendam; dum jurant se non ex malitia seu calumniandi prurito litigare. Et licet ob illius omissionem processus judicialis non vitietur; quodsi tamen illud præstare recusaverit, actor quidem ab instituta cadet actione, & pro confesso reus habendus est.

Lite contestata ad probationem devenitur, quæ etiam per confessionem judicialem adversarii facta censetur, diciturque *probatio probatissima:* ea vel *vera* est, quæ expressis verbis fit, deliberatoque consilio, *vel ficta*, quæ a jure inducitur maxime ex contumacia rei. Quodsi reus intentionem actoris, quæ fundamentum actionis constituit,

negat, probatione opus est tam in processu ordinario, quam summario. Sicuti vero in summario, omissis solemnibus, causa peragitur, ita etiam circa probationem multa remittuntur, quæ alias in ordinario processu necessaria sunt. Probatione indigent, quæ sunt dubia, non notoria. Judicis autem est de probationum viribus judicare, quæ fiunt variis modis, depositione testium, instrumentorum exhibitione, jurisjurandi religione, inspectione judicis, & variis præsumtionibus: in quibus singulis variæ collisiones accidunt inter testes utrinque productos, inter testes & documenta seu instrumenta; ac inter instrumenta utrinque producta. Quæ omnia discutere debet judex, atque singula probationum momenta expendere.

In testibus requiritur, ut sint fide digni seu omni exceptione majores, nec sint ipso jure inhabiles ad testimonium reddendum: *Censentur autem testes*, juxta LANCELLOTUM, *conditione*, *natura* & *vita*. *Conditione*, *si liber testis sit*, *non servus. Servus enim sæpe metu dominantis*, *veritatis testimonium supprimit. Natura*, *si vir sit*, *non fœmina: nam varium & mutabile semper fœmina.* Admittuntur tamen etiam ad testimonium, ubi opus est. *Vir censetur testis*, *si innocens sit & integer*: *nam si vita bona defuerit*, *fide carebit.* Unde & infideles ac hæretici excluduntur a testimonio reddendo; sed in Germania nostra religiones toleratæ non excluduntur. Testes, qui saltem duo esse debent, juramento obstringuntur in præsentia litigantium; ut jurent, se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerint vel quod

Instit. L. III. tit. 14.

C. 5. de testibus & attestat.

quod habent, vel habituri ſint, ad hoc jurandum inductos, ſe veritatem dicturos eſſe de ea re, de qua interrogati fuerint. Diligenter autem examinandi ſunt a judice, de ſingulis circumſtantiis, de cauſis videlicet, de perſonis, loco, tempore, viſu, auditu, ſcientia, credulitate, fama, & certitudine, cæteriſque, quæ ad rem facere, & negotio convenire exiſtimabit. Item quo vultu, qua conſtantia, quave animi trepidatione teſtes deponant; cum interdum ex his vel ipſis invitis teſtibus, magis quam ex verborum ſerie rerum veritas eluceſcat, Quodſi teſtes in judicium venire renuant, cogi a legitimo judice poſſunt ad dicendam veritatem, ferendumque teſtimonium, idque graviſſimis cenſuris ac pœnis juxta ſingularem juris canonici titulum *de teſtibus cogendis vel non.* *C. Si quis teſtium. De teſtib. Lib. II. tit.* 21.

Subſequitur titulus *de fide inſtrumentorum,* quæ, ſi qualitatibus debitis inſtructa ſint, æqualem cum teſtibus vim probandi habent, ſcriptura nimirum publica, ac inſtrumenta, quæ auctoritate publica a perſonis, illa pollentibus confecta ſunt: quæ in originali afferri debent, aut tranſumtio fieri juxta præſcriptum c. f. h. t. ſcriptura tamen privata probat contra ſcribentem. *Tit.* 22. *C.* 14. *de fide inſtrum.*

Sequitur titulus *de præſumtionibus*, quæ ſunt conjecturæ probabiles deſumtæ ex circumſtantiis ejuſmodi, quæ probabilitatem animo ingerere poſſunt. Præſumtio ſi in jure fundatur, liberat a probando, eaque judici in dubio, niſi probationibus in contrarium elidatur, probabilitatis tantum ſpeciem præbet, quando certior probatio haud habetur.

Atque ita continget ad ſupplendam probationem jusjurandum deferri, quod dicitur

necessarium, nec, nisi justis de causis recusari potest, quando a judice defertur. Aliud est *voluntarium*, quod a parte parti in judicio defertur: quod quia litem terminat, *decisorium* quoque nuncupari poterit juxta LANCELLOTUM. Attendendum autem, ut juramento adsint tam essentiales conditiones ratione veritatis, judicii & justitiæ, quam etiam accidentales ex solemnitatibus & legitima juramenti formula.

c. f. in princ. de jurej. Inst. Lib. III. t. 14.

Probatione absoluta & legitime peracta, utut intentio actoris fundata sit, non statim condemnatur reus; sed exceptiones ejus peremtoriæ adhuc admittendæ, atque allegationes ad sui defensionem, quibus locus est tam ante quam post litis contestationem, unde illas jam attigimus: quibus singularis titulus in jure canonico *de præscriptionibus* adjungitur, generalior tamen, quam ad præsentem materiam pertineat de excludenda actione ob elapsum tempus.

§. XCIII.

De sententia, re judicata & appellatione.

Sententia judicis controversiæ & lites propositæ finiuntur, atque in rem judicatam abeunt, nisi ad superiorem judicem debito tempore appellatio fiat, aut beneficium restitutionis in integrum indultum sit.

Instit. Lib. III. t. 15.

Sententiarum, inquit LANCELLOTUS, *duæ sunt species: aut enim interlocutoriæ sunt, aut definitivæ. Interlocutoria est illa, quæ inter principium & finem causæ fertur super his, quæ incidunt, vel emergunt: qualis est, cum judex dandam vel negan-*

dam

dam dilationem ad examinandos testes, vel exhibenda instrumenta interloquitur, vel super aliquibus exceptionibus pronunciat: quam nec in scriptis ferri oportet, & ante diffinitivam sententiam quandoque judex revocare poterit. Definitiva vero sententia est diffinitio judicialis, quæ condemnando, vel absolvendo principali controversiæ finem imponit. Diffinitiva enim, quæ nec condemnationem, nec absolutionem continet, pro nulla habetur: hanc simul ac tulerit retractandi copia judici denegabitur. Hinc ergo in rem judicatam mox abit, & nisi per appellationem intra terminum decem dierum lege constitutum suspensa fuerit, amplius revocari non poterit: *Cum post decem dierum spacium sententia in auctoritatem rei judicatæ transeat, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit: appellandi sibi aditum denegaverit, & per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse.* *C. 15. de sententia & re jud. Ib. c. 15.*

Appellandi beneficium jure canonico a quavis sententia etiam interlocutoria tribuitur; quod in concilio Tridentino ita restrictum est, ut appellare tantum concedatur ab interlocutoria vim definitivæ habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Quoad solemnitates etiam discrimina quædam observantur circa appellationem ab interlocutoria & definitiva sententia. Facienda est autem appellatio ad judicem competentem superiorem, gradatim non per saltum omisso intermedio. Ac interposita quidem appellatione appellans a judice primæ instantiæ *apostolos* petere debet, seu litteras dimissorias, infra triginta dies, alias *Sess. 24. de reform. c. 20.* *Clem. 2.*

C. 1. &c. h. t.

censetur appellationi renunciasse. Minorennes & ecclesia, si se prolatione sententiæ graviter læsos conquerantur, & appellationis tempora jam fluxerint, restitutionem in integrum implorare poterunt, idque beneficium ordinarie spacio quatuor annorum conceditur.

§. XCIV.

Varia ecclesiæ praxis.

Antiqua ecclesiæ disciplina sententia lata sacratior fuit, nec tantis appellationum ambagibus impedita fuit ecclesiastici judicii auctoritas.

Epist. ad Cornel.

Nam, inquit S. CYPRIANUS, *cum statutum sit omnibus nobis & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis & perditis minor esse videtur auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Indignatur CORNELIO, quod vel aliquantulum hæsisset, an in communionem suam reciperet quosdam clericos & episcopum in Africa communione dejectos, Romam adventantes. Parilis sub STEPHANO fuit causa BASILIDIS & MARTIALIS in Hispania ob crimen idololatriæ depositorum.

Fuitque

Fuitque id commune & solemne, ut excommunicati a judicio ecclesiastico, a nemine uspiam reciperentur. Quod canone 5. Nicæno firmatum est: *De iis, qui communione segregati sunt, sive clericorum sive laicorum sint ordinis, ab episcopis, qui sunt in unaquaque provincia, valeat sententia secundum canonem, qui pronunciat, eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos.* Cautum tamen voluerunt Patres, ne forte quid ab episcopis gravius ac injustum usurparetur in ferendis sententiis ac damnandis reis, hinc examinandum volunt, numquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi episcopi acerbitate, congregatione pulsi sunt. *Ut hoc ergo*, statuunt, *convenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno synodi fiant: ut cum omnes provinciæ episcopi in eundem locum communiter conveniant, ejusmodi quæstiones examinentur: & sic quos episcopum offendisse constiterit, juste esse, a congregatione separati apud omnes videantur, donec episcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem proferre sententiam.* In concilio Antiocheno non ita multo post provisum est, si forte episcopi provinciæ inter se non convenirent: *Si quis episcopus de certis criminibus judicetur; & contingat de eo provinciales episcopos dissidere, cum judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis pro totius ambiguitatis absolutione sanctæ synodi placuit, ut metropolitanus episcopus a vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul & per* Can. 14.

Z 5 pro-

provinciales episcopos, quod justum visum fuerit, approbetur.

Can. III. In concilio Sardicensi Romano pontifici jus suum est assertum: *Quodsi aliquis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti PETRI apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt JULIO Romano episcopo. Et si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur & det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit, confirmata erunt.* Sequenti canone id GAUDENTIUS episcopus addendum duxit, quod jus circa appellationem requirit, ut lite pendente nihil innovetur, nec procedi possit in executione prioris sententiae. Canone VII. OSIUS iterum proposuit approbantibus Patribus, de renovando examine, si episcopo Romano visum fuerit per finitimos episcopos, mittendo etiam e latere suo presbyterum aut alios, qui praesentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt. Quae quadantenus congruunt praxi subsequentium saeculorum.

Sed non statim canones Sardicenses undique vel innotuisse saltem, gesta ecclesiae Africanae non ita multo post prodiderunt: appellationesque multiplicari demum coeperunt jure decretalium, cum spuriae ab ISIDORO MERCATORE prolatae paulatim in praxin sunt revocatae, ubi ita sub SIXTI I. nomine habetur apud GRATIANUM: *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam & apostolicam sedem appellet, & ad eam quasi ad caput*

Caus. 2. can. 4. §. 8.

suff-

suffugium habeat, ne ipse innocens damnetur, aut ecclesia sua detrimentum patiatur. Et ex epistola S. ZEPHYRINO adscripta: *Ad Romanam ecclesiam ab omnibus maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a suis oppressionibus reserventur, quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.* Hæc satis pietatem spirant maternam; sed subinde temporis successu etiam dolor ac impatientia querelas expressit, easque acerbas fudit S. BERNARDUS ad EUGENIUM III. & INNOCENTIUM II.

c. 8.

L. III. de consid. c. 2. epist. 178.

Aliquando indiscriminatim Romæ fuerunt susceptæ appellationes, intermediis declinatis tribunalibus, quæ gradatim debent pulsari, & novæ semper instrui lites magnis expensis ac temporis pecuniarumque, si non justitiæ jactura, circa quam tantis palpatur processuum ambagibus ac syrmatibus, quibus omnia involvuntur, ut vix unquam una apud singula tribunalia, ad quæ gradatim appellatur, in eadem causa prodeat sententia, quin reformetur. Nec tamen idcirco assertum volo, quod LANCELLOTUS dicit: *Appellandi usus præcipue judicantium iniquitatem corrigit & imperitiam detegit.* Veteres idcirco ab appellationibus longinquis abhorruerunt constanter, quod plenior notitia causarum illic, ubi emergunt, habeatur, & singula melius inspici queant, ac examinari.

Instit. L. III. tit. 17.

CAP. II.

CAPUT II.

De criminibus.

§. XCV.

Antiqua & recentior disciplina circa crimina.

Alia fuit olim ecclesiæ disciplina circa crimina, interiori cum externo conjuncto foro, quibus invicem diremtis, ad formulas juris *accusationes*, *inquisitiones* & *denunciationes criminum* quoad forum externum ecclesiæ sunt revocatæ.

Accusatione, denunciatione, & inquisitione crimina perferuntur ad judicem. Communior est accusationis via. Sed alia fori interioris alia exterioris est ratio accusandi, illic enim propria confessio, hic aliena locum habet; & dum utrumque olim forum fuit conjunctum, utrumque accusationis genus locum habuit, quando omnium scelerum castigatio in ecclesia viguit; non tam ad justitiam vindicativam exercendam, atque criminaliter animadvertendum in peccatores, sed ad pœnitentiam in salutem animæ agendam coram ecclesia, sive confessione propria, sive aliena accusatione prodito crimine. „ Neque „ enim (inquit Jo. MORINUS) anxie di„ stinguebant, an in confessione secreta, an „ extra confessionem ejusmodi peccata co„ gnoscerent, ut eis pœnitentiam & recon„ ciliationem canonicam concederent; sive, „ ut nunc loquimur, absolutionem sacra-

Lib. I. de pœnit. c. 10.

„ men-

mentalem. Unicus ille erat episcoporum „ & presbyterorum finis in peccatis quibus- „ que judicandis, sive in DEUM, sive in „ fratrem commissa forent. Nec erat alius, „ qui excommunicationem, alius qui pecca- „ ta solveret, ad quem soluta excommunica- „ tione peccator esset remittendus: nec erat „ aliud tribunal, in quo excommunicandus „ vel excommunicatus judicabatur; aliud „ in quo pœnitens excommunicatione solu- „ ta, sed unus idem homo episcopus scilicet „ vel presbyter unius ejusdemque tribunalis „ præses id præstabat; vel si antiquissima „ tempora respicias, id præstabat episcopus „ presbyteris assessoribus cinctus non modo „ in causa criminum publicorum, sed etiam „ occultorum, quæ sponte reus publice con- „ fitebatur propriæ conscientiæ aculeo com- „ punctus, vel prudentis confessoris consi- „ lio stimulatus, vel denique occulto illo „ crimine alicujus testimonio & industria re- „ velato & comprobato.„ Hæc vetus erat disciplina & censuræ ecclesiasticæ, districtio, in diversi generis gravia peccata, prout illis canones & vigor ecclesiasticus publicam in ecclesia destinavit pœnitentiam.

Sed cum labentibus sæculis internum ab externo foro separari cœpit, tantum graviora quædam & publica peccata foro exteriori sunt reservata, distinctione etiam introducta ejusmodi criminum, quæ ad forum ecclesiasticum vel sæculare pertinerent; formulis quidem processus criminalis introductis in forum ecclesiasticum, sed pœnis ecclesiasticis inflictis a judice ecclesiastico fori exterioris, qui idem ac olim est, episcopus nimirum, & quibus id officii suo nomine

impo-

impofuerit. Crimina autem & earum pœnæ pleræque habentur in conftitutionibus pontificiis, decretalibus, & bullariis. Hucque pertinet Liber V. decretalium exordium fumendo, a titulo de *accufationibus*, *inquifitionibus* & *denunciationibus:* qui funt modi fecundum jus canonicum deveniendi in criminum notitiam juxta proceffum juris, qui fine accufatione legitima, nifi in rebus notoriis, non rite informatur; nec tamen fecundum jus canonicum ita præcife attenditur, quin etiam inquifitiones legitimæ fiant. Qua de re in concilio Lateranenfi conftitutum eft, refertur que *c.* 24. *b. t.* non folum quoad fubditos, fed etiam prælatos: „ Non folum cum fubditus, „ verum etiam cum prælatus excedit, fi per „ clamorem & famam ad aurem fuperioris per- „ venerit, non quidem a malevolis & ma- „ ledicis, fed a providis & honeftis, nec fe- „ mel tantum, fed fæpe, quod clamor in- „ nuit & diffamatio manifeftat, debet co- „ ram ecclefiæ fenioribus veritatem diligen- „ tius perfcrutari. „ Diftinguit autem idem pontifex ab iniquifitione denunciationem, quæ alia evangelica, alia eft canonica, & quoad fingula h. t. præfcribuntur regulæ, ut rite procedatur, ne quid interveniat injuftitiæ, quod fieri hic maxime proclive eft & damnofum: quare etiam mox fubditur titulus *de calumniatoribus*, qui nimirum inique alios denunciant præfertim ecclefiafticos viros & prælatos.

§. XCVI.

De infidelibus.

In Infideles, qui januam ecclefiæ per baptifmum ingreffi haud funt, nullum exercet jus ecclefia, nifi indire-

directe juxta divinas promiſſiones ac voluntatem fines ſuos per orbem terrarum protendens, dominata a mari uſque ad mare.

Agitur ſingulari titulo decretalium *de Judæis, Saracenis, & eorum ſervis*, quales nimirum chriſtianos habebant ſervos tunc, cum jam dominaretur chriſtianiſmus, potiusque ſervitus infidelibus hujuscemodi competeret, & eccleſia juxta divinas promiſſiones teneret orbem, eluctata ſtatu ſuo preſſo ſub CONSTANTINO & deinceps chriſtianis principibus aucta. Qui certatim leges dederunt pro chriſtianis & chriſtiana religione contra Judæos & gentiles præſertim, ſuperſtitionemque idololatricam, quæ undique graſſabatur, & non ſolum ſtudiis & laboribus apoſtolicis, ſed etiam zelo pio principum & vigore legum poteſtatisque politicæ magis magisque, ut licuit, eſt oppreſſa. „ Nam (ait THEODORETUS) CONSTANTINUS „ quidem M. omni laude digniſſimus, qui pri- „ mus pietate imperium ornavit, cum orbem „ terrarum adhuc inſanientem erga ſimula- „ crorum cultum videret, ne dæmonibus ſa- „ crificaretur omnino interdixerat. Eorum ta- „ men templa nequaquam deſtruxerat, ſed „ occludi tantum præceperat. Ejus quoque „ filii paternis inſtiterunt veſtigiis. At JU- „ LIANUS impietatem renovavit, & ve- „ tuſti erroris flammam ſuſcitavit. Poſtea „ JOVIANUS imperium adeptus, ſimula- „ crorum cultum denuo prohibuit. VALEN- „ TINIANUS deinde major iisdem uſus „ legibus, Europam gubernavit. VALENS „ vero aliis quidem omnibus permiſit colere „ ut vellent, iisque, quos coleret, obſervan- „

L. V. hiſt. eccleſ. c. 21.

„ tiam

„ tiam exhibere. Solis iis, qui apostolicam „ doctrinam tuebantur, bellum inferre nun- „ quam destitit. Itaque quamdiu ille impe- „ rium tenuit, & in aris incendebantur thu- „ ra, & libamenta ac sacrificia simulacris suis „ offerebant pagani & publicas epulas in foro „ celebrabant. Et Bacchi sacris initiati cum ca- „ prinis pellibus cursitabant, canes discerpen- „ tes, furentesque & bacchantes, & alia pera- „ gentes, quibus magistri ipsorum festus dies in- „ dicatur. Quæ omnia cum fieri reperisset „ fidelissimus imperator THEODOSIUS „ funditus sustulit, & perpetua oblivione texit. „

Ita paulatim gentilismus corruere visus est primum in urbibus, deinceps etiam in pagis, ubi diutius, quemadmodum etiam apud barbaras nationes substitit. Utraque tamen tam sacra quam profana potestate nihil non molientibus ad supprimendam, si non penitus extirpandam omnem infidelitatem tam paganorum quam Judæorum; quamvis his plusculum fuerit indultum, qui testimonium nobis, ac sibiipsis etiam divinæ vindictæ ferunt, vagabundi per orbem. *Quos*, ut ait INNOCENTIUS III. *propria culpa submisit perpetuæ servituti.*

c. 13. h. t.

Et tamen accidebat, ut Judæis christiani essent mancipia, quæ tenebantur manumittere pro duodecim solidis in singula capita: idemque de illis mancipiis, quæ christianam fidem amplectuntur, statuitur, habeturque *C. I. h. t.* ex concilio Matisconensi: quam legem GREGORIUS IX. renovavit. Et ALEXANDER III. promiscue vetat, ne Judæi sive Saraceni, neque sub alendorum puerorum suorum obtentu, nec pro servitio, vel alia qualibet causa christiana mancipia

An. 581. *c. 19. h. t.* *c. 5. h. t.*

in

in domibus suis permittantur habere: excommunicentur autem, qui cum eis præsumserint habitare: *Quoniam*, idem ait, *Judaeorum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.* c. 8. h. t.

Idem prohibuit Judæis de novo construi synagogas, ubi non habuerunt. „ Verum, „ (ait) si antiquæ corruerint vel ruinam mi- „ nantur; ut eas reædificent, potest æqua- „ nimiter tolerari: non autem ut eas exal- „ tent, aut ampliores, aut pretiosiores fa- „ ciant quam antea fuisse noscuntur: qui u- „ tique hoc pro magno debent habere, quod „ in veteribus synagogis & observantiis tole- „ rantur. „ c. 7. h. t. Sequitur decretalis CLEMENTIS III. qua statuitur: „ Ut nullus invitos „ vel nolentes Judæos ad baptismum venire „ compellat. Si quis autem ad christianos „ causa fidei confugerit, postquam voluntas „ ejus fuerit patefacta, christianus absque „ calumnia efficiatur: quippe CHRISTI fi- „ dem habere non creditur, qui ad christia- „ norum baptismum non spontaneus sed in- „ vitus cogitur pervenire. „ c. 8. h. t. Etiam antiquæ imperatorum leges violentiam religionis causa prohibent: „ Christianis, qui vere sunt, „ vel esse dicuntur, specialiter demandamus „ ut Judæis ac paganis quiete degentibus ni- „ hilque tentantibus turbulentum, legibus- „ que contrarium, non audeant manus infer- „ re religionis auctoritate abusi. „ *l. VI. c. de Paganis.* Ac in Judæis tolerandis, ut dixi, semper major fuit remissio, nisi ipsi sua perfidia causam dedissent, ne tolerentur. *Ingrati tamen*, sunt verba INNOCENTII III. *nobis esse non* c. 13. h. t.

debent, unde reddant christianis pro gratia contumeliam & de familiaritate contemtum, qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam (juxta vulgare proverbium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Cautum hinc, ne Judæi, aut pagani christianis præficerentur: *Cum sit nimis*
c. 16. h. t. *absurdum*, sunt Pontificis verba, *ut blasphemus CHRISTI in christianos vim potestatis exerceat: quod super hoc Toletanum concilium provide statuit, nos propter transgressorum audaciam in hoc generali concilio innovamus prohibentes, ne Judæi publicis officiis præferantur: quoniam sub tali prætextu christianis plurimum sunt infesti.* Idem a
c. 18. h. t. GREGORIO IX. est renovatum juxta auctoritatem concilii Lateranensis sub IN-
c. 15. h. t. NOCENTIO III. ubi etiam singularis habitus distinctio est præscripta pro Judæis seu Saracenis, quod non ubique servabatur: *Unde contingit interdum, quod per errorem christiani, Judæorum, seu Saracenorum, & Judæi seu Saraceni christianorum mulieribus commiscentur.*

Infestabantur tunc christiani tam in oriente quam occidente Saracenis novo infidelitatis Mahumedanæ genere, & cum illis perpetuos conflictus & bella ad hodiernum usque diem gerunt; accidit autem, ut infideles ac impii christiani arma ac subsidium illis ferrent, *qui*,
c. 17. h. t. sunt verba Pontificis, *contra ipsum CHRISTUM & populum christianum Saracenis arma, ferrum & ligamina deferunt galearum &c.* Hi excommunicantur & anathematizantur. Idem jam prius ALEXANDER III.

DER III. caverat, & postea CLEMENS V. ut habetur Extravaganti, *Multa*, .1 *h. t.* *c. 6. h. t.*

§. XCVII.

Qui nomen suum ecclesiæ dederunt, & fidem ejus erroribus fallunt pertinaces hæretici, ac eorum fautores maxime ad ecclesiasticam censuram pertinent, pariter ac libri eorum. De hæreticis.

Definitur hæresis, quod sit error contra aliquam catholicæ fidei veritatem cum pertinacia junctus in eo, qui fidem suscepit. Fides seu veritates religionis christianæ nobis in verbo divino panduntur, quod cum diversas interpretationes a malesanis hominibus contra traditionem ecclesiasticam accipit, inde hæreses sunt ortæ. Quicumque aliter in fidei & morum dogmatibus scripturam intelligit, quam Spiritus S. flagitat, quo scripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. Abscessus ab ecclesia proprie schisma constituit, de quo mox separatus sequitur titulus, hic autem de hæreticis & eorum pœnis agit: qui nimirum errores animo fovent, eisque contra auctoritatem ecclesiæ pertinaciter inhærent, quod proprie constituit hæreticum; etsi quis perversa sua opinione ita teneatur, ut se veritatem tenere existimet: cum debeat judicium suum ecclesiæ subjicere, quæ est columna veritatis. *Veritas apud nos est*, sunt verba SALVIANI, *sed illi apud se esse præsumunt. Honor DEI apud nos est; sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse,* *c.27. caus. 24. q. 3.* *L. V. de gubernat. Dei.*

quod credunt. Inofficiosi sunt; sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt; sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo; sed bono animo errant, non odio sed affectu D E I, *honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam* D E I *æstimant charitatem.*

Frustra sic errores coercentur, nulla datur hæreses præcavendi commoda ratio, nisi ecclesiastica constituta regula & auctoritate; contra cujus definitionem qui aliquid pertinaciter defendit, in pœnas hæreticorum ab ecclesia constitutas incidit: dum quis sciens suam sententiam esse contra ecclesiæ definitionem & auctoritatem, nihilominus eam defendit, & sequitur. Unde juxta theologos & canonistas, qui ex ignorantia licet crassa & culpabili aliquid contra ecclesiam credit, peccat quidem, quod non laboret tam crassam ignorantiam deponere; non tamen proprie & simpliciter hæreticus censetur, nec hæreticorum pœnis punitur, dummodo paratus sit in fide melius instrui. De eo, qui circa quemdam fidei articulum dubitant, non conveniunt doctores.

C. dixit apostolus 29. *& c. qui in ecclesia* 31. *caus.* 24. *q.* 3.

Quidam enim dubitantem a formali hæresi & hæreticorum pœnis probabiliter excusant: quod hæresis sit actualis electio erroris contra fidem, dubitans autem nondum aliquid elegerit, cum nec assensum nec dissensum præbeat. Alii quamplurimi in alia omnia eunt, nixi præsertim cap. I. *h. t.* licet ex spurio fonte decretalis S T E P H A N I I. haustum sit, ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Ac quidem de peccato nulli dubium esse potest; quoad pœnas autem incurrendas respici

ci debet ad mentem dubitantis, num ecclesiæ auctoritatem respuat? Quod si faciat jam in eo positive delinquit, quod dubium non excutiat, & captivet intellectum in obsequium fidei sese auctoritati ecclesiæ subjiciendo.

Ita principia catholica se habent, quibus solis fortiter omni errori obsisti potest, ut fidei integritas in ecclesia servetur, quæ est primarium illius depositum, quo nihil magis sollicite custodit; contra hæreses omnes non solum strenue pugnans, & fidem veram definitionibus certis integram præstans, sed etiam petulantiam & pertinaciam hæreticorum suis censuris coercens.

Hanc in rem sunt pleraque præsentis tituli capitula, non solum contra hæreticos, sed eorum etiam defensores & receptores, contra quos excommunicatio latæ sententiæ stringitur, & in bulla *cœnæ Domini* pontifici reservatur. Ubi etiam excommunicatione reservata damnantur, qui hæretici librum hæresin continentem vel de religione tractantem sine apostolicæ sedis licentia scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Non autem undique eadem auctoritas bullæ illi *cœnæ Domini* tribuitur, quæ quotannis Romæ solemniter repetitur, sed per regiones catholicas non promulgatur, pariter ac indies recenter prodeuntes indices librorum prohibitorum. Qua de re quoad Germaniam nostram consuli potest PAULUS LAYMAN.

Theolog. mor. L. II. tr. I. c. 15. sub. num. 8.

In concilio Tridentino præter generalem licentiam circa occultas irregularitatum & suspensionum dispensationes & criminum absolutiones in foro conscientiæ idem specialiter

Sess. XXIV. de

reform. c. 6. episcopis, non vero eorum vicariis in foro tantum conscientiæ in hæresis crimine tribuitur.

Ad quod alias, ut ob illud pœnæ jure præscriptæ incurrantur, requiritur, ut hæresis non tantum in animo consistat, sed extrinsecus significetur, quia ecclesia in judicio fori externi non judicat de internis, nec punit solas cogitationes. Unde talis hæreticus pure mentalis a quolibet confessario absolvi potest juxta theologos, qui porro requirunt, ut actio externa, qua verbo & opere se aliquis hæreticum declarat, sit mortaliter mala, & fiat animo profitendi vel defendendi hæresin: ut qui causa quærendæ instructionis alteri suam hæresin in animo conceptam detegit, non propterea excommunicationem incurrat.

C. Cogitationis 14. *de pœnitent. dist.* 1.

Idem magis adhuc de aliis pœnis non spiritualibus tantum sed etiam corporalibus & temporalibus dicendum, quæ magna copia in hæreticos eorumqae fautores & defensores stringuntur, variisque capitulis hujus tituli in jure canonico habentur, maxime autem *c.* 13. accumulantur.

Quousque vero in Germania nostra singulæ pœnæ saltem quoad effectus civiles locum habere queant, ex rerum circumstantiis pietateque matris ecclesiæ est dijudicandum, quandoquidem impossibile est, rigorem juris prosequi. Suntque qui plerasque hæreticorum pœnas locum apud nos habere putent saltem circa hæresiarchas, qui nova dogmata vel novas hæreses introducunt; non autem circa Lutheranos & Calvinistas, qui ex variis pactis & concordiis, si non consentiente, saltem dissimulante pontifice (utpote quibus propter potentiam resistere cum effectu non potest) hactenus inter catholicos tolerantur, quæ

sunt

sunt P. LUDOV. ENGEL verba, quibus commentarium in hunc titulum concludit.

Quousque etiam pœna capitalis ignis in hæreticos stringatur, non certa aliqua regula tradi potest; quemadmodum varia fuit hac in re praxis, & olim legum imperatoriarum severitas major, quam disciplinæ præsulumque ecclesiasticorum, qui mitius semper consuluerunt.

§. XCVIII.

Contra hæreticam pravitatem tribunal inquisitionis medio ævo erectum, quibusdam in regionibus etiamnum variis fatis subsistit, ad terrorem hæreticorum.

Tribunal inquisitionis.

Ordo Prædicatorum principaliter institutus fuit ad conversionem Albigensium & aliorum hæreticorum. Ordo S. FRANCISCI paulo post institutionem suam idem volvit saxum, ingenti fructu, tam sermonibus publicis & disputationibus, quam etiam monitionibus ad principes & fideles populos, ad persequendos obstinatos, & regiones iis purgandas: sollicite in quibusvis locis in hæreticos inquirebant, & quantum ipsis potestatis erat, id exerebant, aut summo pontifici ac episcopis denunciabant, principes etiam ac magistratus impellendo ad pellendos aut puniendos hæreticos. Hinc etiam cruciatæ non minus contra hæreticos in occidente, quam infideles in oriente instaurabantur, indulgentiis pariter pro utrisque indultis. FRIDERICUS II. pace cum HONORIO III. pontifice inita negotium hoc plurimum pro-

movit variis edictis, iisdem pœnis contra hæreticos ſtatutis, ac contra rebelles ac criminis læſæ majeſtatis reos.

Ante HONORIUM III. qui eccleſiæ gubernacula tenuit, INNOCENTIUS III. potiſſimum habetur ſacræ inquiſitionis auctor, & non ita multo poſt INNOCENTIUS IV. promotor, qui ordini Dominicanorum & Franciſcanorum plus auctoritatis tribuit, eos epiſcopis aſſociando, ad quos de jure cognitio criminis hæreſum pertinebat. Habetur hujus pontificis celebris bulla triginta & unum complectens articulos, quam ejus ſucceſſor ALEXANDER IV. renovavit, & quadantenus moderatus eſt pariter ac CLEMENS IV. nec alii pontifices ſegnes fuerunt in promovendo hoc negotio, præſertim BONIFACIUS VIII. qui in id incubuit, ut FRIDERICI imperatoris leges quoad inquiſitionem valerent, ut ſingula hæc cognoſcere licet ex ſexto Decretalium h. t.

Varia nihilominus variis in regionibus præſertim Gallia & Germania habuit fata, ſerius ſæculo demum decimo quinto in Hiſpaniam illata ſacra inquiſitio ſub FERDINANDO rege, poſtquam regem Granatenſem, & Mauros regno puliſſet; cum noſſet maximam partem chriſtianorum parum in fide eſſe ſolidatam, & Judæos magno eſſe numero ſubleſtæ fidei. Celebris THOMAS de Turre-cremata rem hanc plurimum promovit, & ad hodiernum uſque diem inquiſitio Hiſpanica viget ſub regia protectione, ad ſummum pontificem pertinente confirmatione inquiſitoris generalis, qui alios inquiſitores nominat cum regia approbatione. Inquiſitio Portugalliæ ad normam

normam Hiſpanicæ eſt exacta, erecta demum ſæculo decimo ſexto ſub rege JOANNE III. quando ea in Germania penitus fuit abolita, pariter ac in Galliis.

Romæ autem occaſione hæreſis Lutheranæ a PAULO III. excitatum eſt illuſtre tribunal inquiſitionis, ac congregatio cardinalium ad cauſas omnes hæreſeos ſupremo decidendas judicio, conſtituendos & mittendos quaquaverſum inquiſitores, eorumque res ac functiones moderandas. SIXTUS V. inter alias congregationes cardinalium huic primum attribuit locum, cui ipſe præſidet pontifex, ac ſeptem aſſiſtunt cardinales. Ad inquiſitionem non perſonarum ſolum, ſed librorum etiam hæreticorum pertinet judicium. Nec aliquid pejus habet hæreticos quam iſtud tribunal.

§. XCIX.

De ſchiſmaticis.

Schiſma ſeu ſegregatio ab eccleſiæ unitate & obedientia grande crimen vix unquam, & diu nunquam ſine hæreſi ſubſiſtit, qua ſaltem eccleſiæ auctoritas præſertim in centro unitatis Romano pontifice abnegatur.

Dividitur ſchiſma in purum, quod non opponitur fidei, ſed charitati, paci & unitati, & conjunctum cum hæreſi. *Inter hæreſin & ſchiſma hoc intereſſe arbitrantur, quod hæreſis perverſum dogma habeat, ſchiſma propter epiſcopalem diſſenſionem ab eccleſia pariter ſeparat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt, cæterum nullum* C. 26. cauſ. 24. q. 3.

schisma non aliquam sibi confingit hæresin, ut recte ab ecclesia recessisse videatur. Quare S. AUGUSTINUS, inveteratum schisma hæresin vocat, qui contra Donatistas hanc materiam copiose excussit, & quantum malum sit crimen schismatis imprimis ostendit; ita ut nulla legitima possit esse causa schismatis faciendi, quod superbiæ tumorem semper pro matre habeat. *Non est*, scribit contra CRESCONIUM schismaticum, *alius impiæ superbiæ tumor apud omnes, qui se a CHRISTI unitate discindunt, quam se solos christianos jactare, & damnare cæteros, non solum, quibus eorum lis nota est, verum etiam, quibus eorum nec nomen auditum est.* Hæc fuit perversitas & jactantia Donatistarum penes se solos ecclesiam asserentium, in quodam Africæ angulo; a reliquo autem toto orbe christiano, qui inter se vinculo charitatis & communionis ecclesiasticæ detinebatur, defecisse.

Contra Crescon. Lib. II. c. 3.

Lib. IV. n. 71.

Ita schisma suum hæresi cumularunt Donatistæ, quo non potuerunt non devenire, dum contra ecclesiam & extra eam obfirmato animo substiterunt, nec ejus auctoritati cesserunt, ut in unitatem redirent; quod πρῶτον ψεῦδος erat ac error seu hæresis schismati suapte natura adhærens, dum in contemtum auctoritatis ecclesiasticæ vergit: *Neque enim*, idem sanctus doctor ad EMERITUM Donatistam scribit, *vobis objicimus, nisi schismatis crimen, quam etiam hæresin male perseverando fecistis.* Potest ergo aliquamdiu forte esse, ut quis unitatem ecclesiæ lacessat, & se a communione ecclesiæ vel universalis vel particularis separet, aut obedientiam neget, unde schisma sit vel in universali vel in parti.

Ep. 87.

particulari aliqua ecclesia: qualia habentur inde a primis ecclesiæ sæculis non pauca; sed si non pertinaci animo perseveretur, & in contemtum ecclesiasticæ auctoritatis abeat, non tam atrox est, imo singulari quodam in casu obedientiam ecclesiæ negasse, & rebellem extitisse præsertim particulari in ecclesia, schisma non reputatur; nisi altare contra altare erigatur, & animus contra legitimam ecclesiasticam potestatem obfirmetur, factionesque fiant & discissio ecclesiasticæ unitatis.

Ubi suapte quis in se sententiam pronunciat, dum se ab ecclesia abscindit. Et excommunicationem incurrunt schismatici, ut colligitur ex *c. unic. h. t. in 6.* circa finem. Atque in decretalibus GREGORII IX. aliæ etiam schismaticorum decernuntur pœnæ, omnesque eorum actus irriti declarantur. Aliæ gravissimæ decernuntur a BONIFACIO VIII. quas BENEDICTUS XI. mitigandas duxit *c. Dudum h. t. Extrav.* Et juxta bullam Cœnæ Domini excommunicationem reservatam summo Pontifici incurrunt schismatici; quod existimant tamen doctores, non etiam, ut apud hæreticos, de fautoribus schismaticorum intelligendum.

Sancita sunt priora illa, quæ in corpore juris canonici habentur pro præsentibus tunc ecclesiæ Romanæ malis, quæ schismatibus sæpius infestata fuit, inde a NOVATIANO sæculo tertio, per singula fere sæcula ob injustas sedis illius apostolicæ & centri unitatis usurpationes: unde malum non potuit non in totam ecclesiam redundare. Quod maxime funestum fuit in magno illo schismate a Papis Avenionensibus orto, occidentale

le

le etiam ſchiſma vocari ſolitum, ut diſtinguatur ab orientali, quod adhuc hodie a pluribus ſæculis miſere orientem ab occidente diſcerpit, æmulatione ſedis Romanæ & Conſtantinopolitanæ, atque in hæreſin etiam, ut fieri ſolet, degeneravit.

§. C.

De apoſtatis.

Apoſtaſia non ſolum a fide, ſed etiam a ſacro ordine ac religione graviter coercetur in jure canonico: quo etiam rebaptizatio refertur, & qui baptizati in religione chriſtiana, reſiliunt.

Apoſtaſiam a fide, gravius eſſe hæreſi & ſchiſmate crimen, dubitare non licet, cum ſit omnimoda a fide defectio ad infidelitatem, ac irreligioſitatem uſque ad Deiſmum & Atheiſmum etiam, ſcelere, ſi unquam certe hodie frequenti, elatione humanam mentem efferente, ne ſe eccleſiæ ac obſequio fidei myſteriorumque chriſtianæ religionis dedat, aut impietas ſumma agnitæ etiam veritati reſiſtat; cum olim violentia perſecutionum multos vel invitos ad apoſtaſiam perduxiſſet: *Qui negarent ſe eſſe chriſtianos aut fuiſſe*, ut PLINIUS ad TRAJANUM celebri epiſtola ſcribit, & maxime ſæculo tertio graviſſima cauſa fuit agitata *de lapſis*, præſertim a S. CYPRIANO, qui ſollicite diſtinxit genera hujusmodi apoſtatarum ſeu lapſorum, & vult rationem haberi in pœna infligenda: *Cum ergo*, inquit, *inter ipſos,* (Epiſt. 55.) *qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas; quæ* *incle-*

inclemenentia est, & quam acerba duritia, libellaticos cum iis, qui sacrificarint jungere? Nimirum erat præcipua distinctio Sacrificatorum seu Thurificatorum, & Libellaticorum; quibus pro ratione criminis pœna est imposita solemni ecclesiæ censura; cum rigor Novatianorum omnino spem reconciliationis abstulisset; & postea Donatistarum furor similiter contra traditores desævisse visus esset, qui apostatis fuerunt accensiti.

In jure decretalium nihil peculiariter de hoc genere apostasiæ decernitur; cujus pericula, undique dominante religione christiana, tanta non fuerunt, quam alterius generis apostasia ab ordine & religione; quare qui relicto ordine clericali & habitu suo tanquam laici conversantur, si criminibus deprehensi teneantur, non permittuntur liberari mediante censura ecclesiastica. Nec tamen sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtionem ecclesiasticam coercendi, donec in defectu alterius probationis curaverint ad abolendam infamiam purgationem canonicam exhibere. Consultus HONORIUS III. ab archiepiscopo Turonensi, quid de apostatis sit agendum, dum in custodia detinentur, qui minis vel blanditiis nullatenus possunt induci, ut abjectum habitum reassumant, respondit, *quod tales possit, si voluerit sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec a suæ præsumtionis nequitia resipiscant.*

c. 1. b. t.

c. 3. b. t.

c. 5. b. t.

Idem consultationi archiepiscopi Lugdunensis respondit, *quod monachus aliquem sacrum ordinem in apostasia recipere quantumlibet suo fuerit reconciliatus abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani* *c. 6. b. t.*

mani Pontificis ministrare non poterit in ordine suscepto. Cap. 2. Ne clerici vel monachi in 6. habetur, quod religiosi, temerarie dimittentes habitum suæ religionis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Et in concilio Tridentino prohibetur, ne alicui regulari detur licentia occulte ferendi habitum suæ religionis. Non tamen ideo theologi aut canonistæ condemnant illos religiosos, qui transeuntes per loca hæreticorum vel infidelium, ubi ipsis periculum imminet occulte ferunt habitum suæ religionis, vel necessitate cogente prorsus ad tempus deponunt. In laudato concilio Tridentino statuitur, ut, si religiosus, nondum deducta coram superiore & ordinario circa annullationem professionis causa, habitum dimiserit, nullatènus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim vero nullo religionis privilegio juvetur. Occurrit hoc titulo *c.* 2. responsio ALEXANDRI III. circa clericum ministrantem in superstitiosa reiteratione baptismi ægroto ad recuperandam sanitatem administrati, ne in casu quo crimen publicum est, ad superiores ordines promoveatur, nisi ordinem regularem ingrediatur, in quo favore religionis poterit cum ipso dispensari.

Sess. XXV. de regular. c. 9.

Ib. c. 19.

Fuerunt dudum antea gravissimæ pœnæ etiam civiles in rebaptizantes Donatistas præsertim statutæ, qui catholicos etiam apostatas ausi sunt rebaptizare, veluti apud eos verum non habeatur baptisma, quod merito detestationi fuit: & apud GRATIANUM etiam varia colliguntur canonum statuta contra reiterantes baptismum. Hoc autem titulo

Dist. 4. de consec. c. 32. 38. 51.

lo in decretalibus GREGORII IX. statuitur, *ut quos christianae religioni liberae voluntatis arbitrium obtulit, salutiferae coactionis necessitas in ejus observatione conservet: cum minus malum existat viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.* Quod est genus apostasiae quorumdam illic notatorum, *qui ad sacri undam baptismatis voluntarii accesserunt, veterem hominem omnino non exuunt, ut novo perfectius induantur: cum prioris ritus reliquias retinentes, christianae religionis decorem tali commixtione confundant.* 107. *seqq.* c. 4. *h. t.*

§. CI.

Graviter semper detestata est ecclesia dictam a SIMONE mago Simoniam, qui donum DEI pecunia possideri existimavit, & comparare sibi ab apostolis voluit, quem sequi censentur, qui res sacras, sacrisque annexas pretio emere, ac vendere student. De Simonia.

Definitur Simonia a glossa communiter recepta, *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quia nimirum etiam voluntas prava & propositum, quale fuit in SIMONE mago, licet eam effectum ire haud potuerit, jam constituit hoc crimen. Quare dividitur Simonia in *mentalem*, quae sola voluntate committitur, nec in actum prodit exteriorem; *conventionalem*, quae in pactum deducta est; & *realem*, ubi praeterea traditio rei spiri- *In princ. caus.* I. *verbo Quidam.*

ſpiritualis accedit: Nimirum pro pretio temporali, quod ſupponit mutuum pactum. Unde qui ſponte ac libere aliquid donat, quin obligatio & contractus intercedat, Simoniam committere haud dicitur. Idcirco dicitur ſtudioſa voluntas emendi & vendendi, ut effectus pariter cum ſua cauſa movente intelligatur, quo omnis contractus mutuam obligationem inducens intelligitur, ſive explicite fiat, quæ vocatur *Simonia conventionalis*; ſive tacite & implicite, v. g. aliquid faciendo ex intentione per hoc obligandi ad dandum ſpirituale, quæ vocatur *Simonia confidentialis*.

Lib. V. tit. 5.

Quoad res autem ſacras ac ſacris annexas in jure canonico hoc titulo varia promiſcue afferuntur, ſecundum id diſtinguenda, an caſui omnino, aut propius accedant, qui in ſacra ſcriptura refertur de SIMONE mago, unde Simonia eſt dicta.

C. Presbyter I. cauſ. 1. *q.* 1. *c.* 5. *h. t. C.* 2. 11. 12. 117. *cauſ.* 1. *q.* 1.

Qui in ea fuit hæreſi, quod putaverit donum ſpirituale poſſe pretio comparari; qua opinione perverſa qui non tenentur, hæreſin illam non incurrunt, quo nomine ſæpe deſignatur, & aliis variis execrandis titulis a SS. PP. & antiquis canonibus; ubi ea proprie dicta Simoniæ ſpecies, quæ per ſacram ordinationem committitur, ſolet accipi: quando impoſitione manus Spiritus ſancti donum datur accipiturque, quod SIMON pretio ſibi ab apoſtolis comparare voluit, unde Simonia eſt dicta: *Nam*, inquit S. GREGORIUS NAZ. relatus a GRATIANO, *Spiritus ſancti donum pretio comparare quid aliud eſt, quam capitale crimen & Simoniaca hæreſis.* In canonibus apoſtolicis idem nefarii criminis notatur auctor,, & cum eo

C. 11. *cauſ.* 1. *q.* 1.

dam-

damnantur illius sectarii: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerint dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & a communione abscindatur sicut SIMON Magus a PETRO.* In concilio Chalcedonensi, cujus canon a GRATIANO refertur, eodem respicitur: *Si quis episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam episcopum, chorepiscopum, presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerentur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino, qui subjectus est regulæ pro suo turpissimi lucri commodo, is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, & ipse siquidem clericus fuerit proprio gradu decidat; si vero laicus, aut monachus anathematizetur.*

Can. 30. 31.

Can. 2.

C. 8. caus. 1. q. 1.

Ubi vides omnia articulatim munia sacra & officia connumerari ordinatione vel promotione collata sacra & sacris annexa; ut occurratur subtilitati, quam fuerunt, qui hic obtenderent, medio præsertim ævo, ad saluberrimas leges contra nundinationes sacras eludendas. Non quod non discrimen sit inter varia Simoniæ genera, prout ab ecclesia accipitur, quæ tam res sacras quam sacris annexas jure merito vult ab omni turpi lucro exem-

Vid. Humbertus card. L. III. contra Simo-

niacos. S. Petri Damiani ep. 13.

exemtas, & nihil hic inultum reliquit, præter deteſtabile SIMONIS MAGI ſcelus, qui ipſum donum Spiritus ſancti pretio conſtare & comparari poſſe exiſtimavit. Quem illi principaliter ſequuntur, qui gratiam per manus impoſitionem vel alia ſacri miniſterii functione conferendam vendunt aut emunt, pretio longe deterrimo, ſcelere ab eccleſia PETRI exemplo diris devoto ſemper, & execrabili præprimis, ut &, indirecte res etiam ſacris annexas tam turpi lucro committi deteſtetur, & ſeveriſſime puniat.

§. CII.

Varii generis.

Dignitates, ordines ac beneficia eccleſiaſtica pro meritis perſonarum ſunt conferenda, nullo pretio vel munere a manu, a lingua, vel ab obſequio.

Præſident, inquit TERTULLIANUS in apologetico, *probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim pretio ulla res DEI conſtat.* Ita primitivam eccleſiæ puritatem deprædicat illibatam ab omni avaritiæ vel ambitionis ſorde, quando dignitates & munia ſacra onera gravia reputata ſunt, quæ potius fugienda, quam malis artibus eſſent ambienda, ut poſtea accidere pronum fuit florenti eccleſiæ ſtatu. At jam favori ac muneribus datum non raro fuit, quod debuerat meritis ſolum concedi, & habilitati perſonæ pro eccleſiæ emolumento. *Cernimus*, inquit S. HIERONYMUS, *plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in eccleſia*

In C. I. ad Titum.

clesia columnas erigere, quos plus cognoscunt ecclesia prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarant. Haud obscure hic triplex illud muneris genus, quod distingui solet, designavit S. HIERONYMUS, & S. GREGORIUS M. articulatius expressit. „ Tres (inquit) sunt acceptiones mu- „ *In Job. L. XII. c. 25.* nerum, ad quas ex fraude festinatur. Mu- „ nus namque a corde, est captata gratia a „ cogitatione. Munus ab ore, est gloria per „ favorem. Munus ex manu, est præmium „ per dationem. Sed justus quisque ab om- „ ni munere manus excutit, quia in eo quod „ recte agit, nec ab humano corde inanem „ gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu „ recipere dationem quærit. „ Et adhuc clarius apud GRATIANUM ex hom. IV. in evang. *C. 114. caus. 1. q. 1.* „Sunt nonnulli, qui quidem numorum præ- „ mia ex ordinatione non accipiunt, & ta- „ men sacros ordines pro humana gratia „ largiuntur, atque de largitate eadem laudis „ solummodo retributionem quærunt. Hi ni- „ mirum quod gratis acceptum est, gratis „ non tribuunt: quia de impenso officio sancti- „ tatis numum expetunt favoris. Unde bene, „ cum justum virum describeret propheta, ait: „ *Qui excutit manus suas ab omni munere.* „ Neque enim dicit, qui excutit manus suas a „ munere; sed adjunxit, ab omni: quia aliud „ est munus ab obsequio, aliud munus a manu, „ aliud munus a lingua. Munus quippe ab „ obsequio est subjectio indebite impensa. Mu- „ nus a manu pecunia est. Munus a lingua „ favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, „

„ tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolum nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. „ Alibi hæc ipſa varia munera diſtinguit, quatenus illis etiam inique impenduntur, qui quidem non ordinis gratiam, ſed dignitatem & beneficium eccleſiaſtiaſticum tribuere poſſunt. „ Siquidem (inquit) munus „ a manu pecunia, munus ab obſequio obedientia ſubjectionis, munus a lingua favor „ adulationis. Et cum ab unoquoque horum „ manus excutiendas propheta denunciet, omnibus his manus implicaſſe dignoſcitur, qui „ nanciſcendæ dignitatis ambitu poteſtatum „ ſublimium caſtra ſectatur. „ Alibi genuinam deſignat cauſam, cur tam exitialia hæc ſint eccleſiæ: „ Quid (inquit) per hoc aliud agitur, „ niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus, nulla ſit de vita diſcuſſio, ſed ille ſolummodo dignus, qui dare „ pretium ſuffecerit, æſtimetur. „ PETRUS DAMIANI ſi quis alius acriter in hoc ſcelus invehitur pro illius enormitate & frequentia ſuo tempore; quando tactam jam a nobis futilem excuſationem afferebant: *Dicebant enim, quia cum hoc ſit, non diſtrahitur eccleſia, ſed facultas: nec emitur ſacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Sub hac præſtatione pecuniæ, opes tantum, non honoris vel eccleſiæ redimitur ſacramentum.* Sic vero regerit: *Si ſæcularis ille princeps accepta, vel promiſſa pecunia paſtoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris epiſcopalis ordinis excuſare commercium? Enimvero niſi per hanc inveſtituram ille ſecuturi ſacerdotii tibi prius imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manus impoſitionem ſacerdotii tibi traderet ſacra-*

Lib. II. epiſt. I.

Lib. VII. epiſt. III.

Baron. ad an. 1065. *n.* 37.

ſacramentum. Per hoc enim quod venaliter accepiſti, conſequenter ad ſacerdotium promoveris.

Ratio iſtæc valet circa omne dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum genus, & conditionem, ſive cum adeptione ordinis ſive miniſterii tantum & beneficii proviſione fiat, ſive ſacris ſive profanis perſonis largitio fiat, penes quos eſt per ſe vel alios etiam facultas dignitatem ac beneficium conferendi. Hoc in capitulari THEODULPHI exprimitur, & ſeveriſſima pœna interdicitur: *Si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dediſſe, ut eccleſiam alterius presbyteri ſurripiat, ſciat ſe pro hac rapina & ſæva cupiditate, aut gradum amiſſurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detineri.* Hoc autem diſcrimen eſt, ſi quis gratiam ordinationis vel dignitatis tantum ac beneficii venalem habeat, quod illic ſacrilegium majus committatur in donum S. Spiritus, hic vero eccleſia ingenti afficiatur damno & juſtitia lædatur, quando non dignitas perſonæ ſed munus attenditur, quod in concilio Arelatenſi VI. notatur, dum eadem venalitas prohibetur patronis laicis impendenda: *Laici a presbyteris omnino non audeant munera exigere propter commendationem eccleſiæ: quia propter cupiditatem plerumque a laicis talibus presbyteris eccleſiæ dantur, qui ad peragendum ſacerdotale officium ſunt indigni.*

C. 16.

Can. 5.

Id autem probe diſcernendum eſt in veteri, & deinceps ſubſecuta eccleſiæ diſciplina, quod olim in primæva diſciplina clerici per ipſam ſacram ordinationem eccleſiis tanquam earum miniſtris adſcripti, jus ad proventus eccleſia-

 ſticos

ſticos acquiſierint, antequam tituli beneficiorum erigerentur, atque ſingulis titulis certi annecterentur proventus, qui ſeparatim ab ipſa ordinatione conferuntur. Hinc eſt, quod veteres Simoniam ſpectarint in ipſa ſacra ordinatione potiſſimum, per quam miniſtri eo ipſo eccleſiæ matriculæ inſcribebantur, & ſportularum participes fiebant, quod poſteriore praxi collatione dignitatis ac beneficii fit. Unde quando de Simonia agitur de Simoniacis beneficiorum proviſionibus res potiſſimum eſt, in quibus Simoniaci non aliud quidem intendunt, quam ambitionem dignitatis & beneficii perceptionem in proventibus. Quæ quoniam connexa ſunt cum ipſo ordine ac miniſterio ſacro, præter generale ambitus & avaritiæ crimen ſingulare ſacrilegium continent. *Quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Quare ALEXANDER VII. ſequentem damnavit propoſitionem: *Non eſt contra juſtitiam, beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Et concilium Remenſe impudentiſſimum prætextum deteſtatur, qui de ſolo proventu reque temporaria canonicatus paciſci ſe dicunt; cum ea ſprituali tam arcto ſit annexa vinculo, ut non magis ab ea divelli queat, quam in homine vivo corpus a ſua anima.

Can. 7. cauſ. 1. q. 3.

An. 1583. de Simoniac. n. 6.

§. CIII.

Circa dotes beneficiorum, &

Paciſci de obtinendo beneficio, quod quis dotarit, vel reditibus auxerit,

xerit, de receptione ad sacram professionem, ordinemque religiosum, ceu labem Simoniacam damnat ecclesia, non spontaneam ac ratam bonorum collationem. ordinum religiosorum.

Ita olim INNOCENTIUS respondit: C. 34. b. t.
„ Quodsi quis clericus cum conditione vel „ pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa „ postmodum pro præbenda retineat, & in „ canonicum admittatur: hujusmodi oblatio „ vel receptio fieri non poterit sine vitio Simo- „ niæ: cum in talibus omnis pactio aut con- „ ventio cessare debeat, juxta canonicas san- „ ctiones. Si vero pure ac sine pacto vel con- „ ditione qualibet offerat, rogans humiliter, „ ut in canonicum admittatur, & bona sua re- „ tinere sibi liceat pro præbenda, & clerici „ ejusdem ecclesiæ pure consentiant: hujus- „ modi receptio fieri poterit absque scrupulo „ Simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter „ duximus respondendum, quia nobis datum „ est de manifestis tantummodo judicare: si „ tamen is, qui talem donationem facit, ea in- „ tentione ducatur, ut per temporalia bona quæ „ offert, spiritualia valeat adipisci, & clerici, qui „ eum in fratrem admittunt, non essent eum, „ nisi commoda temporalia perciperent, admis- „ suri: sine dubio tam ille, quam isti, apud di- „ strictum judicem (qui scrutator est cordium „ & cognitor secretorum) culpabiles judicantur. „ Medium exemplum habetur in celebri episcopo Mersburgensi DIETMARO, qui imperatori HEINRICO significavit bonis suis se aucturum ecclesiam illam, si quando illius episcopus fieret, quod & factum est, quin tamen

Lib. VI. T. I. script. Brunf. p. 385.

pactum intercederet. Rem ipse narrat in chronico.

Pariter prohibetur pro receptione ad religionem aliquid recipere. Ita habetur in concilio Turonensi sub ALEXANDRO III. refertur que c. 8. h. t. *Ne ab iis, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia acquiratur.* Rem hanc probe discussit S. BONAVENTURA in libello apologetico in eos, qui ordini minorum adversantur, ubi quadruplicem formam distinguit recipiendi ad ordinem qualemcunque: 1. Quando aliquis nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure pro DEO recipitur, quam jure purissimam statuit. 2. Quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia; ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro DEO. *Et similiter*, ait, *hoc purum est coram DEO, sed caute agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri.* 3. Quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, *eoquod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus corporis providere.* Fuerunt nonnulli canonistæ recenti ætate, qui hoc etiam in casu omnino vetitum putarent recipere dotem; non tantum ubi vanus ejusmodi est prætextus: qualem in monialibus frequentem concilium Lateranense Simoniacam pravitatem notavit: *Quoniam Simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, prætextu paupertatis volentes hujusmodi vitium palliare. Ne id de cætero fiat, penitus probibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quam rece-*

Can. 64.

recepta, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo monaſterio expellatur in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. Coincidit hoc cum quarta forma, quam laudatus S. BONAVENTURA penitus impuram & Simoniacam cenſet: *Cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſona iſta, non reciperent perſonam, ſed ut habeant pecuniam, perſonam recipiunt: & hoc penitus impurum eſt & Simoniacum, quia ibi pecunia cauſa eſt receptionis perſonæ, & non e converſo. Ubi ergo recipitur perſona propter pecuniam, Simonia eſt, quia ibi venditur ſpirituale, id eſt, conſortium ſpiritualis ſocietatis pro temporali, ſcilicet pro pecunia.* In Extrav. *Ne in vinea*, de ſimonia in communibus aliquid ſingulariter de hac re ſtatuitur: „Ne tam a maribus quam a mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, eccleſias, monaſteria, prioratus, domus ſeu loca, in earundem perſonarum receptione, aut ante aut poſt illam quoscunque paſtus, prandia ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata vel deputanda directe vel indirecte petere vel exigere quoquo modo præſumant. Sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & veſtitu ſicut alias perſonas ſuarum eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum & locorum ſincera charitate pertractent: illa duntaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes pure & ſponte, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, dare vel offerre eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, domibus & locis hujusmodi

„ voluerint, cum gratiarum actione licite re„ cepturi. „ Jam URBANUS II. in concilio Romano hunc canonem concilii Melfensis renovaverat: *Nullus abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.* Quid autem hic intelligatur *placiti occasio*, ex duobus conciliis Londinensibus sæculi duodecimi dilucidum fit:

An. 1127. *can.* 3.

Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis monachis, canonicis, & sanctimonialibus condemnamus.

An. 1175. *c.* 8.

Nullus prælatus in recipiendo monacho, vel canonico, vel sanctimoniali pretium sumere vel exigere ab his, qui ad conversionem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat. Si quis autem hoc fecerit, anathema sit.

Ex his quid pravum sit, & labem Simoniacam redoleat, patescit, ne quis legitimas in communitates religiosas bonorum collationes vituperet: quomodo in regula S. BENEDICTI de disciplina suscipiendorum fratrum præscribitur:

c. 58.

Res si quis habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Cautum est autem lege etiam civili, ne fraudent parentes, ac exhæredare audeant ob susceptum sanctioris status institutum:

Cod. de episc. & cler. l. 54. 55.

Ut non liceat parentibus impedire, quo minus liberi eorum volentes, monachi, aut clerici fiant, aut eam ob solam causam exhæredare. Sed si ipsi testamentum condunt, necesse habent, quadrantem illis relinquere. Sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato. S. HIERONYMUS valde deplorat, quod parentes non raro indulgentiores hic fuerint erga filias in sæculo relictas, filias in proposito virginali inopes relinquentes:

Ep. ad Demetr.

Fecerunt hoc multæ, proh dolor! nostri propositi fœminæ atque utinam rarum

esset.

esset exemplum : quod quanto crebrius est, tanto istæ feliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla secutæ sunt. Fertur, & omnium christianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptiis præparatum, a sancta CHRISTI SINORIDE virgini traditum, ne sponso fieret injuria; imo ut dotata pristinis opibus veniret ad sponsum; & quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum DEI sustentaret inopiam. Vides hic etiam ratam dotem virgini professuræ largiter fuisse concessam, patrimonium CHRISTI futurum, æquissima & sanctissima conditione; dummodo nihil sordium avaritiæ & illicitarum pactionum intercedat, quas modo damnari intelleximus, & ad Simoniacam relegari labem, ob sacri propositi contaminationem.

§. CIV.

In aliis quibuscunque rebus sacris ac spiritualibus nundinari, ac mercari, ad Simoniacam revocatur labem; non vero de altari, ac ministerio sacro, & oblationibus, laudabilibusque consuetudinibus constitutam laboris percipere mercedem. De laudabilibus consuetudinibus.

Dignus est, ait CHRISTUS, *operarius mercede sua:* ubi agit quidem de opere spirituali ministerii evangelici. Et D. PAULUS hanc legem dominicam agnoscit, ut, *qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant, & qui altari deserviunt, de altari vivant.* *Cum secundum apostolum*, ait INNOCENTIUS III. *qui altario servit, vivere debeat* *Matth. X. 10.* *1. Cor. IX. 13.* *De præbend. c. 16.*

de

de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede: patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio JESU *Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet.* Hoc ergo debitum etiam justitiæ est, ut ministri sacri pro labore suo mercedem ac justum accipiant salarium; beneficium pro officio sacro, sine ulla Simoniæ suspicione, tam qui generatim percipiuntur fructus beneficii, quam qui pro speciali sacra functione pro rata & laudabilibus consuetudinibus percipiuntur, quæ vocantur jura stolæ.

C.42. *h. t.* Sed cavendæ sunt avaritiæ sordes, exactiones, extorsionesque. *Ad apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit*, est sub INNOCENTIO III. concilii Lateranensis decretum, *quod quidam clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium & similibus pecuniam exigunt & extorquent: & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Solet hic objici ALEXANDRI III. auctoritas quasi adversetur INNOCENTIO III. „Pro sepultura (statuit is) quo-
C.8. *h. t.* „ que & chrismatis & olei receptione nulla

cujus-

cujusquam pretii exactio attentetur: nec ſub „ obtentu cujusquam conſuetudinis reatum „ ſuum quis tueatur: quia diuturnitas tempo- „ ris non diminuit peccata, ſed auget. „ Sed facile patet, primam partem decreti Innocentiani ſeu concilii Lateran. huic reſpondere, quemadmodum etiam, quæ in concilio Lateranenſi ſub ALEXANDRO III. eodem tenore ſunt ſtatuta contra illicitam venalitatem rerum ſacrarum: „ Horribile nimis eſt, quod „ *C. 9. h. t.* in quibusdam eccleſiis locum venalitas per- „ hibetur habere, ita ut pro epiſcopis vel „ abbatibus ſeu quibuscunque perſonis eccle- „ ſiaſticis ponendis in ſedem, ſeu introdu- „ cendis presbyteris in eccleſiam, nec non „ & pro ſepulturis & exequiis mortuorum, „ & benedictionibus nubentium, ſeu aliis ſa- „ cramentis aliquid requiratur. Putant autem „ plures ex hoc licere, quia legem mortis „ de longa invaluiſſe conſuetudine arbitran- „ tur, non attendentes, quod tanto gravio- „ ra ſunt crimina, quanto diutius infelicem „ animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc „ de cætero fiant vel a perſonis eccleſiaſticis „ deducendis in ſedem vel ſacerdotibus inſti- „ tuendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu be- „ nedicendis nubentibus, ſeu aliis ſacramentis „ conferendis ſeu collatis aliquid exigatur, „ diſtrictius prohibemus. Si quis autem con- „ tra hoc venire præſumſerit, portionem cum „ GIEZI ſe noverit habiturum. „ Qui hæc cum decreto Lateranenſi ſub INNOCENTIO, & cum his, quæ hactenus de Simoniacis exactionibus diximus, contenderit, facile inter ſe combinabit conciliabitque, id damnando, quod ſemper deteſtata eſt eccleſia, nundinationes & exactiones ac turpia lucra; non vero pias oblationes, laudabilesque conſuetudines.

Propo-

Proposita est aliquando S. GREGORIO M. querela quæsiti turpis de sepultura lucri, qua
Lib. VII. ep. 56. de re ita scribit: *Grave nimis est & procul nimis a sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc vitium & nos postquam ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino vetuimus: & pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus.* Patet, qualis hæc consuetudo & lucrum fuerit, centum nimirum solidorum extortum *de terra concessa putredini*: cum spontaneæ hic usitatæ fuerint oblationes pro defunctis, quas accipere non vetat Pontifex; peti tantum, aut aliquid exigi. Quo-
Nov. 59. modo etiam JUSTINIANUS carpit pravum morem, *non sine mercede fieri defunctorum exequias, sed exigi amare, etiam invitos exigi lugentes, & cogi dare non habentes.*
Can. 16. Ita concilium Triburiense detestatur abhorrendum & christianis omnibus devitandum morem iniquum, sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere, & gratiam DEI venalem facere. Id ergo prohibetur terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare;
C. 14. caus. 13. q. 2. nisi forte proximi & amici defuncti propter nomen & redemtionem animæ viri gratis aliquid dare velint. Hoc a GRATIANO refertur unacum S. GREGORII responso
An. 890. c. 6. & concilii Nannetensis simili decreto. Quibus alia respondent & collimant ad morem in ecclesia semper vigentem spontanearum oblationum damnatis exactionibus & turpi lucro: *Et si quis sacri ordinis de sepultura mortuorum aliquid acceperit, nisi forte quæ sponte ab amicis vel propinquis mortuorum ecclesiæ fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii,*

noxii, habet concilium Ravennatense sub GERBERTO postea Romano pontifice. An. 997. c. 3.
Et concilium Bituricense: *Nullus pretium pro baptismo, neque pro pœnitentia danda, neque pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare vel offerre voluerunt.* An. 1031. c. 12. Jam in concilio Illiberitano antiquissimo abusus circa hanc rem in baptismo est correctus, numos in concham mittendi: *ut sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.* Can. 4. Et GREGORIUS NAZ. *Turpe est*, inquit, *dicere, ubi est munus, quod propter baptismum offeram?* Orat. 40.

Medio ævo pravus etiam irrepsit usus, munera exigendi a pœnitentibus; donec inolevit, ut pœnitentiæ publicæ in multas quandoque pecuniarias converterentur. Quæ res non potuit non ingentes abusus generare, quos ecclesia tollere laboravit, præsertim in concilio Tridentino, extinctis quæstoribus, quorum in publicandis indulgentiis sordida lucra execrationi erant fidelibus, & offensioni hostibus ecclesiæ, jussis episcopis indulgentias promulgare, ac pravos questus omnes abolere. Sess. XXV. dec. de Indulg. Idem concilium in decreto de observandis & evitandis in celebratione missæ, ordinariis præcipit: *Imprimis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.* Sess. XXII. In jure canonico titulo de Simonia de aliis variis rebus, quibus peccari hic potest, plura desideranti occurrent, passim etiam a theologis & canonistis explicata.

§. CV.

§. CV.

De locatione beneficiorum & venalitate magisterii docendi

Ne quidquam desiderari possit, singulariter etiam in jure canonico cautum, ne munera ac jurisdictio sacra, ipsumque docendi magisterium venale esse possit.

In decretalibus GREGORII IX. post titulum de Simonia subduntur duo, alter: *Ne prælati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant;* alter de magistris: *& ne aliquid exigatur pro licentia docendi;* prior vero magis cognatus est materiæ de Simonia, quatenus etiam solum ad jurisdictionem ecclesiasticam ac jus dicendum refertur; cum etiam sanctionibus conciliorum cautum sit, ne venalitas hic locum inveniat: *Ut nec episcopus*, habet concilium Vernum, *nec abbas, nec ullus laicus pro justitia facienda sportulas contradictas accipiat; quia ubi dona intercurrunt, justitia maculatur.* Et concilium Remense II. *Ut nullus homo munera pro placito acquirat, aut accipere præsumat.* Ex capitularibus CAROLI M. discimus episcopos cum comitibus nonnunquam hic in quæstum pravum conspirasse. „Quod in quibusdam locis episcopi & comites in incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, wadios accipiant, & a presbyteris, pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant.„ Prioribus duobus capitulis *h. t.* ad jurisdictionem respicitur, ne annuo censu locetur: *Quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate epi-*

Lib. V. tit. 4. 5.

An. 755. C. 25.

An. 813. C. 39. Lib. II. c. 38.

C. 1. h. t.

scopa-

ſcopalem jurisdictionem exercent : præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cætero hoc præſumſerit, officio ſuo privetur, & epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat. Et mox : *Quoniam in quibusdam partibus decani quidam vel archipresbyteri ad agendas vices epiſcoporum ſeu archidiaconorum & terminandas cauſas eccleſiaſticas ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum gravamen & ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare : id ulterius fieri prohibemus. Quod ſi quis de cætero fecerit, removeatur a clero. Epiſcopus autem, qui hoc ſuſtinuerit, & eccleſiaſticam jurisdictionem ſua patitur diſſimulatione perverti, diſtrictione canonica percellatur.* Idem ſubſequenti capite etiam cavetur, ne regimen eccleſiæ ſub annuo cenſu ſacerdotibus committatur. Quæ ſingula eandem lucri labem, ac ſordidum queſtum continent in ſacris muneribus ac functionibus. Non quod prælati vices ſuas committere non poſſint, poſtquam ampliatis diœceſibus & auctis negotiis eas ipſi obire non ſoli poſſent, aut eccleſiæ præſertim unitæ monaſteriis, ac aliis locis piis vicariis parochis tradi nequeant, ſed ne locatio ac licitatio pro annuo cenſu intercedat; ac rata tantummodo penſio tribuatur.

Can. 2. h. t.

C. 3. h. t.

Idem ſpectatur ſequenti titulo *de magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* In præcipuis duobus conciliis Lateranenſibus ſub ALEXANDRO III. INNOCENTIO III. quibus poſtea acceſſit Tridentinum, & multa alia tum canonum cum decretorum pontificiorum ſtatuta, ubi id imprimis eſt actum, ut magiſterium docendi in cathedralibus eccleſiis erigeretur, ac ſimul etiam ſtipen-

 dium

dium & præbenda congrua tribueretur, quibus contenti theologi ac doctores a privatis exactionibus abstinerent, ne gravarentur studiosi: *Ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur.* Et infra: *Pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab eis, qui docent, quærat, nec docere quemquam (qui sit idoneus) petita licentia interdicat.* Idem mox sequentibus canonibus confirmatur. Et alia insuper pro sacrorum studiorum incrementis & facilitate saluberrime statuuntur, quæ optandum esset, ut constanter retinerentur, aut revocarentur in usum.

cap. 1. *h.t.*

§. CVI.

Pœnæ Simoniacorum.

Ecclesia gravissimis pœnis reprimere & coercere semper studuit Simoniam, præprimis in collatione sacrorum ordinum & beneficiorum ecclesiasticorum ac ingressu ordinum religiosorum.

Jam non semel tantum notavimus, indivulsam olim fuisse sacrorum ordinum ac proventuum ecclesiasticorum, quos quis ex ecclesiæ bonis, cui adscribebatur, accipiebat, collationem. Quare mirum non est, antiquos canones, quando pœnas huic sceleri decernunt, ipsas Simoniacas ordinationes spectasse: canonem Chalcedonensem jam supra retulimus, cui alii

alii concinunt tam orientalium, quam occidentalium conciliorum, quibus omnibus constanter depositionis sententia decernitur: *Qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione, quæ instar mercatorum venumdatur, nihil juvetur; sed sit a dignitate vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est.* Et TARASIUS patriarcha Cpolitanus in epistola lecta & probata in synodo II. Nicæna pro asserto habet: *Omnis episcopus vel presbyter, aut diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, a sacerdotio cedit.* Et: *Quicumque per pecuniam vel ordinant vel ordinaverunt, vel ordinati sunt episcopi vel presbyteri, vel diaconi, vel quilibet de numero sacerdotali; repellantur omnino a sacerdotali honore; sicut SIMON Magus a PETRO &c.* Quod alibi jam citavi ex canone apostolico. Erat autem pro veteri disciplina irretractabilis illa sententia; etsi non statuatur, quod quibusdam olim & nunc placuit, prorsus fuisse nullas ac irritas Simoniacas ordinationes; sed nulla tamen indulgentiæ remissione fuit relaxatus rigor. *Sequens sanctos apostolos*, inquit laudatus paulo ante TARASIUS in synodo œcumenica VII. in frequenti fratrum consessu, *& venerabiles Patres, cum omni fiducia clamo: Qui per Simoniam ordinatus est, sive episcopus, sive presbyter, sive diaconus, alienus est a sacerdotio: neque enim venalis est gratia Spiritus sancti: CAIPHÆ traditio, & adinventio SIMONIS a sancto sacerdotio est aliena. Etsi in fornicationem lapsus est aliquis post baptismum, in sacerdotium non recipitur. Canones enim hoc prohibent. Si quis vero*

Can. Chalced. 2.

C. 2. caus. 1. q. 7.

L. c.

cum hoc peccato ad ſacerdotium profectus eſt; cognitus degradetur. Item paulo poſt: *Epiſcopum, qui per pecuniam ordinatus eſt, confiteor, quia per pœnitentiam recipitur. DEUS enim bonus eſt in omnibus, & aperta viſcera ejus omni homini pœnitenti. Sed quoniam juxta apoſtolum oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, quicunque per pecuniam vel ordinaverit aliquem vel ordinatus eſt, ab omni ſacerdotio alienus ſit.* Et LEO IV. interrogatus a Britonum epiſcopis, de iis, qui turpiſſimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua facta improba temeritate, SIMONIS hæreſi conjungunt, utrum poſſint in ordine pœnitentiam agere, an tantummodo extra ordinem, & ſacerdotalem fieri gradum? „Quod nos „ quidem (reſpondet) convictis & iis, qui „ tam deteſtabile nefas (quod jam multis eſt „ damnatum conciliis) peregiſſe noſcuntur, „ nulla poſſumus pœnitentia ſubvenire, & „ tot ſpiritualibus patribus obviare, ſed in illorum patrum me ſententia convenire omni„ bus certum ſit.„ Addit GRATIANUS: „ Niſi rigor diſciplinæ quandoque relaxetur, „ ex diſpenſatione miſericordiæ. Multorum „ enim crimina ſunt damnabilia, quæ tamen „ eccleſia tolerat pro tempore, pro perſona, „ intuitu pietatis, vel neceſſitatis, ſive uti„ litatis, & pro eventu rei. „

C. 5. cauſ. 1. q. 7.

Atque iſta quidem diſpenſatio recentiori diſciplina indulgetur, quando potiſſimum de beneficiorum collatione & adeptione agitur, ſeparata ordinarie ab ordinatione; nihilominus utrinque excommunicatio ſummo pontifici reſervata incurritur, tam a ſuſcipiente quam conferente ordinem, vel beneficium: item

item suspensio ab exercitio pontificalium respectu ordinantis, & ordinis respectu ordinati: juxta bullam SIXTI V. contra male promotos, conformen juri communi; collationem autem provisionem vel electionem irritam facit, ita quidem, ut neque per aliam collationem vel electionem promoveri possit ad illud beneficium, is, qui id prius Simoniace obtinuit; nisi ipso ignorante, & multo magis contrarium protestante ab aliis, & fortassis in fraudem ejus Simonia commissa sit.

Nondum autem conveniunt doctores, an Simonia conventionalis tantum, ubi datio & receptio non intercedit, sed pactio saltem iisdem subjiciatur poenis. De Simonia vero confidentiali id constat: qua nimirum beneficium ecclesiasticum simplex, aut curatum, regulare aut sæculare alteri procuratur, eligendo, præsentando, instituendo, confirmando vel resignando cum certa confidentia, id est expresso vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapso aliquo tempore ipsimet cedenti, procuranti vel conferenti aut alteri personæ resignet, vel pensionem aut fructus ex ea præstet. Juxta bullas pontificias PII IV. *Romanum pontificem*, & PII V. *Intolerabilis &c.*, Simoniaca collatione, annullato & reservato illo beneficio sedi apostolicæ, episcopi & superiores committentes hanc Simoniam, interdictum ingressus in ecclesiam, inferiores autem excommunicationem reservatam incurrunt, & præterea ille, qui beneficium Simoniace accepit, non tantum inhabilis fit ad idem beneficium postea obtinendum, sed etiam omnibus beneficiis prius obtentis privari debet.

Haud abſimiles pœnæ in Simoniam, quæ in ingreſſu in religionem incurritur, ſtatuuntur, excommunicatio ſummo pontifici reſervata dantibus & recipientibus impoſita, & ſuſpenſio conventus ab officio. Item inhabilitas profeſſi ad manendum in illo monaſterio, juxta Extravag. I. h. t.

§. CVII.

De homicidio voluntario & caſuali.

Eccleſia alia etiam crimina coercet per pœnas ſuas ac primo, quæ vitam & necem ſeu homicidium concernunt, a ſanguinis effuſione aliena, reos ab eccleſia & ordinibus ſacris arcet.

Hactenus de criminibus, quæ proprie eccleſiaſtica vocantur, quorum judicium & cenſura præciſe ad eccleſiam ſpectat, egimus; deinceps S. RAYMUNDUM de PENNAFORT in compilatione decretalium ſecuti, ea etiam proſequemur, quæ juſto ordine refert, ad ſecundam tabulam pertinentia. Ac primo ratione vitæ & necis multi ſe mutuo conſequuntur tituli, in quibus ea potiſſimum tractantur, quæ ad eccleſiaſticam cenſuram pertinent; cum alias hæc ſcelera profani fori ſint, & a judicibus ſæcularibus puniantur.

Non nunc loquimur de veteri eccleſiæ diſciplina pœnitentiæ publicæ, & audientiæ epiſcopalis, quando præſertim tempore eccleſiæ oppreſſæ juxta apoſtolum etiam de rebus ſæcularibus judicavit eccleſia, & poſtea ſub imperatoribus chriſtianis idem diu exercuit: & quamdiu externum cum interno fuit conjunctum

ctum forum, indiſcriminatim de omnibus peccatis judicavit; nec poſtea hanc abjecit poteſtatem: *Nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat*, ſunt verba INNOCENTII III. *quin officium noſtrum ſpectet, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet chriſtianum, & ſi correctionem contemſerit per diſtrictionem eccleſiaſticam coercere.* Sic ergo contingit rem a foro interno ad externum referri, a privato, in ſacro tribunali, ad publicum judicem eccleſiaſticum, non ſolum per reſervationes & cenſuras, quibus enormiora peccata ſubjiciuntur, verum etiam titulo correctionis, præventionis & concurrentis judicis, fori item competentis quoad perſonas eccleſiaſticas, item effectuum ſpritualium, ac pœnarum e. g. privationis eccleſiaſticæ cenſuræ, & irregularitatis. Sic tit. *De his qui filios occiderunt*, pontifex ita pœnam moderatur, ut continentiæ & juribus conjugii ſalutique aliorum filiorum ſit conſultum: & parentibus, filios in lecto opprimentibus pœnitentiam præſcribit. Sequenti titulo cap. un. *de infantibus & languidis expoſitis* decernit GREGORIUS IX. filiumfamilias liberum a patre expoſitum a patria poteſtate, (uti in quantum ad oneroſa) liberum vel ſervum a patrono vel domino expoſitum, in ingenuitatem & libertatem vindicat. Pertinent hæc ſingulariter ad eccleſiam, cui ſemper cura ſingularis fuit circa ejusmodi perſonas, ut ſuo loco diximus, & GRATIANUS legi poteſt diſt. 87. Integra. Qui alibi etiam hoc refert eccleſiaſticæ pietatis argumentum, quod eccleſia, quæ ſufficientes reditus habet, infantibus expoſitis alimenta præſtet.

De Judic. c. 13.

C. 70. cauſ. 12. q. 2.

Sequitur copioſior *de homicidio voluntario vel caſuali* titulus ad hoc potiſſimum,

ut distinctis causis & casibus, in quibus licitum vel illicitum, voluntarium vel casuale est homicidium de illius pœnis ecclesiasticis præsertim irregularitate justa decernantur. Semper ecclesia abhorruit ab omni sanguinis effusione, nece & mutilatione, unde a sacris ordinibus exclusi semper fuerunt, qui vitam ac membra eripuerunt, vel judicium tantum sanguinis fecerunt, aut militiæ fuerunt addicti. Et quidem milites pugnantes in bello injusto, ex quo cædes factæ sunt, fiunt irregulares, licet ipsi neminem occiderint; pugnantes autem in bello justo irregulares fiunt, si quem occiderint. Quodsi dubitent, an in tumultu aliquem occiderint, tutius est eligendum, & ab ordinibus usque ad dispensationem abstinendum. Nec tamen irregularitatem incurrunt, qui contra invasores reipublicæ vel civitatis necessitate coacti pugnant, cum sint in periculo vitæ, juxta laudatam Clementinam. Pariter invasus ab altero, dum imminet vitæ periculum, si invasorem mutilet & occidat, non fit irregularis, nisi moderamen inculpatæ tutelæ excesserit. Spectatur ergo, an fur vel latro comprehendi absque occisione potuerit; an vero sine odii meditatione se suaque liberando quis occiderit, qui ab omni pœnitentia immunis est. Pariter nocturnus fur impune occidi potest, diurnus vero, quando telo se defenderit. Varii etiam casus occurrunt, & *h. t. de homicidio* deciduntur, circa vulnera illata, de quibus non constat, an lethalia fuerint, vel a quonam lethale vulnus sit illatum. Imprimis proposito exemplo S. THOMÆ Cantuariensis variæ expenduntur circumstantiæ. In laudata Clementina pariter ad eas attenditur circumstantias, an quis

C. 6. §. ult. h. t. c. 5. de pœnis. Clement. unic. h. t.

C. 24. h. t.

C. 2. h. t.

C. 3. h. t.

C. 11. c. 12. C. 18. h. t.

Cap. 6.

rei

rei licitæ vel illicitæ dederit operam, quando agitur de occisione vel mutilatione sine dolo præter intentionem facto; quod in decretalibus GREGORII IX. variis exemplis illustratur: e. g. an licito tempore & modo aliquid factum, vel an in disciplina excessum? An ludi puerilis occasione, a clerico contra honestatem externam cum laicis suscepti? An loco non interdicto quid peractum? An equo insederit, cujus vitium noverat? An artem chirurgicam exercuerit? An debitam vigilantiam & attentionem in actu licito adhibuerit? Plures autem circumstantiæ & casus sunt, quibus ad homicidium mere casuale non incurritur irregularitas.

c. 7. h. t. *c. 8. h. t.* *c. 15. h. t.* *c. 16. h. t.* *c. 25. h. t.* *CC. 9. 13. 14. 23. 25. h. t.*

Subsequuntur nonnulli huc pertinentes tituli, ac primum *de torneamentis*, in quibus milites nobiles ex condicto convenire solebant, in nundinis nimirum vel feriis; & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temere congrediebantur: *unde mortes hominum & animarum sæpe proveniunt*, quæ sunt verba ALEXANDRI III. ubi hæc torneamenta prohibet sub pœna privationis ecclesiasticæ sepulturæ, si quis ex pugnantibus in tali torneamento decesserit, etsi pœniteat, & prius a peccatis absolvatur. Sequitur titulus de clericis pugnantibus in duello: quia olim hoc genus pugnæ ad testimonium etiam veritatis adhibebatur; ecclesia autem deinceps, clericis præsertim, severissime prohibuit, sive sponte duellum obtulerit quispiam, vel oblatum susceperit, sive victor sive victus fuerit, de rigore juris merito deponendus: ut tamen, si ex duello homicidium vel membrorum diminutio subsecuta non sit, episcopus cum eo possit dispensare. Et si presby-

C. 1. de Torneam.

C. 1. de cler pu.

gnantibus in duello. C. 2. eod. tit.

ter loco sui constituat alium pro duello, quamvis moribus patriis permisso v. g. ad convincendum furem de furto; si tamen adversarius occiditur, nihilominus vere homicida est, & irregularis efficitur, quoad actus ordinis, licet per dispensationem in beneficio, quod habet, relinqui possit. Sequenti titulo de sagittariis sub anathemate prohibetur, ne ars illa mortifera & odibilis balistariorum & sagittariorum adversus christianos & catholicos exerceatur.

§. CVIII.

De adulteriis &c.

Divinis insistendo legibus jus canonicum de adulteriis & stupro decernit, non secundum leges judiciales Judæorum præcise, sed circumstantias singulares juxta legem CHRISTI.

Refertur *cap. 1. h. t. Exodi XXII. 16.* locus juxta vulgatam nostram: *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Textus hebraicus dotem in primo illo membro disjunctim non exprimit, repetita voce מהר *Mabor* usitata emphasi in hac lingua. Fuerunt quidem nonulli antiquiores canonistæ decepti, ut copulative sumerent, imponerentque defloratori & dotandi & ducendi obligationem; sed nunc comuniter alternative accipitur, ut deflorator vel ad matrimonium, vel ad dotationem, si matrimonium respuat, compella-

pellatur, quod ad litteram congruit legi leviticæ. Mox tamen *cap. seq.* ex S. GREGORIO aliquid superadditur novæ censuræ; *Pervenit ad nos, quod FELIX quandam virginem stupro decepit: Quodsi verum est, quamvis esset de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit, uxorem habeat: aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterio in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia.* Non equidem usu tenuit iste rigor; semper tamen tum stuprum cum fornicatio in utroque foro ecclesiastico & profano speciali pœnæ fuerunt subjecta arbitrariæ; eo discrimine, ut non æque fornicatio, quam stuprum, quod est defloratio virginis, obstringatur ad ducendam vel dotandam: quin tamen fornicatio simplex impune sit crimen jure canonico, sicut olim fuit jure civili, imprimis concubinatus, severis ecclesiasticis pœnis præsertim in concilio Tridentino subjectus, tam in solutis, quam uxoratis, *cujuscunque status, dignitatis & conditionis existant, si postquam ab ordinario etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse: a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint &c.*

C. 2. h. t.

Sess. XXIV. de reform. matrim. c. 8.

Pertinet ad puritatem legis evangelicæ contra has immunditias severius agere, econtra vero mitigare duritiem antiquæ legis Mosaicæ circa adulteria, quin tamen turpi crimini repagulum remittatur. Statuitur ex concilio Arelatensi: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed per-* *C. 3. h. t.*

manet

manet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps. Quodsi mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem. Et ex concilio Parisiensi, licet maritis uxores suas etiam ex sola gravi suspicione, ac præsumtione, de adulterio accusare. Quando uxor adultera ad liberius adulterandum sponte a viro suo discessit, per excommunicationem quidem compellenda est ad relinquendum adulterii complicem; sin tamen dimisso adultero petat restitui marito, hic non tenetur eam recipere, etiamsi convincatur, etiam ipsum commisisse adulterium. Si autem uxor adultera non sponte a marito discesserit, sed ab eo fuerit ejecta, tenetur pœnitentem recipere, quando etiam ipse convincitur commisisse adulterium, cum paria delicta mutua compensatione tollantur. Hinc si uxor committat adulterium, & maritus, antequam uxorem adulteram dimiserat, etiam ipse committat adulterium, marito nequidem conceditur, ut uxorem dimittat, si ea agat pœnitentiam, & ratione commissi delicti humiliter precetur veniam. Antea fuit relatum responsum ALEXANDRI III. de muliere accusante presbyterum, quod cum eo sæpe in ecclesia adulterium commiserit, ut quidem reconcilietur aqua benedicta ecclesia, presbytero autem accusato, si crimen neget, permittatur purgatio canonica cum quinta manu presbyterorum vicinorum, quos episcopus nolle pejerare cognoverit. In aliis locis juris canonici & bullarum pontificiarum aliis etiam impuritatis speciebus pœnæ indicuntur, Sodomiæ imprimis, ac excommunicationis quidem in laicis

C. 4. *h. t.*

C. 6. *h. t.*

C. 7. *h. t.*

C. 5. *h. t.*

C. 13. *de vita & honest. cleric.*
C. 4. *de excess. prælatorum.*

laicis, privationis autem beneficiorum & depositionis in clericis. Imo *Constit. P I I V.* 1568. ecclesiastici omni privilegio clericali, omnique beneficio, dignitate & officio ecclesiastico privantur.

§. CIX.

De raptoribus &c. furtis, usuris.

Quoad bona fortunæ ac præcipuas injustitiæ species deinceps prosequitur RAYMUNDUS in collectione decretalium de raptoribus, incendiariis & violatoribus ecclesiarum, de furtis & usuris imprimis copiose.

Qui ordinem in collectione decretalium carpunt, huc intendant animum, ubi pro gradu bonorum vitæ, corporis, & fortunæ, ut vocantur, commode omnia sese consequi deprehendent. Ac primum de illis agit, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas & deprædationes peragunt, ut ab illius loci prælato excommunicentur, nec ante ex parochia illa exeant, quam digne, quæ perpetrarunt, emendent: quorum excommunicatio proprio episcopo significanda est, ne eos recipiat, antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plene emendent. Simili excommunicatione feriuntur, qui Romanos aut alios christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis navigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Qui vero naufragium passos rebus suis spoliant, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere. Commiserat

cap. 1. h. t.

C. 3. h. t.

rex

rex Siciliæ episcopis in suo regno puniendos, dum Saraceni, mulieres christianas & pueros rapiunt & eis abuti præsumunt, & quosdam etiam interdum occidere non verentur. Vult autem pontifex tales pecuniaria pœna mulctari & etiam flagellis affici, ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur. *Si vero ita fuerit gravis excessus, quod mortem vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindicta reservetur regiæ potestati.* De illis vero, qui violenter surrexerint in rapinam, sive ecclesiarum violationes, nisi prius ablata restituant, si possint, vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerint, beneficium pœnitentiæ penitus denegari statuitur. Si quis usque ad obitum in contumacia sua duraverit, & in extremis positus, remedium tamen pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia & sepultura concedatur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit vel emendaverit, & in morte securitatem præstare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum prodesse videtur pontifici; sed de peccato contrito viaticum non negetur, ita tamen, ut nullus clericorum sub pœna depositionis sepulturæ illius intersit, nec ejus eleemosynam præsumat accipere. Incendiarius autem ecclesiarum, qui in morte pœnituit, & ab excommunicatione fuit absolutus, non tamen consecutus sepulturam ecclesiasticam, permittitur a papa ad instantiam hæredum in cœmeterio sepeliri; si his, quibus per incendium vel alio modo damna intulit, satisfaciat condigne, ut a peccato valeat liberari.

C. 4.

C. 2. h. t.

C. 5. h. t.

Sub-

Subduntur decretales quædam de raptu ſponſarum, qualis dici non debeat, qui fœminam conſentientem abſtrahit a parentibus, quamvis reclamantibus; aut quando puella ab initio quidem ad ſui abductionem diſſentit, poſtmodum vero, loco reddita tuto, ultro conſentit. Sed raptus tunc committi dicitur, quando cum fœmina, quæ abducitur a parentibus invitis, nihil prius de nuptiis tractatur. Hinc ſi puella ab invitis parentibus abducta conſenſit in ſponſalia, & dein cum raptore in locis, ubi valet matrimonium clandeſtinum, conſummavit matrimonium, debet viro ſuo reſtitui, etiamſi a parentibus foret detruſa in monaſterium. *C. 6. & ſeqq. h. t.*

De furtis præmittitur lex Exodi contra plagium, ſubſequitur canon ex concilio Triburicenſi, fures & latrones ſi in furando vel deprædando occiduntur, pro eis non eſſe orandum. Sed, addunt patres, ſi comprehenſi, aut vulnerati presbytero vel diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus. Ex pœnitentiali THEODORI ſubditur: Si quis propter neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: & ſi reddiderit, non cogatur jejunare. De fure, qui calicem in eccleſia abſtulerat, permittit ALEXANDER III. *Quatenus ſi ſponte confeſſus fuerit, & exinde eccleſiæ cujus calix fuerat, ſatisfecerit, nec eſt ſuper hoc nota vel infamia maniſeſta reſperſus: poſt peractam pœnitentiam aut congruam partem pœnitentiæ ad ſacros ordines promovere.* Hinc concludunt auctores, irregularitatem contrahi, ſi infamia accedat ex notabilibus furtis. Alias pœna furti notabilis aut iterati in clerico eſt depoſitio. *C. 2. de furtis.* *c. 5. h. t.* *C. Presb. 12. diſt. 81.*

Poteſt

C. Cum non ab homine 10. de judiciis.

Poteſt autem epiſcopus clericum ob furta depoſitum iterum reſtituere, & ad ordinem habilitare. *C. Etſi clerici* 4. §. *de adult. de judiciis.*

C. 4. de uſuris. c. 7. h. t.

C. 1. h. t. in 6.

C. 2. h. t. in 6.

De uſuris jus canonicum ſtrictiſſime & ſeveriſſime agit, tanquam crimine utriusque teſtamenti pagina deteſtabili. ALEXANDER III. in concilio Lateranenſi an. 1179. ſtatuit, ut uſurarii manifeſti nec ad communionem altaris admittantur, nec eccleſiaſticam accipiant ſepulturam: & ne eorum obligationes ſeu chirographa debitorum, ab eis quisquam accipiat. GREGORIUS X. renovans conſtitutionem Lateran. concilii laudati ſub excommunicatione omnibus principibus, & ſub interdicto omnibus collegiis prohibet, ne extraneis vel aliis non oriundis de terra ipſorum publice fænebrem pecuniam elocantibus permittant in terris ſuis domos conducere, vel habitare; privatis perſonis autem prohibet, ne illis domos locent, vel ſub quovis titulo concedant. Si principes per menſem in tali excommunicatione perſtiterint, terræ illorum ſubjaceant interdicto. Laici autem contravenientes ab epiſcopis per cenſuras compeſcantur. Idem ſub excommunicatione prohibet, ne quis uſurarios manifeſtos etiamſi in ultima voluntate de uſuris ſatisfieri præceperint, eccleſiaſtica ſepultura donet, antequam illis, quibus facienda eſt reſtitutio, actu ſatisfecerint, aut. de ſatisfaciendo ſufficiens præſtita fuerit cautio. Item: ne quis teſtamentis manifeſtorum uſurariorum interſit, aut eos ad confeſſionem excipiat, ſive illos abſolvat; niſi de uſuris ſatisfecerint, vel ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum idoneam coram deputatis ab ordina-

rio

rio vel parocho præstiterint cautionem; testamenta autem manifestorum usurariorum, aliter, quam dicto modo facta sint ipso jure irrita. Cum vero fœneratores plerumque soleant contractus suos usurarios occulte ac dolose inire, ita ut vix possint convinci de usura, censura ecclesiastica compellendi sunt ad exhibendos suos codices rationum, ubi de usura accusantur vel inquiruntur, uti statutum est in concilio Viennensi sub CLEMENTE V. In foro enim externo non aliter, quam per confessionem judicialem, aliasque legitimas probationes, aut per rei evidentiam convictus quis condemnatur: cum ecclesia & alii judices externi non judicent de internis. Secus se res habet quoad forum internum circa restitutionem, non solum ob realem, sed etiam mentalem usuram, quando creditor non fuisset aliter pecuniam daturus indigo debitori, nisi ipse debitor vicissim, vel sine omni pacto, vel ex pacto aliquo simulato, quoad externam speciem non usurario, creditori concessisset.

C. ex gravi b. t. Clement.

C. 10. b. t.

§. CX.

Sequuntur fraudum diversa genera, maxime causas, instrumenta & judicia publica corrumpentium, idcirco in jure canonico cumprimis præcavendorum.

De crimine falsi &c.

Sunt qui, quæ nunc primum attigimus criminum genera, ceu ad jus canonicum, separato foro externo ab interno, sacro a profano, minus pertinentia, posthabeant in tractatione juris canonici. Injuria id quidem, sive amplitudo fori ecclesiastici spectetur, sive ipsa sacra judi-

cia, imprimis ne qua fallacia & fraude corrumpantur; quod imprimis cavetur titulo *de crimine falsi*, recto nunc insequente ordine, ubi de quadruplici agitur falsificatione, testium, litterarum, sigillorum, auri ac monetæ publicæ. Ex S. ISIDORO refertur, quam sit obnoxius falsificus testis primum DEO, cujus præsentiam contemnit: inde judici, quem mentiendo fallit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Ex concilio Agathensi GRATIANUS justam & capitalem falsificantium pœnam designat: *Si episcopus, presbyter aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus in monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.*

C. 1. de crimine falsi.

C. 7. dist. 50.

Emersit proxime elapso sæculo bellum diplomaticum, quo fides diplomatica ab illis potissimum in dubium vocari potuit videri, quibus minus vetera diplomata temporum injuria proderant; sed id utilitatis maxime inde emersit, ut genuinæ ac certæ dignoscendorum verorum a falsis diplomatibus notæ ac regulæ statuerentur. Varii modi, quibus litteræ pontificiæ falsificari possint, aut falsæ deprehendi INNOCENTIUS III. designat, & pœnas gravissimas decernit: „ Nos enim (inquit) omnes falsarios litterarum nostrarum, qui per „ se, vel alios vitium falsitatis exercent, cum „ fautoribus & defensoribus suis anathematis „ vinculo decernimus innodatos: statuentes, „ ut clerici, qui falsarii fuerint deprehensi „ omnibus officiis & beneficiis ecclesiasticis „ perpetuo sint privati: ita quod qui per se „ falsitatis vitium exercuerint, postquam per eccle-

C. 5. & 6. 9. h. t.
C. 7. h. t.

ecclesiasticum judicem fuerint degradati sæ- „
culari potestati tradantur, secundum consti- „
tutiones legitimas puniendi: per quam & „
laici, qui fuerint de falsitate convicti, legi- „
time puniantur. Qui vero sub nomine no- „
stro litteris falsis utuntur, si clerici fuerint; „
officiis & beneficiis ecclesiasticis spolientur: „
si laici, tamdiu maneant excommunicationi „
subjecti, donec satisfaciant competenter. „
Hæc pœna in eos etiam statuitur, qui ignoranter falsis litteris se usos dixerint, si non prius diligenter examinent. Ideo LUCIUS III. Vigoriensi episcopo rescribit: *Ut quotiens aliqua scripta, sub nomine nostro destinata, redarguenda videris falsitatis, nullam eis adhibeas fidem: & quod per ipsas mandatum fuerit, non observes: sed eum, qui præsentaverit, retineri facias diligenter.* Ex concilio Agathensi patet inter crimina capitalia hoc fuisse relatum; hinc etiam INNOCENTIUS III. degradatum falsarium clericum sæculari potestati tradi vult. URBANUS III. autem jam antea pœnæ genus determinavit: Ut eis nec membrum auferatur, nec pœna infligatur corporalis, per quam periculum mortis possint incurrere; sed a suis ordinibus degradatis, in signum maleficii character aliquis imprimatur, quo inter alios cognoscantur: & provinciam ipsam abjurare compulsi, abire permittantur.

C. 2. *h. t.*

C. 3. *h. t.*

Qui sequitur de sortilegiis titulus aliorsum pertinere videtur, egimusque de electione, de sortium genere, quod illic adhiberi solitum, hic decretali HONORII III. prohibetur; commode tamen huc revocatur impostorum hoc genus, qui consultoriis ac divinatoriis sortibus se aliosque decipiunt.

C. 3. *de sortil.*

Opportunius adhuc ſubditur titulus *de colluſione detegenda*, quæ eſt occulta & fraudulenta conventio inter duos aut plures, qua per diſſimulationem & mendacium id agitur, ut veritas criminis vel negotii in fraudem legis tegatur, & aliorum ſenſibus illudatur: Veluti, quando inter accuſatorem & accuſatum, delinquentem & inquiſitorem, ſeu teſtes, interveniente pretio & fraude, id agitur, ut accuſatus abſolvatur. Aut quando clericus alteri clerico beneficiato ex condicto ac colluſione movet litem de beneficio, & dein ficte cum illo tranſigit, ut pro ceſſione ſui juris obtineat ab altero annuam penſionem, & poſt ejus obitum illi in beneficio ſuccedat, qua detecta fraude ambo beneficiis perpetuo ſpoliantur. Tale colluſionis genus tit. de filiis presbyterorum ordinandis vel non, perſtringitur, ne liberi in beneficiis paternis ſuccedant.

C. 1. & 4. *de colluſione deteg.* C. 3. *eod. t.* C. 2. 3. 5. 7. 9. 13.

§. CXI.

De coercitione clericorum præſertim ob neglectum muneris ſacri.

Præter communia crimina etiam laicis, in clericis peculiaria ſunt circa miniſterium ac ordinem ſacrum, quibus veteri & nova diſciplina ac jure pœna ac cenſura eccleſiaſtica pro qualitate delicti infligitur.

Crimina, quæ in laicis excommunicatione, in clericis pro qualitate delicti aut temporaria aut perpetua muneris ſacri interdictione punita fuerunt: vel ſi atrox eſſet & cum ſcandalo conjunctum etiam excommunicatione. Huc referri poſſunt ea, quæ ex veteribus canonibus juxta decalogi ordinem collegimus

princi-

principia theologiæ moralis tractantes. Quoniam vero nunc principia theologiæ canonicæ præ manibus sunt, quæ exteriorem ecclesiæ statum & disciplinam circa res & personas sacras attinent, pauca delibare libet, quæ canones ecclesiastici in hierarchico munere sacroque ministerio, si quid delinquatur, aut negligatur, coercent pœnisque ac censuris perstringunt: *Certum tenentes, quod qui probibita deprebensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint periculum subituri proprii sint honoris.* Quæ sunt GELASII P. verba celebri ad episcopos Lucaniæ &c. epistola: ubi in hoc totus est, ut regulas præfigat ministerii sacri juxta ecclesiasticos canones, quos sequi necesse sit: *Cum enim decreta venerabilium sanctionum,* inquit, *nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, quæ pro alicujus utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus &c.* Ita se stringi fatetur, & similiter alios præsules sui muneris admonet in censura ecclesiastica erga commissum sibi clerum, ut si aliquid inique ultra modum usurparint sacerdotes, presbyterii dignitate & sacra communione priventur. *Quod*, inquit, *fieri necesse est censeamus, si eorum præsule deferente, bujusmodi fuerit prævaricatio comprobata, nec ipso eorum episcopo a culpa conniventiæ & ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare.* Hoc primum in disciplina & censura ecclesiastica est, ut suum quisque rite obeat munus, & si excedat, coerceatur.

Epist. 9. *c.* 5.

Ib. c. 8.

Ib. c. 6. & 7.

Hic necessarius est canonum ecclesiasticorum usus, quos servari omnino oportebat, & id negligentibus pœnæ & censuræ ecclesiasti-

C. 14. cæ infliguntur: *Si quis*, habet concilium Carthaginense I. *statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est communione, si clericus est, honore privetur.* Infinitus essem, si omnes in eandem rem canones recensere vellem, qui aut idem jubent sub districtis pœnis, aut reipsa ea pœnarum severitate utuntur, in quibuscunque causis & materiis ecclesiasticis. Quibus de causis omnes sacri sunt habiti conventus, & præsulibus etiam necessitas imposita, ut illis

Can. 19. adessent: *Si quis adesse*, decernit concilium Arelatense II. *neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam concilium dissolvatur, crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.* Et

Can. 6. concilium Tarraconense: *Si quis episcoporum, commonitus a metropolitano ad synodum, nulla gravi intercedente necessitate corporali, venire contemserit, sicut statuta patrum censuerunt, usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communione privetur.*

Constituebantur in conciliis hujusmodi omnia, quæ ad rem ecclesiasticam pertinebant, & in communi tractabantur: consilia inibantur, ac decreta edebantur, secundum quæ quisque præsul regere ecclesiam ac omnia ordinare debebat, quæ commissum sibi gregem & ecclesiam spectabant. Quod qui negligebat, omnino censuræ ecclesiasticæ subdebatur, pœnis adigendus, aut ab officio abji-

Can. 58. ciendus: *Episcopus*, inquit canon apostolicus, *aut presbyter, clerum vel populum negligens, & non docens eos pietatem, segregetur: si autem in socordia perseveret, deponatur.*

Hinc

Hinc vetitum ſub eadem pœna alio canone apoſtolico, alienas occupationes aucupari, unde negligi ſacra neceſſe eſſet: *Non oportet, ut episcopus ſe in publicas adminiſtrationes demittat, ſed eccleſiaſticis uſibus vacet. Aut igitur perſuadeatur hoc non facere, aut deponatur. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire; juxta dominicam admonitionem.* Can. 81.
Concilium Carthaginenſe I. in eandem rem illud apoſtoli uſurpat: *Nemo militans DEO, ingerit ſe negotiis ſæcularibus;* & eandem cenſuram jungit: *Proinde aut clerici ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſint ſine officio clericorum.* Can. 5.
Eadem pœna decernitur in concilio Toletano I. in clericum officium ſacrum negligentem, ſi caſtigatus non emendaverit: *Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quilibet eccleſiæ deputatus clericus, ſi intra civitatem fuerit vel in loco, in quo eccleſia eſt, aut capella, aut vici ſunt, aut villæ, ſi ad eccleſiam aut ad ſacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, ſi caſtigatus, per ſatisfactionem veniam ab epiſcopo noluerit promereri.* Firmat hunc canonem lex JUSTINIANI codicis, jubens, eos, qui inventi non fuerint inculpate in liturgiis perſeverantes, extra clerum conſtitui. *Lib. I. tit. 3. de epiſc. l. 42. §. 10.*
In concilio Toletano IV. variis canonibus variæ conſtituuntur pœnæ in eos, qui vel partem aliquam publicæ liturgiæ neglexerint. Varii etiam habentur canones, & cenſuris coercentur, qui propriam ſuam eccleſiam deſeruerint clerici, aut uſurpati ab epiſcopis fuerint. „Si quis presbyter (inquit canon apoſtolicus) aut diaconus, relicta paræcia ſua ad aliam abierit; „ & cum migraverit penitus, in alia paræ- „ Can. 12.

„ cia præter epiſcopi ſui voluntatem manſe-
„ rit; hunc jubemus non amplius ſacris mi-
„ niſtrare; præſertim ſi epiſcopo ad reditum
„ hortanti non obtemperaverit, in ordinis de-
„ ſertione perſeverans: illic autem veluti lai-
„ cus communicet. Sin vero epiſcopus, a-
„ pud quem verſatur, pro nihilo ducens ad-
„ verſum eos decretam ceſſationem a mini-
„ ſterio, receperit eos tanquam clericos, ſe-
„ gregetur, ut magiſter turbati ordinis. „ Et
Can. 16. concilium Nicænum: *Sin auſus fuerit quiſpiam eum, qui ad alium pertinet, ſurripere, & in eccleſia ſua non conſentiente proprio epiſcopo, a quo receſſit, qui in canone cenſetur, irrita ſit ordinatio.* Similia habet
Can. 15. concilium Sardicenſe. Et concilium Arelatenſe gravem ſtatuit pœnam: „ Nullus cujus-
„ cunque ordinis clericus, non diaconus,
„ non presbyter, non epiſcopus, quacunque
„ occaſione faciente, propriam relinquat ec-
„ cleſiam; ſed omnimodis aut excommuni-
„ cetur, aut redire cogatur. Quodſi aliquo
„ commorationis tempore invito epiſcopo ſuo,
„ in aliena eccleſia habitans, ab epiſcopo lo-
„ ci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi or-
„ dinatio irrita habeatur. „ Non ſolum qui ſedem ac eccleſiam, ſed etiam qui tribunal ac judicium eccleſiæ effugerit, ſevere punitus fuit, & cenſuræ eccleſiaſticæ innodatus: *Si quis epiſcopus vel presbyter*, habet canon concilii Antiocheni, *non Ariani*, *ſed catholici*, ut SCHEELSTRATIUS peculia-
Can. 11. ri opere demonſtravit de concilio Antiocheno, *vel omnino ex canone, citra ſententiam & litteras epiſcoporum provinciæ & maxime metropolitani ad imperatorem proficiſci aggreſſus fuerit, is abdicetur & ejiciatur*

non

non solum a communione, sed etiam a dignitate, cujus est particeps. Et mox: *Si quis a proprio episcopo depositus presbyter, vel diaconus vel episcopus a synodo, ausus fuerit imperatoris auribus molestiam exhibere, quum oporteat ad majorem synodum converti, & jus, quod se habere putat, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem & judicium suscipere: qui itaque iis contemtis imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus, neque sui defendendi locum habeat, nec restitutionis futurae spem exspectet.*

Sed de his satis, possentque innumera afferri censurae ac rigoris ecclesiastici specimina in clericos sui muneris ac ministerii negligentes, quibus aut excommunicationis, potissimum autem depositionis & suspensionis pro delicti ratione & gravitate censura est inflicta, ac infligi hodieque solet, aut medicinalis aut poenalis in poenam ac vindictam delicti, quae in jure frequentissima est.

§. CXII.

Delicta personis ecclesiasticis propria ad jus canonicum praecipue spectant, de quibus hic agit compilator ad dignitatem & ordinem sacrum imprimis spectantibus. De delictis personarum ecclesiasticarum.

Post delicta communia, quae ab omnibus committi possunt, ad singularia descendit S. RAYMUNDUS; praemissoque brevi titulo de delictis puerorum, ut sciatur, in quibus delinquere, & quousque eorum delicta puni-

ri possint, ad clericos fit gressus; primusque de clerico venatore occurrit titulus; non quod omnis venatio eis sit interdicta; illis præsertim, quibus possessiones sunt silvarum, & annexa venandi jura: quomodo CLEMENS V. monachis quidem venationes interdicit, *nisi saltus, vivaria, vel garenas proprias, vel jus venandi in alienis haberent, in quibus cuniculi vel feræ aliæ forsan essent*, quo casu hoc eis permittitur: dum tamen intra monasteria seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem. Hoc autem titulo clericis canes, accipitres aut falcones, venationes, quæ vocantur clamosæ, ac silvaticæ vagationes cum canibus interdicuntur, gravitati & muneri clericali adversæ: *Quodsi quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit: si episcopus est tribus mensibus a communione: si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni munere suspendatur.*

Clement. c. 1. §. de statu monach.

C. 1. de clerico venat.

Apud GRATIANUM *distinctione* 45. *&* 46. episcopi & ecclesiastici, ut non sint percussores aut litigiosi, sed modesti juxta apostolum & canonum præscriptum monentur, pariter ac hoc titulo de clerico percussore agitur: ubi ex concilio Agathensi statuitur: *Si quis in aliquo gradu percussor extiterit, corripiatur a crimine: & si non emendaverit, deponatur. Et si quando a prælatis vel judicibus & superioribus contra delinquentes corporalis castigatio adhibenda sit, misericorditer est agendum, & rigor mansuetudine est temperandus.* Diximus superius, quando incurratur irregularitas ex percussione & conflictu: quo pertinent etiam h. t. posteriores duo

C. 1. de clerico percuss.

C. 2. de adult. C. 4. de raptoribus.

C. 9. 10. 11. dist. 45.

duo decretales, altera ALEXANDRI III. altera CÆLESTINI III. de clericis, qui interfuerunt conflictui pro parte violentiam reprimentium.

Proximus de maledicis titulus a loco alienus haberi non debet, cum in editione Gonzaletiana inscribatur *de clericis maledicis.* Et prima decretalis CLEMENTIS III. expressa est contra clericum, qui multis coram adstantibus verba quædam in depressionem officii & beneficii papalis ac Romanæ ecclesiæ protulit; altera ac sola decretalis GREGORII IX. generalior pœnam statuit, si quis contra DEUM, vel aliquem Sanctorum suorum & maxime beatam Virginem linguam in blasphemiam publice relaxare præsumpserit.

De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante *per contemtum & superbiam*, distinguitur, utrum majori excommunicatione vel interdicto innodatus fuerit, aut minori; priori in casu si commonitus sine dilatione non desistit, perpetuæ depositionis sententiam incurrit, & irregularis fit, nisi per Romanum pontificem cum eo dispensetur. Debet autem actum sui ordinis proprium exercere e. g. missam celebrare &c. Ille vero qui minori excommunicatione tantum est innodatus, peccat quidem graviter, irregularitatem tamen non incurrit. Quodsi ex contemptu disciplinæ ecclesiasticæ hoc fiat, anathemate feriendus est, licet tantum minori excommunicatione sit innodatus: ut auctoritas disciplinæ ecclesiasticæ conservetur, a qua salus ecclesiæ dependet. Ignorantia probabilis etiam reddit excusabilem, juxta decretalem GREGORII IX. ad canonicos Pragenses, qui

C. 1. 3. b. t. *C. 1. de sent. & re judic. 16. c. 18. 20. de sent. excom. in 6. c. 5. & fin. b. t.* *C. fin. b. t.* *C. 9. b. t.*

qui tempore suspensionis ignari celebrarunt: *Caeterum*, inquit, *si forte ignorantia crassa & supina aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apostolica indulgemus.* ALEXANDER III. aliam etiam tangit mitigandae severitatis causam, si multitudo magna in hoc peccaverit: quando, qui magis causa delicti extiterunt, perpetua depositione condemnandi decernuntur; alii qui non tantum deliquerunt, ab officio ad tempus suspendendi, poenitentia singulis conveniente imposita.

C. 4. h. t.

Adhuc grandius delictum est, si non ordinatus sacra obeat munia. Et quidem si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de ecclesia, & nunquam ordinetur. Diaconus vero, qui, cum non fuerit ab episcopo ad sacerdotium admissus, nihilominus finxit, se fuisse in presbyterum ordinatum, & missas celebravit, postquam suum crimen fassus est prohibetur ad sacerdotium amplius promoveri, a diaconatu per biennium vel triennium manens suspensus, poenitentia congrua corrigendus: quin tamen beneficio penitus privetur, ne sustentatione privatus ad saeculi negotia revertatur. Hodie juxta bullam CLEMENTIS VIII. *Etsi*, qui missam celebrare, aut confessiones audire nondum ordinatus presbyter ausus fuerit, debet per inquisitores, vel locorum ordinarios tanquam ecclesiae misericordiae indignus e foro ecclesiastico abjici, & ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habet, degradari, atque a judicibus saecularibus pro merito puniri.

C. 1. de clerico non ordinato ministrante. C. 2. eod. tit.

Promotus per saltum ad sacerdotium praetermisso diaconatu, confessus se pro certo nescire,

ſcire, demandata digna pœnitentia, ea peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur) in diaconum ordinari curatur, & ſic in ſacerdotio miniſtrare. Sunt qui promotum per ſaltum putent abſolute irregularem; at communior eſt ſententia eſſe tantum ipſo jure ſuſpenſum; irregularem vero, ſi in ordine miniſtravit, tam ſuſcepto, quam quem ſuſcipere omiſit. Qui ordinem furtive ſuſcepit, ſuſpenſus eſt ab ordine ſuſcepto, & inſuper inhabilis redditur ad ſuperiores ordines ſuſcipiendos. *C. un. de clerico per ſaltem promoto.*

§. CXIII.

Non ſolum delicta coercet & punit diſciplina canonica; ſed etiam prælatorum & ſubditorum exceſſus in officiis ordinis, juxta æquitatis & juſtitiæ regulas. De exceſſibus prælatorum & ſubditorum &c.

Poſtquam S. RAYMUNDUS ordine canones & decreta pontificia collegiſſet de criminibus & delictis, ad exceſſus deſcendit prælatorum imprimis, quos in ſuo regimine pronum eſt committere, de quibus, quas reperit decretales hoc & ſequentibus titulis compilavit.

Prælatorum autem appellatione jus canonicum intelligit magiſtratum eccleſiaſticum, ac nobiliorem clerum juriſdictione eccleſiaſtica pollentem; ſubditorum vero nomine, qui prælatis ſubſunt & imperio reguntur. Unde ſubjecti quibusdam ſuperioribus, poſſunt aliis præeſſe inferioribus, ſecundum ordinem hierarchicum, in quo primum epiſcopi locum tenent: ne quid de ulteriore uſque ad ſupre-

mum

mum caput Romanum pontificem subordinatione dicam, de qua nihil hoc titulo occurrit. Ab episcopis autem exordium sumitur,

C. 1. de excess. prælat.

„ ut presbyteros, quasi filios & fratres benigna ac fraterna charitate foveant: tallias „ & exactiones indebitas exercere nullatenus „ præsumant, nec de cætero irrationabiliter „ gravent, vel inhoneste tractent eosdem, aut „ sine judicio capituli suspendant, vel eorum „ ecclesias, quarum una sufficiat, permittant „ illos tenere, nec aliquem excommunicare si- „ ne ordine judiciario præsumant. „ Nec potest episcopus ecclesias inferioribus prælatis subditas ab eorum jurisdictione eripere. Nec debet superior aliquid imperare inferiori contra privilegium ejus, nec tunc inferior tenetur parere, nec excommunicatio contra privilegium latum obligat, aut contra constitutionem superioris: ut si ecclesiarum prælati numerum evectionis & personarum in Lateranensi concilio constitutum, cum ecclesias visitant, excedere forte præsumserint, & pro illis procurationem exegerint, liberum sit auctoritate apostolica denegare.

C. 2. hoc t.

C. 5. h. t.

C. 7. h. t.

Contra non potest abbas sine consensu episcopi suum monasterium ordinario subjectum unire ac subjicere alteri monasterio, etiamsi in eam unionem consentiret archiepiscopus. Sicut enim unire & subjicere unum episcopatum alteri pertinet ad summum pontificem; ita ad episcopum pertinet unio & subjectio unius ecclesiæ sibi subditæ ad aliam sibi subditam. Archiepiscopus autem non debet in diœcesi sui suffraganei absque illius assensu aliquid hujusmodi contra constitutiones canonicas attentare. Abbatibus prohi-

C. 8.

prohibitum est in conc. Lateran. sub INNOCENTIO III. ne quæ sunt episcopalis dignitatis attentent, cognoscendo de causa matrimoniali, pœnitentias publicas vel indulgentias concedendo: nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujuscemodi se valeat tueri. C. 12. b. t.

In archidiaconis notatur excessus, si in ecclesias, quæ in suis archidiaconatibus vacant, se propria auctoritate intrudunt, eas occupant, occupatas detinent, eoquod jus custodiendi & instituendi ab antiquo eis concessum est. Si veluti independentes ab episcopo esse quæsierint: contra fidem homagii præstiti, & debitam reverentiam episcopum suum esse Dominum negaverint, ac contra eum in foro sæculari super rebus spiritualibus quæstionem deposuerint. C. 3. b. t. C. 15. b. t.

Vicarii excedunt, si fide & juramento neglecto *personatum* sibi falso assumunt, & contra *personas* se erigunt, rectores, nimirum principales. C. 6. b. t. C. 8. *de præscript.*

Magistratus, si clerum ad aliquid adstringat, quod nec petere magistratum, nec agere clerico liceret. C. 13. *de excess. prælat.*

Privati homines excedunt, si collegium erigant, sibi sigilla constituant, aliaque jura collegiorum attribuant sine licentia superioris. C. 14. b. t.

Varia etiam gravamina ordinum religiosorum ad Romanos pontifices sunt allata, quæ e medio tollere summi pontifices satagebant: quam in rem tum h. t. decretalium GREGORII IX. cum etiam BONIFACII VIII. in 6. varia responsa & indulta pontificum recensentur, multis articulis comprehensa. C. 16. 17. b. t. C. *cum ex eo b. t. in* 6.

Huc pertinet etiam sequens titulus *de novi operis denuntiatione*, qua intelligitur judicia-

dicialis contestatio ac exceptio apud episcopum contra constructionem novæ capellæ vel ecclesiæ, quam alius construi credit in suum præjudicium. Cujus effectus est, quod quis novum opus faciens ab opere desistere, & quidquid post nuntiationem ædificaverit, totum id suis sumtibus demoliri teneatur. Quod etiam civilibus legibus cautum est integro in digestis & codice titulo *de novi operis denunciatione*. Unde fatetur LUCIUS III. c. 1. h. t. ecclesiam hoc sumsisse: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. Igitur quod post denunciationem novi operis sive jure sive injuria construitur, de legalibus debet constitutionibus demoliri. Hinc negotium secundum legum & canonum statuta non differas terminare, cum te credamus in utroque jure peritum.*

§. CXIV.

De privilegiis & excessibus privilegiatorum.

Privilegiorum & exemptionum vel ipsum innuit nomen, variis in iis posse esse excessibus locum: qui restringendi sint, ne in immensum a legibus communibus deflectatur.

C. 3. dist. 3.

Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges. Nam privilegium inde dictum est, quod in privato feratur. Est enim privilegium jus vel indultum singulare in certæ personæ aut causæ gratiam a superiore constitutum. *Majores nostri*, inquit CICERO, *in privatos homines leges ferri noluerunt, id est privile-*

Lib. III. de leg.

vilegium. Quod dici etiam poteſt de antiquis eccleſiæ temporibus, quoad exceptiones illas a regulis communibus eccleſiaſticis, & exemtiones eas præſertim, quæ vocari ſolent *contra jus*, commune ſcilicet, & leges ordinarias. Unde ſunt ſtrictæ interpretationis: ſic enim volunt pontifices privilegiorum ſuorum ſervare tenorem privilegiatos, quod eorum metas transgredi minime videantur. Eſt tamen hic etiam diſtinctio inter privilegia, ea præſertim quæ vocantur clauſa in corpore juris, & inter data per ſpeciale reſcriptum: cum illa ordinarie perpetua ſint, & recipiant interpretationem, ac aliquando ex paritate rationis extenſionem, ſicut ipſæ leges communes; ſecus ac privilegia extra corpus juris, quæ ſunt temporalia & ſtrictæ interpretationis, nec extenduntur ultra perſonas, quibus conceſſa ſunt. Et quidem ſi *mere perſonalia* ſint, ſequuntur perſonam & cum perſona extinguuntur; ſi vero mixta certo corpori aut collegio perſonarum conceſſa, etiam ad ſucceſſores transmittuntur, & characteri ac dignitati inhærent, ſicut realia privilegia rebus, quibus conceduntur.

C. 7. de privil. & exceſſibus privileg.

Limites autem privilegiorum ex intentione ejus, qui privilegium conceſſit, colligi debent, & ſi de eorum tenore dubitatur, ante omnia ſunt inſpicienda, & ipſorum tenor eſt diligentius attendendus; teneturque privilegiatus privilegium ſuum exhibere, extra corpus juris per reſcriptum ſpeciale impetratum, quod cum ſit facti, ignorari poteſt. Secus eſt circa privilegium clauſum in corpore juris, quod judex non debet ignorare, & ſi contra tale privilegium privilegiato aliquid injungatur, non

C. 8. h. t.

C. 7. h. t. in 6.

tenetur privilegiatus obtemperare, ut paulo ante probavimus.

Ex c. 5. & 7. de excess. prælat.

Possunt etiam privilegia propter gravem excessum seu abusum & scandalum tolli, & unusquisque suo privilegio verbis vel factis renunciare: cum liberum sit unicuique suo juri renunciare, atque hinc etiam præscribuntur per usum contrarium, aut non usum. Sed difficultatem movent laudatæ Decretales 6. & 15. hujus tit. illa ALEXANDRI III. hæc INNOCENTII III cum ibi triginta, hic quadraginta annorum fiat mentio. Quin imo, cum illic facti tantum relatio quoad determinationem annorum, non juris dispositio fieri videatur, sunt qui omnia ad jus commune revocent; sed nec hic conveniunt, an ad decem, an vero ad quadraginta annos extendatur præscriptio. Ubi sunt, qui ita distinguunt, ad conciliandas contrarias doctorum sententias, ut illi, qui amissioni privilegiorum ex non usu quadraginta annos præscribunt, intelligantur de privilegiis semel receptis & usitatis, qui vero minori tempore v. g. 10. annorum contenti sunt, intelligantur vel de jure civili, vel etiam de jure canonico in privilegiis, quæ nunquam in usum devenerunt.

c. 3. h. t.
c. 6. h. t.
c. 15. h. t.

Vid. P. Engel. §. 3. ad h. t.

Expressior habetur BONIFACII VIII. declaratio circa præscriptionem pro privilegio speciali seu exemtione a jurisdictione ordinarii, quæ legitime est probanda: „ Si autem, „ (verba sunt pontificis) ad fundandam intentionem suam super hujuscemodi libertate „ solummodo præscriptionem canonicam duxerint opponendam: eisdem ordinariis vel „ delegatis ab eis viris prudentibus non suspectis de præscriptione hujusmodi facere debent fidem. Quodsi tales privilegio & præ-

C. 7. h. t. in 6.

„ scriptio-

ſcriptione aſſerant ſe munitos: privilegium „
quidem ipſum exhibeant, ut in primo hujus- „
modi conſtitutionis articulo ſuperius eſt ex- „
preſſum. Et ſi privilegium exhibitum non „
ad plenum per ſe ſufficiat ad exemtionem „
ſeu libertatem hujusmodi comprobandam, „
ſed tale eſt, quod ſaltem cauſam præbeat „
præſcribendi coram perſonis prædictis anno- „
rum XL. præſcriptionem teneantur probare, „
præſcriptionisque probatione pendente, li- „
cet ordinariorum intentio de jure communi „
fundetur, tamen quia de privilegio (quod „
ſaltem cauſam præſcribendi præbet) faciunt „
fidem, in libertatis vel exemtionis poſſeſſio- „
ne non violenta, non clandeſtina, non con- „
ceſſa precario, de qua fidem coram eisdem „
fecerint, non turbentur. Si vero privile- „
gium per ſe ſufficiens, quando ſolo privi- „
legio ſe defendunt, vel ſaltem tale, quod „
præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet, cum „
præſcriptionem allegant, non exhibuerint, „
ut eſt dictum: cum de jure communi or- „
dinariorum intentio ſit fundata, ſua jurisdi- „
ctione uti poſſint in eosdem libere: donec „
de præſcriptione canonica (ut præmiſſum „
eſt) fecerint plenam fidem. „

Poſtea idem BONIFACIUS VIII. di-
ſtinguit formulas privilegiorum, unde poſſit di-
gnoſci, an exemtio ſit indulta vel non: „ Si „ *C. 6. h. t.*
papa in aliquo privilegio vel ſcriptura non „ *in 6.*
facta principaliter ſuper donatione, vel ſen- „
tentia exemtionis ſeu libertatis, aliquam ec- „
cleſiam ad jus & proprietatem Romanæ eccle- „
ſiæ pertinere, vel conſimilia verba narret; „
non propterea illius eccleſiæ exemtio eſt „
probata, niſi de libertate aliter doceatur. „
Si autem eccleſiæ vel monaſterio exemtio- „

„ nis privilegium concedendo, vel ſuper ipſius
„ exemtione ſententiando (cum de ipſius ex-
„ emtionis negotio ageretur) afferat ipſam ec-
„ cleſiam fore exemtam: aut etiam juris bea-
„ ti PETRI exiſtere: ſive ad jus & pro-
„ prietatem Romanæ eccleſiæ, vel ad Ro-
„ manam eccleſiam ſpecialiter, aut ſine me-
„ dio, vel etiam ſimpliciter pertinere: per
„ hoc plene debet exemta hujusmodi eccle-
„ ſia judicari. „

In decretalibus GREGORII IX. ſeu compilatione decretalium S. RAYMUNDI varia notantur exceſſuum genera: ac primum ex eorum parte, qui privilegiis & exemtione abutuntur, & ea occaſione jura epiſcopalia invadunt: ubi ſpecialiter notantur fratres templi & hoſpitales, aliique religioſæ profeſſionis, quod indulta ſibi ab apoſtolica ſede excedentes privilegia, contra epiſcopalem auctoritatem multa præſumerent: quod eccleſias & decimas de manu laicorum ſine conſenſu epiſcoporum reciperent, easque per vicarios adminiſtrarent, reditus vero potiores inde redundantes ſuos facerent: quod in eccleſiis ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinebant, præter epiſcoporum conſcientiam inſtituerent, & amoverent ſacerdotes: quod excommunicatos & interdictos ad eccleſiaſtica ſacramenta & ſepulturam in ſuis cœmeteriis admitterent.

c. 3. h. t. — *c. 5. h. t.*

Viciſſim autem beneficiis & privilegiis pontifices pleniſſimam volunt eſſe interpretationem; ne nimirum eludatur indulgentia, & effectu ſuo careat.

c. 22. h. t. — *c. 26. & 30. h. t.*

CAP. III.

CAPUT III.

De pœnis ecclesiasticis.

§. CXV.

Accusatis ac infamatis de crimine jure canonico conceditur purgatio canonica per juramentum, ad probandam suam innocentiam; non vero, quæ vocatur *vulgaris* per duellum, ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam.

De purgatione canonica, & vulgari.

Juramentum purgatorium ad criminis suspicionem & infamiam abstergendam jure ecclesiastico secundum canones conciliorum conceditur, si fidelis quis sit, etiam clericis & regularibus utriusque sexus. Discimus ex S. AUGUSTINO jam suo tempore hanc purgationem in usu fuisse, manifesta divina vindicta in pejerantes. *Nos*, inquit, *novimus Mediolani apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad ejus locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.* Ipsemet ad similem purgationem recurrit, SPEM & BONIFACIUM mutuo se impuritatis accusantes ad sepulchrum S. FELICIS NOLANI destinando; sed juramenti impositi non fit mentio, clericis forte adhuc insueto.

C. 1. 2. 3. de purgat. canonic.

Epist. 76.

Quod tamen discimus ex GRATIANO a S. GREGORIO M. impositum fuisse, & susceptum etiam ab episcopis, qualia exempla apud eundem GRATIANUM referuntur ex eodem S. GREGORIO. Et SIXTI III. consequenter ponitur proprium exemplum, ac spontanea susceptio hujus purgationis: item LEONIS III. Jure decretalium imprimis auctoritate INNOCENTII III. solemnis fuit reddita hæc purgatio, & præscripta legitima forma, ut infamatus de crimine præstet juramentum tactis evangeliis, quod crimen non commiserit, & præterea alios honestos sui ordinis & conditionis, si haberi possint, vel in ipsorum defectu alios, juxta numerum arbitrio judicis taxandum, adhibeat, qui simul juramentum de credulitate deponant, quod cum habeant notitiam infamati, credant eum innocentem & verum jurare. Jubetur etiam judex se proniorem ad absolvendum, quam condemnandum exhibere, hinc non scrupulosius circa purgatores inquisitionem instituere: quamvis admitti non debeant, si minus honesti habeantur, aut verisimiliter amore erga infamatum aut pecunia corrupti. Compurgatores hi, qui etiam vocantur *testes de credulitate*, si jurare noluerint, & reus juramentum præstare non potuerit, ac in purgatione defecerit, censebitur de jure convictus, & pœnas ecclesiasticas promeritus.

C. 5. caus. 2. q. 5. Ib. c. 6. 7. 8. 9. Ib. c. 10. Ib. c. 18. c. 10. &c. c. 5. & 7. h. t. c. 9. h. t. c. 7. h. t.

Indici potest ob vulgatam infamiam, aut ob grave scandalum; aut ob vehementem suspicionem ex testium dictis obortam. Quodsi omnia hæc concurrant, accusato purgatio extraordinaria *cum decima quarta manu* sui ordinis indicenda est, in eo loco, ubi noscitur infama-

c. 10. h. t.

infamatus. Crimen tamen, cujus probatio indicitur, debet esse probatum ex suspicionibus verisimilioribus seu præsumtionibus violentis. INNOCENTIUS tamen III. infamato laudabilis vitæ, tum quia illa infamatio ab inimicis & æmulis processisse videbatur, non juris necessitate, sed importunitate petentis purgationem canonicam mandavit. *c. 12. h. t.*

Hæc de purgatione canonica, cui opponitur vulgaris, singularique titulo mox sequenti reprobatur; & licet olim usitata passim fuerit, semper tamen a summis pontificibus fuit improbata, ut jam notavi in principiis theologiæ moralis, de primo agens decalogi præcepto.

§. CXVI.

De injuriis & damno dato.

Delicta & facta illicita, nisi legitima vel canonica purgatione elisa sint, si aliunde pœnam non subeant, saltem injurias ac damnum datum alteri resarcienda habent.

Ex veteri lege Mosaica variæ leges ad rem præsentem huic titulo de injuriis & damno dato sunt insertæ: *Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, operas ejus & impensas in medicos restituat. Si quis aperuerit cisternam & foderit novam, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum. Quod autem mortuum est, ipsius erit. Si bos alienus cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & non custodivit eum dominus suus, reddet bo-* *C. 1. & seqq. h. t.*

vem pro bove, & cadaver occisi integrum accipiet. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascat aliena, pro damno æstimationem restituet. Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.

Respondent his, quæ sequuntur ex pontificali Romano & decretalibus pontificum de compensandis injuriis & damno illato. Notandum autem, quod habetur de satisfactione expensarum, etsi statutum editum ac conventio juramento firmata sit super non
C. 8. h. t. repetendis damnis: *Cum igitur*, decernit pontifex, *aliud sit damnorum restauratio, quam satisfactio expensarum: & ideo in juramento exhibito super damnorum articulo intelligi non debeat, quod factum expensarum fuerit comprehensum, mandamus, quatenus (juramento non obstante prædicto) auctoritate nostra provideas, quod dictum commune pro bono concordiæ ad expensarum satisfactionem aliquid contribuat, juxta tuæ discretionis arbitrium, a te, sicut expedierit, moderandum.* Idem pontifex de damno & injuria illata eandem obligationem statuens sive quis per se aut per alium, etiam per animalia damnum fecerit, justam tamen addit exce-
C. 9. h. t. ptionem. *Sane*, inquit, *licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse; secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.* De illis nihil est, ut hic dicam, quæ ad theologiam moralem spectant, aut in jure civili copiosius tractantur, quæ canonistæ etiam passim ad hunc titulum tangunt; tantum memorem, quæ ex concilio Lugdunensi sub

GRE-

GREGORIO X. de iniqua damni aut injuriarum compensatione, qua alius præ alio prægravatur, sunt statuta, referunturque ac deciduntur etiam conformiter ad jus civile: *Etsi pignorationes, quas vulgaris elocutio repressalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sint constitutione prohibitæ: ut tamen earum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inhibentur, eas concedi contra personas prædictas, seu bona ipsorum, aut quantumcunque generaliter prætextu cujusvis consuetudinis (quam potius reputamus abusum fore) concessas, ad illas extendi præsenti decreto districtius inhibemus.* Attendenda tamen sunt, quæ paulo ante attuli ex GREGORIO IX. de repetendis expensis, etiam ab hæredibus, etsi ad damna aut pœnas non teneantur. *cap. un. h. t. in 6.* *ad c. 8. h. t.*

§. CXVII.

Jure, ac legitima auctoritate sua pœnis coercet ecclesia delinquentes & inobedientes; sed salutaribus: donec juste degradatos etiam clericos penitus abjicit brachio traditos sæculari. De pœnis.

Qui legitimam ecclesiasticam potestatem ecclesiæ negant, quos principio statim notavimus, ac dejecimus, vim coactivam ecclesiæ demunt & coercitivam, nisi ad summum ex confœderatione, jureque collegiali, ac conventiali. Talis datur ex consensu partium, & contractibus possunt pœnæ apponi: ut e. g. certam pecuniæ quantitatem solvat is, qui

contractum, transactionem vel compromissionem non servaverit; ita tamen, ut, si neuter servaverit, neuter obligetur ad solvendam pœnam, prout INNOCENTIUS III. decidit causam, qua episcopus promisit, se non exacturum procurationes, & ecclesia vicissim promisit, se episcopo soluturam pensionem, neutra parte observante condictas conditiones, utraque a solvenda pœna libera decernitur. Quodsi vero una pars non servarit pactum ac contractum quoad aliqua tantum, ut si sub pœna 30. librarum tenebatur certo die 40. libras solvere, & tantum solverit 33. hunc pontifex absolvit ab pœna, ut pro rata tantum teneat. *Quia igitur*, inquit, *te non decet in tantum pontificalis modestiæ oblivisci, ut inhonestis quæstibus anhelando desideres cum aliena jactura ditari, mandamus, quatenus septem librarum solutione contentus, super pœna 30. librarum memoratos rectores de cætero non molestes.* Saluberrime etiam ab ALEXANDRO III. est constitutum, ut victus in judicio condemnetur victori, nisi pro absente sententia feratur, in expensas, etiam in causis pecuniariis: *Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expensis.*

C. 7. de pœnis.

C. 9. h. t.

C. 4. h. t.

Sed age jam distinctius de pœnis ecclesiasticis tractemus, quas tantisper a censuris ecclesiasticis distinguimus ut genus a specie; quæ quidem etiam sunt pœnæ, privantes usu quorundam bonorum spiritualium ad rei correctionem impositæ; pœnæ autem proprie in criminis alicujus punitionem sontibus infliguntur. Ita quidem omnis censura est pœna ecclesiastica, non autem vice versa omnis pœna ecclesiastica est censura. Nunc igitur agimus

agimus de pœnis ſtricte ſic dictis, quæ aliquando in jure ſunt expreſſæ, & determinatæ; aliquando vero, cum lex ipſa quidem actum prohibet, ſed pœnam non ſtatuit, vel certe non abſolute determinat, ſunt arbitrariæ. Quodſi pœna ſit a jure determinata, regulariter & ſine cauſa a judice remitti vel commutari non valet; niſi particulares quædam circumſtantiæ aggravantes vel diminuentes in delicto occurrant, ob quas juſtitia ac æquitas poſcat, ut ab ordinaria juris pœna abeat judex, & extraordinariam graviorem vel leviorem pro circumſtantiis ex arbitrio imponat. Ita etiam olim obtinuit, ut in determinatis a canonibus pœnis epiſcopi indulgentiam conceſſerint pro majori fervore eorum, econtra autem rigorem in pervicaces ſtrinxerint. Atque univerſim hodierna diſciplina remiſſior eſt in pœnis imponendis, quæ pleræque arbitrariæ ſunt, & præſertim cenſuræ tardiſſime vibrantur ac raro.

Quoad alias autem pœnas ſtricte ſic dictas, de quibus ex inſtituto nunc agimus, indigne tulit ALEXANDER III. quod archidiaconi Conventrenſis epiſcopatus pro corrigendis exceſſibus & criminibus puniendis a clericis & laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annua exactione pecuniæ perſonas quandoque ſuſpendunt, eccleſias interdicunt, & alia agunt, quæ canonum obviant inſtitutis, & a radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur. Fuit tamen medii ævi diſciplina, etiam pro homicidiis pecuniarias ſolvere mulctas; ſed ex concilio Triburienſi, quos in uſus verti debuerint, oſtenditur: *Presbyteri interfecti compoſitio, epiſcopo ad cujus parochiam pertinet, ſolvatur: ita ut medietatem utilita-*

c. 3. b. t.

c. 2. b. t.

utilitatibus ecclesiæ, cui præfuit, tribuat, alteram in ejus eleemosynam juste dispertiat; quia nullus ejus hæres proximior videtur, quam qui ipsum Domino sociavit. Recentiore disciplina subtractio fructuum beneficialium certis in causis, aut privatio beneficii, ac mulctæ etiam pecuniariæ vigent. Privatio feudorum ecclesiasticorum juxta *c.* 10. *&* 12. *h. t.* proprie laicos spectat, quemadmodum absolutio vasallorum & subditorum a vasallagio & homagio *c.* 13. *h. t.*

Conc. Trident. Sess. XXVII. de reform. c. 3. & Sess. V. c. 3.

In pœnam etiam jure canonico carcer est pro clericis, non ad custodiam tantummodo. *Quamvis*, sunt BONIFACII VIII. verba, *ad reorum custodiam, non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur: nos tamen non improbamus, si subjectos tibi clericos confessos de criminibus seu convictos (eorum excessibus & personis, cæterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus prout videris expedire, carceri mancipes, ad pœnitentiam peragendam.* Quo pertinet detrusio in arctius monasterium, ut inclusus pœnitentiam ageret: unde in concilio Toletano VIII. sic dicuntur clerici sub oneribus pœnitentiæ in monasterium relegari, & monasterii in claustra sub pœnitentia detrudi. INNOCENTIUS III. in majoribus & capitalibus criminibus etiam degradationem jungit: *Ad illud quod a nobis tertio requisisti, qualiter clerici in latrociniis, vel aliis magnis sceleribus deprehensi, puniri debeant: respondemus, quod a suis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam.*

C. 3. h. t. in 6. It. 5. eodem t.

c. 6. & 7.

c. 6. h. t.

Alias solent degradati ob capitalia crimina brachio sæculari tradi. Est autem degradatio gravissi-

gravissima pœna clericorum, quæ etiam vocatur depositio realis, ut distinguatur a verbali; quando per sententiam episcopi vel vicarii ejusdem speciale ad hoc mandatum habentis clerico executio suorum ordinum & promotio ad altiores in perpetuum interdicitur, ut tamen clericalibus privilegiis gaudeat. Huc revocari potest irregularitas, quatenus ob delictum contrahitur.

Degradatio quomodo facienda sit a BONIFACIO VIII. præscribitur, haud absimili modo ac exauctoratio militum detractis insignibus militaribus. Clericus itaque degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum ad ordinem suum spectans, ac si in officio suo deberet solemniter ministrare, ad episcopi præsentiam adducitur, cui episcopus publice singula, sive sint vestes, sive calix, sive alia, quæ illi in sua ordinatione fuerunt tradita, aufert, incipiendo ab illo, quod illi ultimo fuerat traditum, & descendendo gradatim ad vestem, quæ datur in collatione tonsuræ. Demum raditur seu tondetur caput, ne tonsura clericalis appareat. In degradatione verba illis opposita adhibentur, quæ in collatione ordinum adhibentur: vel saltem in ablatione ultimi insignis dicit degradans: *Auctoritate DEI omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, ac exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio clericali.*

C. 2. h. t. in 6.

§. CXVIII.

Ad pœnas ecclesiasticas pertinet etiam pœnitentiæ disciplina vetus, præ-

De pœnitentiis & remissionibus.

præſertim facta fori externi ab interno ſeparatione, & remiſſionum ſeu indulgentiarum uſu, de quibus tit. *de pœnitentiis & remiſſionibus*.

Opportune S. RAYMUNDUS titulo de pœnis, hunc *de pœnitentiis & remiſſionibus* ſubnectit, dicique poteſt formari & deſcribi recentior diſciplina quoad pœnitentias & remiſſiones ſeu indulgentias: quo externum ab interno diſtinguitur forum, non quo externa & manifeſta peccata non etiam externam pœnitentiam ſubeant, ut mox prima hujus tituli decretali habetur ſententia ſive ALEXANDRI ſeu CALIXTI ſive potius GREGORII M. *Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda.* Et concilium Tridentinum juxta apoſtoli monitum, publice peccantes palam eſſe corripiendos ſtatuens, eandem firmat diſciplinam. *Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotosque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam.*

Lib. XII. ep. 31.

Seſſ. XXIV. de reform. c. 8.

Adhuc tamen hæc etiam publica pœnitentia diverſa a veteri illa longo intervallo dici poteſt, qua certæ erant diſtributæ pœnitentium ſtationes cum ſeparatione a communione fidelium & ſacramentorum, donec peracto pœnitentiæ decurſu reſtituerentur pœnitentes communioni: quomodo etiam ſucceſſu temporum ad initium Quadrageſimæ publici peccatores & pœnitentes induti ſaccis & nudis pedibus ad eccleſiam

clesiam veniebant, & inde a ministris ecclesiæ certo ritu & certis orationibus expellebantur, donec statuto tempore ad comunionem paschalem admitterentur, ut apud GRATIANUM *C.64. dist.* habetur, & in ordine Romano, tum variis 50. aliis ab EDMUNDO MARTENIO editis, totus ille ritus pœnitentiæ describitur, quæ solemnis vocatur, recte a recentioribus theologis distinctione facta inter pœnitentiam publicam solemnem, & non solemnem, quæ ex publica quidem confessione seu publico delicto, sed absque cæremoniis ecclesiæ indicitur v. g. si publicæ preces in ecclesia, peregrinationes, jejunia &c. imponantur ob delictum publicum, non in tribunali interno pœnitentiæ secretæ confessionis sacramentalis; quomodo ex concilio generali Lateranensi sub INNOCENTIO III. celebri decreto, quod in rubrica vocatur famosum & multum allegabile *c.* 12. *h. t.* statuitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusatione assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio*

sacer-

ſacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum, vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum. Integrum hoc capitulum deſcribendum eſſe duxi, quo univerſa continetur privatæ pœnitentiæ ratio, prout eſt diſtincta a publicæ pœnitentiæ in antiqua eccleſia diſciplina, & conſtanti eccleſiæ praxi firmata hucuſque, atque a concilio Tridentino iterum ſolemni eccleſiæ decreto confirmata, & adhuc articulatius determinata. In laudato autem concilio Lateranenſi ab INNOCENTIO III. id etiam ſingulariter medicis præcipitur: *Ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum: ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur.* Quod PIUS V. renovavit decretum bulla: *Super gregem dominicum &c.* INNOCENTIUS autem III. de modo pœnitentiæ injungen-

Seſſ. XIV. 5.

C. 13. b.t.

jugendæ ita Livonienſi epiſcopo, & eis, qui cum ipſo ſunt fratribus reſcripſit: *Cum pœnitentia non tam ſecundum quantitatem exceſſus, quam pœnitentis contritionem, per diſcreti ſacerdotis arbitrium ſit moderanda, penſata qualitate perſonæ, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio & aliis criminibus conſideratis circumſtantiis omnibus, & præſertim novitate Livonienſis eccleſiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire.*

Titulum hunc S. RAYMUNDUS inſcripſit *de pœnitentiis & remiſſionibus*, quæ etiam indulgentiæ nominantur. Quandoquidem ſicut eccleſiæ ligandi eſt poteſtas data, ita etiam ſolvendi, ac, quas pœnas peccatis ſtatuit, remittendi; quod fit per indulgentias, quas ſummi eccleſiæ paſtores, miniſtri CHRISTI ac diſpenſatores myſteriorum largiri poſſunt pro ſuæ poteſtatis limitibus ac jurisdictionis terminis; prout ALEXANDER III. reſcripſit archiepiſcopo Cantuarienſi conſulenti, *utrum remiſſiones, quæ fiunt in dedicationibus eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint, quam his, qui remittentibus ſubſunt*, reſpondet: *Quod cum a non ſuo judice ligari nullus valeat vel abſolvi, remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantumodo arbitramur, quibus ut proſint proprii judices ſpecialiter indulſerunt.* C. 4. h. t.

Fuerunt indulgentiæ ab epiſcopis concedendæ in concilio Lateranenſi moderatæ. Deinceps autem Quæſtuariorum fraudes repreſſæ; ac anni Jubilæi determinati primum a BONIFACIO 1300. ad annum quemque centeſimum; a CLEMENTE VI. an. 1350. ad quinquageſimum; a PAULO II. & SIX- C. 14. h. t. C. 1. & 3. h. t. in 6. Clement. h. t. Extravag. 1. 2. 4. h. t.

TO IV. an. 1473. ad annum quemque vigesimum quintum; ut tamen in anno Jubilæo suspendantur omnes aliæ indulgentiæ plenariæ & facultates apostolicæ confessariis concessæ. Solent pontifices ad ingressum pontificatus Jubilæi indulgentiam dare fidelibus.

§. CXIX.

De Censuris.

Censuræ pœnæ proprie ecclesiasticæ & spirituales ac medicinales sunt, contumacem, donec resipiscat, privantes usu quorumdam bonorum spiritualium.

Hanc censuræ definitionem a theologis & canonistis adoptamus, prout convenit hodiernæ ecclesiæ disciplinæ, jurique canonico, quo hæ ab aliis pœnis distinguuntur ceu proprie medicinales. Quod maxime spectat ecclesia, non tam castigationem & punitionem delinquentium, quam correctionem contumaciæ & emendationem a crimine. *Cum medicinalis*, inquit, INNOCENTIUS IV. *sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit, non contemnat; caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis.* Hic semper fuit nervus disciplinæ ecclesiasticæ, excommunicatio, & in clericis depositio, accedente suspensione & interdicto, non ceu rebus novis, sed ordine rerum paululum mutato; ut quod olim depositione clericorum & separatione a communione fidelium reliquorum, idem paululum immutata disciplina deinceps intenderit suis censuris ecclesia, dum usu quorum-

C. 1. h. t. in 6.

rum.

rumdam bonorum ſpiritualium privat auctoritate a CHRISTO conceſſa non communitati fidelium, ſed illis penes quos eſt legitima eccleſiaſtica poteſtas, contra propoſitionem QUESNELLI 90. ejuscemodi: *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet*, & *eam exercet per primos paſtores*, *de conſenſu ſaltem præſumto totius corporis*. Præter alias autem mox ſubſequentes propoſitiones, imprimis quam floccipenderit fulmina eccleſiæ, oſtendit nonageſima ſeptima: *Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte* & *magis ſtricte eccleſiæ unitæ ſunt*, *reſpici atque tractari tanquam indigna*, *ut ſint in eccleſia*, *vel tanquam ab ea ſeparata*, *ſed juſtus vivit ex fide*, & *non ex opinione hominum*. Hæc maxime declarant animum cenſura dignum, ſuperbum & contumacem, in qualem ea cadit.

Unde qui morem gerere eccleſiæ paratus eſt, etſi delinquat, dum eccleſiæ non contranititur, cenſuram non incurrit; ignorans item delictum cenſura eſſe innodatum, quod debet eſſe formale, ut vocant, non tantum materiale peccatum, id eſt cognitum, in cauſa ſaltem ignorantia affectata & craſſa. Alias enim non ſolum ignorantia facti, ut, cum quis neſcivit, quem nocte verberavit, eſſe clericum, ſed etiam ignorantia juris, qua ignoratur lex aut prohibitio ſub pœna cenſurarum, excuſat. Requiritur etiam culpa & peccatum grave vel in ſe vel ex circumſtantiis, quia omnis cenſura de ſe gravis eſt pœna. Peccatum item debet eſſe perfectum & conſummatum, atque externum vel ſaltem externo conjunctum, unde ad judicium externum eccleſiæ revocari poteſt, ad quod pertinet cenſuras ferre, ad illos nimirum, qui

potestate jurisdictionis vel ordinaria vel delegata pollent in ecclesia: qui nimirum vel proprio nomine externum ecclesiæ tribunal tenent episcopi, quique eorum sustinent vices, & ab his delegationem habent jurisdictionis, aut saltem specialiter censuræ cujuspiam ferendæ.

§. CXX.

Ac primum excommunicatione.

Gravissima est excommunicationis pœna, per quam homo christianus a communione ecclesiæ separatur, & bonis illius spiritualibus privatur.

Arctissima ecclesiæ est unio communioque, ut unius ecclesiæ communione privatus, a tota ecclesia habeatur abscissus: *Si quis clericus*, habet canon apostolicus, *aut laicus a communione suspensus ceu communicans ad aliam properet civitatem & suscipiatur præter commendatitias litteras; & qui susceperunt, & qui susceptus est, a communione priventur, excommunicato vero proteletur ipsa correptio tanquam qui mentitus sit, & ecclesiam DEI seduxerit.* (C. 13.)

In eandem sententiam est canon 33. & complures antiquissimorum conciliorum tum generalium cum particularium; laudatum autem apostolicum selegi canonem, quod mentionem injiciat litterarum commendatitiarum, quæ solebant formatæ vocari a certis formis ac signis communionis indicibus, de quibus frequens in antiquis monumentis fit mentio, eratque constans apud catholicos & securus usus, ac lex: *Nos autem*, inquit S. BASILIUS (Epist. 203.)

LIUS, *ex illis orti patribus, qui legem tulerunt, ut brevibus notis communionis ſigna a terminis orbis terrarum usque ad terminos circumferrentur, atque omnes omnibus cives ac propinqui eſſent.* Litteræ illæ ab epiſcopo tradebantur, qui eſt communionis eccleſiaſticæ caput, unde ſemper mutua communicatio eccleſiarum ac membri cujuscunque dignoſcitur penes eos, qui jus habent ab eccleſia ſeparandi ſeu excommunicandi, cum quibus proin communio eſt habenda. Unde dicit S. CYPRIANUS, *fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus* DEI *non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare ſe credunt; quando eccleſia, quæ catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa; ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutine copulata.* *Epiſt.* 69.

Quemadmodum vero communio iſthæc ſpiritualium bonorum eccleſiæ participes reddidit fideles, ita ſeparatio illos privabat pro tota amplitudine clavium eccleſiaſticorum juxta illud CHRISTI: *Quæcunque ligaveritis in terris, erunt ligata in cœlis*, ut qui a communione eccleſiæ ob crimen exturbatus fuerit, etiam jure ad regnum cœlorum privatus ſit; ut non, niſi vinculo iſto legitime exſolutus & communioni reſtitutus, particeps regni cœleſtis eſſe poſſit, vinculis corporis ſolutus. Quare communibus fidelium ſuffragiis & ſepultura etiam eccleſiaſtica privatus exiſtit, qui innodatus excommunicationis vinculo ex hac vita migrat; niſi forte repentina morte abrepti ſint, qui reſipiſcentes diſciplinæ eccleſiæ ac cenſuræ ſeſe ſubjecerant, dederantque ſincera pœnitentiæ indicia, reconci-

conciliationis & absolutionis cupidi. Quod pro veteri ecclesiæ disciplina pœnitentiæ publicæ, cui sententia excommunicationis erat connexa, non infrequens fuit, habenturque in eam rem plures conciliorum canones & C. 2. decreta: *Quia nefas est*, sunt concilii Vasensis II. verba, *eorum commemorationes exexcludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.* Intelligit hic plenam reconciliationem & vinculi exsolutionem; cum alias etiam, ubi tempus necdum fuisset secundum rigorem censuræ ecclesiasticæ expletum, etsi reconciliationis remedium in extrema necessitate fuerit exhibitum, periculo emersus, iterum subdi salutari medicinæ debuerat: *Ne* C. 36. *ullus*, ut habet concilium Epaonense, *sine remedio aut spe veniæ ab ecclesia repellatur, neve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur. Sed si cui forsitan discrimen mortis immineat damnationis constituta tempora relaxentur. Quodsi ægrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spacia observare conveniet.*

Quoad autem gravior & acerbior est hæc censura, & ad salutarem medicinam comparata, eo lentius infligenda semper censebatur. Cum dolore, juxta S. AMBROSIUM amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis; si non potest, tunc a medico abscinditur.

tur. Sic boni episcopi affectus est, ut oportet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere: postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.

Frequens quidem erat in antiqua ecclesia ἀφορισμὸς seu separatio in exclusione hominum a participatione eucharistiæ & precum fidelium, annexa, ut diximus, pœnitentia publica, quæ non erat omnimoda ab ecclesia abscissio seu excommunicatio. *Oportet autem*, inquit S. BASILIUS, *non eos omnino arcere ab ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis: & postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a boni tamen communione abstinere, & sic postquam pœnitentiæ fructum aliquem ostenderint, communionis loco restituere.* *Can. IV.*

Gravissima est excommunicatio, quæ etiam anathema dicitur, atque a spiritualibus non solum bonis omnibus, sed etiam commercio fidelium & unione ecclesiæ exclusio, *a fraternitatis communione & jure relegari*, ut verbis TERTULLIANI utar, *submoveri a limine & tecto omni ecclesiæ, sacramento benedictionis exauctorari, communione interdici, abscindi, depelli.* Sed quoad effectus civiles non erat semper idem rigor; quemadmodum nec quoad execrationes, quæ proprie anathema sunt. Cujus severior habetur in concilio Toletano IV. formula: *Anathema sit in conspectu Spiritus S. & martyrum CHRISTI: atque ab ecclesia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione christianorum alienus; neque partem justorum* *Apol. c. 39.*

rum habeat, sed cum diabolo & angelis ejus æternis suppliciis condemnetur.

Non est una doctorum sententia de eo quod D. PAULUS dicit, se tradidisse Sathanæ incestum CORINTHIUM, & HYMENÆUM & PHILETUM; quod multi ex SS. PP. & recentioribus ecclesiæ doctoribus sumunt de singulari quadam corporis afflictione, atque effectu extraordinario. Similiter de Paulina voce *Maranatha* juncta anathemati veteres & recentiores dissident. Quæ videtur cum Chaldæorum שמאתא *Schammata* convenire: apud quos triplex erat excommunicationis genus נדוי nidui, quæ erat levissima חרם cherem gravior שמאתא autem dirissima; cum omnimoda separatione sine spe redeundi, ut penitus quis divino relinqueretur judicio. An respondeat huic excommunicatio, qualis in pluribus canonibus concilii Illiberitani habetur, etiam in fine vitæ communione negata, non est hic disquirendi locus.

1. Cor. V. 5.
1. Tim. I. 22.
1. Cor. XVI. 22.

§. CXXI.

Quibus sit infligenda.

Sollicite semper attendit ecclesia, quæ & quibus personis excommunicationis censura esset stringenda, nullo humano habito respectu.

Iterum hic recolenda est distinctio excommunicationis cum anathemate & execratione, & separationis a communione, quæ olim indiscriminatim in actione publicæ pœnitentiæ interveniebat; & passim omnis generis homines stringebat. Sunt quidem qui raro aut nunquam

quam fœminas huic pœnæ subjectas fuisse putant; saltemque ob adulterium pœnitentia clam fuit habita: *Adulterio pollutas mulieres*, habet S. BASILII canon, *& confitentes ob pietatem vel quomodocunque publicare quidem patres nostri prohibuerunt.* Alias vero cum aliis subire debebant pœnam ac censuram, quæ sine acceptione personarum omnes manebat. Meminit quidem & damnat jam S. CYPRIANUS: *Qui personas accipientes in beneficiis vestris aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.* Erat privilegii ac indulgentiæ quoddam genus a confessoribus tunc conferri solitum, ut communioni restituerent abstentos, sed illic etiam abusus interveniebat & damnatur a sancto martyre. *Audio*, inquit in eadem epistola, *quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: communicet ille cum suis. Quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta & cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet.* Abusum hic gliscentem contra vigorem ecclesiasticum S. CYPRIANUS animose sustulit, & rigorem disciplinæ ecclesiasticæ tuitus est, ac integrum conservavit, quomodo sine omni respectu alicujus dignitatis aut potentiæ obtinuit. Jam alibi memini canonis concilii Arelatensis I. de præsidibus, *ut in quibuscunque locis gesserint* (præsidatum) *ab episcopo ejusdem loci cura de illis agatur; ut cum cœperint contra disciplinam publicam agere; tunc demum a communione excludantur.* Si assertius apertiusque esset, quod EUSEBIUS refert de PHILIPPO imperatore a sacris coercito, insigne haberetur censuræ ecclesiasticæ exemplum in supremam potestatem exercitum. Quod confundendum non est cum

C. 34.

Epist. 11. ad martyr.

Ib.

Lib. VI. c. 34.

eo, quod S. CHRYSOSTOMUS de S. BABYLA refert & extollit, fuitque disparis eventus: cum is, de quo EUSEBIUS, detulisse feratur censuræ, & se pœnæ subjecisse; alter vero, de quo S. CHRYSOSTOMUS, furorem in S. BABYLAM converterit, inemendabilis. Jam memini S. AMBROSII, qua censura in maximos principes sit usus. *Ipsum MAXIMUM*, refert in ejus vita PAULINUS *communionis consortio segregavit*. Et VALENTINIANUM etiam terruit; magnum autem THEODOSIUM intrepide repulit ab ingressu ecclesiæ & communione sacramentorum. Ut frustra obstrepent hodie, qui auctoritati ecclesiasticæ detrahunt, & pontifices Romanos incessunt, quod censuram in principes strinxerint. Cum & inferiores episcopi idem fecerint. Sic S. GERMANUS Parisiensis CHARIBERTUM excommunicavit, teste GREGORIO Turonensi. Et S. NICETUS Trevirensis THEODEBERTUM, & CLOTARIUM sæpius, exiliumque eo minitante, nunquam est territus.

Epist. 30. ad Valentin.

Lib. 4. hist. c. 26.

De magistratibus inferioribus complura suppetunt exempla. In concilio Illiberitano plures habentur canones, quibus christiani, qui magistratum ac officium apud gentiles gerebant, a communione arcentur, quando sine superstitione geri non poterat officium & magistratus ille. S. ATHANASIUS præsidem seu ducem militiæ in Lybia excommunicavit, atque ad episcopos scripsit, igne etiam aqua, & tecto interdicendo, teste S. BASILIO. S. AMBROSIUS de judice quodam christiano refert tempore JULIANI, quod, cum unum de fratribus suis, qui aram dejecerat,

Epist. 47.

Ep. 29. ad Theodos.

rat, condemnasset, nemo illum ingressu, nemo illum unquam osculo dignum putaverit. Imprimis memorabile est SYNESII facimus contra ANDRONICUM, qui ecclesiæ affigi mandavit decretum contra asyla, & blasphema etiam protulit verba. Quæ ferre non valens SYNESIUS contra ANDRONICUM cum sociis THOANTEM ANDRONICI instigatorem hanc gravem tulit censuram: *ANDRONICO ejusque sociis, THOANTI & ejus sociis nullum DEI fanum aperiatur. Omnis illi religiosa ædes ac septa claudantur. Nulla diabolo in paradiso pars est, qui si clam irrepserit, expelletur. At cum privatis omnibus & magistratibus præcipio eodem cum illo neque tecto neque mensa uti, tum sacerdotibus imprimis, qui nec viventes illos salutabunt, nec mortuos funebri pompa deducent. Sin quisquam velut angustæ urbis ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit; noverit infectam a se ecclesiam, quam unam esse vult CHRISTUS. Atque hic sive levita sive sacerdos sit, sive episcopus, apud nos in ANDRONICI loco reputabitur, neque cum eo dexteram jungemus, nec eadem ex mensa vescemur unquam: tantum abest, ut cum iis arcana mysteria communicemus, qui cum ANDRONICO & THOANTE partem aliquam habere voluerint.* Epist. 58. Juncta erat epistola ad omnes episcopos nomine ecclesiæ Ptolemaidis, in qua rationes expositæ erant, ob quas talis in ANDRONICUM fuit lata excommunicationis sententia. Visus est ea exterritus ANDRONICUS, & spopondit vitæ correctionem. Diu tamen precibus deferre detrectavit SYNESIUS, donec

donec tandem episcopis magis exercitatis, cum hæc primo episcopatus sui anno accidissent, cederet. Sed cum ANDRONICUS in pejus rueret suspensam excommunicationis sententiam publicavit, episcopis denuntians, ut ecclesiæ aditu arcerent ANDRONICUM: ut si mala prorsus cohiberi non possint, saltem illorum nos participes haud faciamus, sacrilegis sacra claudendo templa. Postea tamen, dum ANDRONICUS gratia principum excideret, SYNESIUS misericordia motus iteratis precibus a funesto tribunali liberavit, & ad THEOPHILUM ALEXANDRINUM ejus gratia scripsit, ut misero assisteret. S. PATRICIUS haud absimili rigore in principes egit. Cujus etiamnum extat epistola rigoris similiter & charitatis plena in COROTICUM & socios, ac fautores, quod etiam ex SYNESII sententia apparet.

Epist. 72.

Epist. 89.

Apud Boland. 17. *Martii.* *p.* 538.

Quamvis hæc fuerit causa alias, ut ob multitudinem censura non stringeretur, quod imprimis S. AUGUSTINUS fieri voluit, alias autem juste stringendam censuit: „Quando (inquit) ita cujusque crimen notum est „omnibus, & omnibus execrabile apparet, „ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma „contingere: non dormiat severitas disciplinæ, a qua tanto est efficacior emendatio „pravitatis; quanto diligentior confirmatio „charitatis.„

Lib. III. cont. epist. Parmen. c. 2.

§. CXXII.

Et ob quales causas.

Ne autem cum sontibus insontes excommunicentur, semper, quantum

tum potuit, cavit ecclesia; nec nisi pro majoribus criminibus stringit hanc censuram.

„ Interdum fit, (inquit ORIGENES) „ ut aliquis non recto judicio eorum qui præsunt ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur; „ sed ipse non ante exiit, hoc est, si non ita „ egit, ut mereretur exire, nihil læditur in „ eo, quod non recto judicio ab hominibus „ videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum „ ille qui foras mittitur, intus sit: & ille „ foris, qui intus retineri videtur. „ Et S. AUGUSTINUS, „ Sæpe etiam (inquit) sinit „ divina providentia per nonnullas nimium „ turbulentas carnalium hominum seditiones „ expelli de congregatione christiana etiam „ bonos viros: quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro ecclesiæ „ pace tulerint, neque ullas novitates vel „ schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu & quanta sinceritate charitatis DEO serviendum „ sit. Talium ergo virorum propositum est, „ aut sedatis remeare turbinibus; aut si non „ sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut severior oriatur, tenere voluntatem consulendi etiam „ eis ipsis, quorum motibus perturbationibusque cesserunt sine ulla conventiculorum „ segregatione usque ad mortem defendentes „ & testimonio juvantes eam fidem, quam in „ ecclesia catholica prædicari sciunt. Hos „ coronat in occulto Pater, in occulto videns. „ Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt, quam credi

Hom. 14. in Levit.

De vera relig. c. 6.

„ di poteſt. Ita omnibus generibus homi„ num & exemplorum ad animarum curatio„ nem, & ad inſtitutionem ſpiritalis populi „ utitur divina providentia. „

In hujusmodi quæſtionibus facti falli poteſt eccleſiaſticum judicium. Sed multo ſæpius contingit, ut injuſte ſe cenſura ſtringi cauſentur etiam meriti, & contra tribunal eccleſiaſticum ſe erigant. Quod nunquam eſt faciendum, & pax eccleſiæ turbanda, etiamſi quis ſe certo ſciat injuſtam ſubiiſſe ſententiam, quam ipſam etiam timendam vult S. GREGORIUS. „ Sed utrum juſte (inquit) „ an injuſte obliget paſtor, paſtoris tamen „ ſententia gregi timenda eſt: ne is, qui ſub„ eſt, & cum juſte forſitan ligatur, ipſam ob„ ligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa me„ reatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcre„ te timeat vel ligare. Is autem, qui ſub „ manu paſtoris eſt, ligari timeat vel injuſte; „ nec paſtoris ſui judicium temere reprehen„ dat: ne etſi injuſte ligatus eſt, ex ipſa tu„ midæ reprehenſionis ſuperbia, culpa quæ „ non erat, fiat. „ Legi in hanc rem meretur NICONIS ſolitarii tractatus de excommunicatione injuſta, qui extat *T. XXV. p.* 327. *Bibliothecæ PP. Lugdunenſis.*

Lib. II. hom. 26. n. 6.

Contingere pronum eſt, ubi plures eodem innodantur vinculo, ut inſons cum ſonte percellatur, aut alius pro alio pœnam luat, quod S. AUGUSTINUS factum improbavit vehementer. „ Non mediocriter (ſcribit in eam „ rem ad AUXILIUM) æſtuans cogitatio„ nibus, magna cordis tempeſtate fluctuan„ tibus, apud charitatem tuam tacere non „ potui: ut, ſi habes de hac re ſententiam, „ certis rationibus vel ſcripturarum teſtimo-

Epiſt. 75.

„ niis,

niis exploratam, nos quoque docere di- „
gneris: quomodo recte anathematizetur pro „
patris peccato filius, aut pro mariti uxor, „
aut pro domini servus, aut quisquam etiam „
in domo nondum natus, si eodem tempo- „
re, quo universa domus est anathemate ob- „
ligata, nascatur, nec ei possit per lava- „
crum regenerationis in mortis periculo sub- „
veniri. Neque enim hæc corporalis est „
pœna, qua legimus quosdam contemtores „
DEI cum suis omnibus, qui ejusdem im- „
pietatis participes non fuerunt, pariter in- „
terfectos: tunc quidem ad terrorem viven- „
tium mortalia corpora perimebantut, quan- „
doque utique moritura. Spiritalis autem „
pœna, qua fit, quod scriptum est: *Quæ li-* „
gaveris in terra, erunt ligata & in cælo, „
animas adligat, de quibus dictum est: *Ani-* „
ma patris mea est, & anima filii mea est. „
Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. „
Audisti fortasse aliquos magni nominis sa- „
cerdotes cum domo sua quempiam anathe- „
matizasse peccantium, sed forte, si essent „
interrogati, reperirentur idonei reddere in- „
de rationem. Ego autem, quoniam si quis „
ex me quærat, utrum recte fiat, quid ei re- „
spondeam, non invenio. Numquam hoc „
facere ausus sum, dum de quorumdam faci- „
noribus, immaniter adversus ecclesiam per- „
petratis, gravissime permoverer. „

Apud GRATIANUM plura afferuntur ex eodem S. AUGUSTINO & aliis testimonia in eandem rem, ut præcipitantia & injustitia caveatur studiose & religiose. Et est imprimis notandus Agathensis concilii canon tam de innocentibus, ut ne unquam, aut ob leves causas excommunicentur quiquam: *Episcopi,* *Caus.* II. *q.* 3.

si

si sacerdotali moderatione postposita, innocentes, aut minimis caussis culpabiles excommunicare præsumserint, & ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicinis episcopis cujuslibet provinciæ litteris moneantur: & si parere noluerint, communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis negetur. Correctores Romani apud GRATIANUM variantem hic lectionem notant in ultimis verbis particula negativa, *a reliquis episcopis non negetur*, ut ad excommunicatos non excommunicantem referatur, quatenus communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis non negetur.

C. 8. caus. 11. q. 3.

In antiqua disciplina & separatione a communione ob pœnitentiam publicam discrimen hoc canonibus & usu ecclesiarum fuit observatum: „ Nisi essent (inquit S. AUGUSTINUS) quædam ita gravia, ut etiam „ excommunicatione plectenda sint, non diceret apostolus: *Congregatis vobis & meo „ spiritu, tradere ejusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini JESU:* Unde etiam „ dicit: *Ne lugeam multos ex iis, qui ante „ peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam „ super imunditiam & fornicationem, quam „ gesserunt.* Item, nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam corruptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: *Corripe eum „ inter te & ipsum solum, & si te audierit, „ lucratus es fratrem tuum.* Postremo nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur „ non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus: *dimitte*

De fide & oper. c. 26.

nobis

nobis debita nostra &c. „ In concilio Aurelianensi V. statuitur: *Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis a communione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri jusserant committentes.* In jure canonico huc pertinent excommunicationes a jure latæ. Si quis violentas manus in clericos vel canonicos, aut cujuslibet religionis conversos injicit, quod BONIFACIUS VIII. extendit etiam ad novitios. Si quis ecclesiam violenter perfringat & spoliet. Si quis superior religiosum suum per non religiosum, aut absque necessitate regularis disciplinæ verberari præcipiat. Si quis extiterit hæreticus, hæreticorum fautor, receptator, vel defensor. Si quis condat, scribat vel servari faciat statuta contra ecclesiæ libertatem. Si quis eos gravet, qui tulerunt, procuraverunt vel observarunt censuras contra principes. Si religiosi violent interdictum, postquam viderint servari in cathedrali vel matrice ecclesia. Si dominus territorialis compellat sacerdotes celebrare tempore interdicti &c. Si excommunicatur concubina clericorum publica, etiam concubinarius eo ipso. Si quis clericum in custodia publica vel privata detineat. Si quis, quamvis parvum aliquid dederit in curia Romana pro gratia obtinenda, vel si dantem intra triduum non denunciaverit.

C. 26. C. 5. b. t. c. 21. b. t. in 6. c. 22. b. t. c. 24. b. t. c. 49. b. t. Extrav. c. 3. c. 53. b. t. c. 1. b. t. in 6. c. 1. b. t. Clement. c. 2. b. t. Clement. c. 55. b. t. c. 29. b. t. c. 1. b. t. Extrav.

§. CXXIII.

Præter alia minora excommunicationum genera, est etiam novo decretalium jure introducta *excommunicatio minor* dicta, & inflicta ob illicitam

De excommunicatione minori.

citam cum innodato in excommunicatione majori communionem.

Excommunicationis nomen, ut jam non semel notavimus, non semper eodem rigore aut amplitudine præsertim apud antiquos sumebatur: aliquando etiam ab illis, qui jurisdictione proprie ecclesiastica non gaudebant, lata, veluti apud monachos. De qua S. BASILIUS in regulis minoribus agit, & exemplum in murmuratore habet, separato a reliquis fratribus; ut nec communiter labore manuum cum aliis fungi potuerit, nec opus manuum illius conjungi cum aliis, nec in usum fratrum impendi potuerit. Etiam ac abbatissis hæc excommunicatio stringebatur, uti ex regula S. CÆSARII discimus, qua excommunicata a consortio sororum separabatur, excepta una sorore spirituali. S. BENEDICTUS ordinem hujus excommunicationis duplicem describit, tam eorum, qui pro gravioribus culpis ab oratorio & mensa excommunicantur, quam qui pro levibus culpis excommunicantur a mensa tantum: cujus etiam modum alibi designat, & in abbatis relinquit arbitrio.

Reg. 39.

Reg. n. 31.

C. 44. Reg.

C. 34. Reg.

Excommunicationis proprie ecclesiasticæ MORINUS quatuor distinguit species, quas quodammodo dicit minores: Prima a sola eucharistiæ participatione arcebat: secunda ab eucharistia & precibus eucharisticis seu fidelium excludebat: tertia addebat expulsionem sive excommunicationem a precibus super catechumenos & pœnitentes substratos factis: quarta ab omni ecclesiæ ingressu excommunicabat. Singulæ hæ species ad ordinem pœnitentiæ publicæ spectabant. Quam excommunica-

De pœnit. Lib. VI. c. 25. n. 13.

nicationem diſtinguens a proprie dicta cenſura excommunicationis, medicinalem vocat S. AUGUSTINUS, hanc vero mortalem: *Nos vero*, inquit, *quemquam a communione cobibere non possumus*, *quamvis hæc probibitio nondum mortalis ſit*, *ſed medicinalis*; *ſed niſi aut ſponte confeſſum aut in æquo ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum*. *Hom. ult. inter 50.*

Minoris vero excommunicationis ob communionem cum excommunicato nullum habetur in antiquitate eccleſiaſtica veſtigium; ſed qui cum excommunicatis aut alienis ab eccleſia communicaverit, ſimpliciter excommunicationis ſententiam ferebat. In concilio Illiberitano tamen mitiori quadam cenſura, qui cum Judæis vel cibum ſumſerit, perſtringitur: *Si vero quis clericus vel fidelis cum Judæis cibum ſumſerit*, *placuit eum a communione abſtinere*, *ut debeat emendari*. In concilio Antiocheno plures conſequenter habentur canones, qui huc ſpectant: „ Si quem ex epiſcopis vel presbyteris vel diaconis, vel quemvis ex canone excommunicatis communicare apparuerit, eum quoque eſſe excommunicatum, ut qui canonem confundat. „ Et mox: „ Si eum, qui propter contumaciam depoſitus eſt, alius epiſcopus receperit, ille quoque a communi ſynodo puniatur, ut qui ritus eccleſiaſticos diſſolvat. „ Item: Si quis epiſcopus a ſynodo depoſitus, vel presbyter vel diaconus a proprio epiſcopo ſacrum celebrare auſus fuerit, ſive epiſcopus ſecundum præcedentem conſuetudinem, ſive presbyter, ſive diaconus, nullam amplius ſpem reſtitutionis in alia ſynodo, neque defenſionis locum habere ei liceat. Sed & omnes, qui ei communicant, ex eccle- *Can. 50.* *C. 2. &c.*

„ sia ejiciantur, & maxime si quam senten-
„ tiam adversus prædictos prolatam didice-
„ rint, eis communicare ausi fuerint. „ Con-
can. 7. cilium Carthaginense II. *Qui merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo vel presbytero vel clerico fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius.* In con-
c. 70. cilio Carthaginensi IV. plures etiam sibi mu-
c. 71. tuo succedunt canones huc pertinentes: *Clericus hæreticorum & schismaticorum tam convivia, quam sodalitates evitet æqualiter.*
c. 72. Et: *Conventicula hæreticorum non ecclesiæ, sed conciliabula appellantur.* Item: *Cum hæreticis nec orandum nec psallendum.* Qui
c. 73. vero rem conficit mox sequens est: *Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicetur.*
can. 11. Concilium Arausicanum: *Placuit in reatum venire episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujuscunque, sine reconciliatione ejus, qui excommunicavit, ei communicare præsumpserit, ut integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de justitia vel de iniquitate excommunicationis, proximæ synodo reserventur.* In concilio I. quod S. PA-
T. III. conc. p. 1478. can. 11. TRICIO attribuitur in Irlandia: *Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit: & alius eum susceperit, coæquali pœnitentia utantur.* In concilio Parisiensi eadem
An. 615. c. 13. pœna expresse in omnes eos, qui cum excommunicatis communicent statuitur, ut ab ecclesia pellantur, & communione privati duobus annis maneant. Quam in rem statuitur, ut excommunicatio in vicinis ecclesiis publicetur, quo excommunicatus sit cognitus, & nullus eum recipiat.

Ita

Ita constanter habent canones antiqui, nec ante decretales GREGORII IX. habetur exemplum minoris excommunicationis, quae privat solummodo passiva sacramentorum participatione. De qua sub laudati GREGORII IX. nomine duae habentur decretales. *Cap. fin. de clerico excommunicato minist. & C. penult. de sententia excommunic.* In bulla MARTINI V. communicatio cum excommunicatis tunc tantum vetatur, si excommunicati sunt nominatim denunciati, aut notorii clericorum percussores. Nec proprie est censura haec minor excommunicatio, quae a publico judicio ecclesiastico decernatur; sed potius ad forum poenitentiale pertinet, & virtute simplicis juris clavium exercetur, parochis etiam, jurisdictione ecclesiastica licet destitutis, communicata.

Multi etiam casus dantur & exceptiones, quas plerasque jam GREGORIUS VII. in concilio Romano an. 1078. notavit, in quibus communio mere externa cum excommunicatis est permissa, qui memoriae causa isto solent versiculo exprimi: *T. X. conc. p. 371.*

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utilitas autem non quaelibet, sed quae cum obligatione aliqua conjuncta sit, intelligitur a doctoribus; & illius exemplum exprimitur *c.* 34. *h. t.* exactio debitorum, ne excommunicatus ex censura lucrum reportet. *Lex* accipitur conjugale vinculum. *Humile* vero est obligatio subjectionis liberorum erga parentes, servi erga dominum, religiosi erga praelatum, clerici erga episcopum. *Ignorantia* dummodo non sit crassa, supina & affectata, sive sit juris sive facti. *Necessitas* qualis esse debeat, exprimitur laudato *cap.* 34. victus e. g. & alimentorum.

 §. CXXIV.

§. CXXIV.

De suspensione aut depositione clericorum.

Peculiares sunt in clericos censuræ ac pœnæ, magis aut minus accedentes suspensioni, qua clericus prohibetur ab executione potestatis, quam habet ratione officii vel beneficii ecclesiastici.

Sicuti communio clericalis a laicali distincta semper fuit, ita etiam excommunicatio, seu ἀφορισμὸς separatio ea proprie est, quæ ad ordinis & ministerii executionem spectat, ac cum suspensione vel depositione convenit, relicta communione laica. Discrimen hoc expresse habetur in canone quodam apostolico:
C. 24. *Episcopus vel presbyter vel diaconus fornicationis vel perjurii, vel furti convictus, deponatur, & non segregetur. Dicit enim scriptura: Non vindicabis bis in idipsum.* In multis autem canonibus separationis distincta fit mentio de clericis, quando de minoribus criminibus, adeoque minori pœna plectendis agitur, qualis est suspensio ἀφορισμὸς seu separatio a munere sacro, ut non possint μηδὲ ὅλως ἱερατικόν τι ἐνεργεῖν ullum sacerdotale officium obire, ut BALSAMON scribit ad canonem 79. Carthaginensem. Et ad canonem 16. Nicænum expresse distinguit clericalem a laicali excommunicatione, dum statuitur: *Clericos, qui ab eis, qui ordinarunt, evocantur, & redire non persuadentur, esse a communione separatos, id est non permitti eis, ut simul sacrificent. In ea enim significatione non communicare accipitur:*

non

non autem in ea, quæ est, in ecclesiam non accedere, vel sacramenta non participare &c. Idem in eundem canonem ZONARAS observat.

Inde autem res apertissima fit, quod pro majoribus criminibus utraque separatio seu excommunicatio clericis fuerit inflicta. Quale exemplum in NOVATO S. CYPRIANUS notat, qui uxoris utero calce percussso abortui causam dederat, atque meruerat *propter hoc se de presbyterio excitari non tantum, sed & communicatione probiberi.* (Ep. 52. ad Cornel.) In concilio Neocæsar. eadem apparet distinctio pro criminis ratione: *Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.* (Can. 1.) In concilio Ilerdensi eadem habetur distinctio in recidivis: *Si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.* (Can. 5.) In hæreticos solebat ista adhiberi severitas, & canones apostolorum eandem in clericum Simoniæ reum adhibent, (Can. 29.) in eum item, qui propter abominationem nuptiis, carne, & vino abstinendnum duxerit. (C. 50.)

Alter gradus censuræ in distinctione depositionis a suspensione consistit: illa enim privationem perpetuam & plenam ab officio & beneficio designat, hæc non item. Ita in concilio Antiocheno pœna statuitur: *Si quis presbyter vel diaconus proprio contemto episcopo ab ecclesia seipsum segregavit: Is omnino deponatur, & non amplius curationem assequi, nec suum possit honorem capere.* (Can. 5.) *Infamia est*, inquit ORIGENES, *a populo DEI & eccle-* (Hom. 10. in Exech.)

sia separari, dedecus est in ecclesia surgere de diaconatus gradu, & quidem eorum qui abjiciuntur alii seditiones commovent, alii vero judicium in se factum, cum omni humilitate suscipiunt. Quicunque igitur exiguntur, & dolore depositionis suæ congregant populos ad schisma faciendum, & sollicitant multitudinem malignorum, non accipiunt inhonorationem suam in præsenti, sed thesaurizant sibi thesaurum in die iræ. Qui autem cum omni humilitate, sive digne sive indigne depositi sunt, DEO judicium derelinquunt, & patienter sustinent, quod de se judicatum est, isti & a DEO misericordiam consequentur, & frequenter etiam ab hominibus revocantur in pristinum gradum, & in gloriam quam amiserant. In hoc textu distinguuntur laicorum & clericorum pœnæ. Idque innuitur, qui etiam depositionis pœnam subiit, iterum posse revocari in pristinum gradum: cum olim ordinaria fuerit depositionis pœna in clericos, sicut excommunicationis in laicos.

Sed præsertim in episcopis amplo judicio opus erat majoris concilii, ad hanc subeundam sententiam; unde concilium Constantinopolitanum *decrevit, non licere in posterum nec a tribus quidem, nedum a duobus, eum qui reus examinatur, deponi; sed majoris synodi & provinciæ episcoporum sententia, sicut apostolici definiere canones.* Poterant alii clerici quidem deponi a suis episcopis, sed si se gravatos existimarent, recursum habebant eundem ad concilium, aut papam.

An. 394.

Frequens nihilominus erat hæc censura. Quod S. AUGUSTINUS non dedecori ecclesiæ cedere, sed potius honori esse existimavit; atquo hinc arguit disciplinam apud catho-

Lib. III. cont. epist. Parmen.

catholicos magis vigere, quam apud Donatistas, quod numerus ingens eorum esset, qui episcopatu aut alio gradu ecclesiastico depositi, pudore suffusi alias in regiones abscesserint, aut ad partem DONATI vel aliorum haereticorum se contulerint.

Hodie rariora sunt haec exempla, & suspensio est propria pro clericis poena, quod vel in totum vel pro parte officio & beneficio ecclesiastico suspenduntur. Suspensio ab officio simpliciter expressa importat suspensionem ab executione ordinis & jurisdictionis, ut colligunt doctores ex cap. 1. de sententia & re judicata in 6. ubi dicitur, quod si suspensus ab officio damnabiliter se divinis ingesserit, irregularitatem incurrat: adeoque supponitur, suspensum ab officio nullis se posse divinis ingerere muniis. Haec proprie est separatio seu *ἀφορισμὸς* antiquis canonibus expressus. Habet tamen etiam suas restrictiones, quae in sententiae latione pro re rata solent exprimi.

Eadem est ratio suspensionis a beneficio, qua clericus perceptione fructuum beneficii aut aliis a beneficio dependentibus suspenditur. Distinctio haec etiam ex S. CYPRIANO colligitur: „ Interim (inquit) se a divi- *Epist.* 34.
„ sione mensurna tantum contineant, non
„ quasi a ministerio ecclesiastico privati esse
„ videantur.„ Et in concilio Carthaginensi IV. *C.* 49.
Clericus, qui absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis deest, stipendiis privetur. Haec poena extraordinaria hodie est in distributionibus diurnis.

§. CXXV.

De comunione laica & peregrina.

Lux sic affunditur veteribus canonibus, qua nunc *privata* nunc *laica* nunc *peregrina* communio tantum clericis indulgetur, aut alia quadam sacra privantur prærogativa.

Varia fuit antiquis temporibus clericos excommunicandi ratio. Aliquando jubebantur esse contenti ecclesiæ suæ communione: quæ potest dici privata communio, & hæc fuit pœna episcopi sine justa causa non accedentis ad synodum provincialem. (*Can.* 10.) S. AUGUSTINUS (*Ep.* 261.) quosdam episcopos huic pœnæ addictos memorat, PRISCUM ac VICTOREM: „Cui (inquit) relicto in eadem pœ„na, in qua & PRISCUS fuit, nusquam „nisi in diœcesi ejus ab alio communicatur „episcopo.„ Huc pertinere videtur canon concilii Arelatensis, (*Can.* 19.) qui episcopum *alienum facit a fratrum communione*. Et concilium Tarraconense, (*C.* 6.) *usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum charitatis communione privat*, *sicut statuta patrum sanxerunt*. Non hic depositionis aut suspensionis aliqua interveniebat censura.

Secus fiebat, si clerici ad communionem laicam vel peregrinam redigerentur, de quibus variæ sunt doctorum sententiæ, hodieque inter se diversæ, necdum omnibus submotis difficultatibus: quæ tamen facile enodantur, si ad ea attendatur, quæ modo de depositione & suspensione ex antiquitate ecclesiastica diximus, quatenus communione sacramentorum admissa tantum functiones sa-

crae

cræ interdicebantur. Et quidem quoad depositionem omnimodam præter ea, quæ mox attulimus, observandus est concilii Ephesini canon, a Chalcedonensi postea notatus, ut constet communionem etiam depositis clericis non fuisse negatam, atque in hoc discrimen constitisse clericos inter & laicos: *Si quis velit ea, quæ de singulis per sanctam synodum Ephesinam gesta sunt, quocumque modo movere: sancta synodus ipsa decrevit, siquidem episcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu; si vero laici, excommunicatos esse.* Can. 6.

In conciliis variis expressa habetur indulta communionis laicæ mentio, quando clerici ab officio depositi in monasterium detrudebantur: Ita concilium Agathense: *Si episcopus, presbyter vel diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit ab officii honore depositus in monasterium detrudatur; & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Concilium Epaonense: *Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, ibi tantummodo, quamdiu vixerit, communionem sumendo.* Concilium Aurelianense III. *Si quis adulterasse aut confessus fuerit, vel convictus; depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur.* Et mox non detrusionis in monasterium, sed degradationis mentione facta: *Si quis clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam sunt crimina, communione concessa, ab ordine degradetur.* In collectione a MARTINO Bracar. ex canonibus Græcis in usum ecclesiæ Hispa-

Can. 50. C. 22. Can. 7.

Can. 26. Hiſpanicæ facta, ſimilis habetur canon: *Si quis homicidii aut facto aut præcepto, aut conſilio aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur, & in finem vitæ ſuæ laicam communionem tantummodo recipiat.* Hæc aliaque monumenta antiquitatis eccleſiaſticæ, qui attenderit, nullum amplius dubium habebit, quid ſit laica communio, ad quam redigi ſolebant frequenter clerici; aliquando autem ea etiam privati ob enormitatem ſcelerum aut diſciplinæ ſeveritatem. Qualem incurriſſe cenſuram EVARISTUM quemdam epiſcopum diſcimus ex S. CYPRIANO, ſcilicet, *de epiſcopo jam nec laicum remanſiſſe, cathedra & plebis extorrem, & de eccleſia CHRISTI exulem.*

Ep. 52. ad Cornel.

Et in concilio Agrippinenſi: *quia Euphrata CHRISTUM DEUM negat, conſentio, eum epiſcopum eſſe non poſſe; qui nec laicam debet communionem accipere.* Concilium Illiberitanum: *Epiſcopi, presbyteri, & diacones, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint, quod ſint mæchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Nec ſeveritatem iſtam hoc tantum concilium adhibuit, in concilio Sardicenſi latius extenditur: *Omnino ergo has fraudes & artes puniendas eſſe exiſtimo: ut nemo poſſit, qui eſt ejuſmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi.* Canone I. eadem privatio laicæ communionis indicitur. Et in laudato concilio Illiberitano pœna illa ad certum etiam reſtricta habetur tempus: *Si quis diaconum ſe promiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte*

T. II. conc. p. 615.

Can. 18.

Can. 2.

Can. 76.

fuerit

fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere communionem. Quodſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere. In concilio Hiſpalenſi eadem indulgentia fit poſt relegationem in monaſterium: *Deſertorem clericum, cingulo honoris atque ordinationis ſuæ exutum, aliquo tempore monaſterio relegari convenit; ſicque poſtea in miniſterio eccleſiaſtici ordinis revocari.* *Can.* 3.

Multi fuerunt, qui ſecuti auctorem gloſſarum decreti Gratianei, eandem putaverint eſſe communionem laicam, & peregrinam, quæ pariter occurrit in antiquis canonibus clericorum pœna. Ac primum in concilio Regien. conſtitutum *An.* 439. fuit, ut ARMENTARIUS, qui invitus ad cathedram Ebredunenſem, contra canones a binis duntaxat epiſcopis, absque provincialium conſenſu & primatis auctoritate ordinatus fuerat, juvenis canonumque ignarus, epiſcopali ſede abſtineret, & vel chorepiſcopi titulum acciperet, vel peregrina communione frueretur. In Agathenſis concilii duobus canonibus fit communionis peregrinæ mentio, ad quam redigantur *Can.* 2. contumaces clerici, & ſuperbi, qui communionem contemſerint, aut eccleſiam frequentare, vel officium implere neglexerint, *Can.* 5. aut qui furtum fecerint. Et in concilio Ilerdenſi eadem pœna indicitur clericis rapacibus, *C.* 15. diripiendis prælatorum vita functorum hæreditatibus intentis. Ex quibus omnibus colligitur, aliam & leviorem pœnam hanc fuiſſe communione laica, & haud dubie eandem, ac communio fuit clericis peregrinis indulta, qui munus ac officium in aliena eccleſia non obibant, nec ſportulis aut beneficio gaudebant; *C.* 2. ita, ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcri-

rescripti in matricula gradum suum dignitatemque suscipiant. Haud absimiles habentur pœnæ clericis inflictæ, ut communione clericali contenti ab officio penitus aut ex parte tantum arcerentur. Sic duo sunt apud S.
Can. 27. BASILIUM canones: *De presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definivi, quæ oporteat: esse quidem cathedræ participem, a reliquis autem actioni-*
Can. 70. *bus abstinere.* Et: *Diaconus, qui pollutus est labiis, & se eousque peccasse confessus est, a ministerio probibebitur, sacramentorum autem cum diaconis particeps esse sinetur.* Faciunt hæc ad illustrationem communionis peregrinæ clericorum, ac ostendunt, clericorum communionem esse potuisse, & tamen pœnam; quæ in ARMENTARIO respondebat ei pœnæ, ut a munere episcopali alienus, tantum chorepiscopi nomen haberet.

Quod in antiqua ecclesia non erat infrequens, ut quis nomen retineret sine officio, quam sententiam contra MELETIUM tulit, aut potius moderata est synodus Nicæna:
L. I. c. 24. *Ut in urbe Lyco degeret,* quæ sunt SOZOMENI verba, *solo episcopi nomine contentus: nec deinceps sive in urbe sive in vico ordinationem ullam faceret.* Idem circa Novatianos fuit statutum in eodem concilio:
Can. 8. *Qui apud eos, qui Cathari dicuntur, nominatur episcopus, presbyteri honorem habebit: nisi utique episcopo placeat, ipsum nominis honorem impertire.* Et concilium Trullanum:
C. 20. *Ne liceat episcopo in alia, quæ ad se non pertinet, civitate publice docere. Si quis autem hoc facere deprehensus fuerit, ab episcopatu desistat, presbyteri autem munere fungatur.* Idem de aliis ordinibus contingebat:

Sub-

Subdiaconus defuncta uxore, habet concilium Toletanum I. *si aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter ostiarios vel inter lectores, ita ut evangelium & epistolam non legat.* C. 4.

§. CXXVI.

De irregularitate in poenam.

Clerici pro ratione criminis addicti pœnitentiæ publicæ, aut censuram ecclesiasticam contemnentes, sacra munia obeuntes, penitus ad sacrum ministerium inepti reddebantur, & dicuntur irregulares.

Universalis hæc erat antiquæ ecclesiæ disciplina ac praxis, ut pœnitentiæ publicæ addicti unquam, a clero omnino arcerentur, nec ad sacras functiones & ministerium redintegrari potuerint. *Ut constitueretur*, inquit S. AUGUSTINUS, *in ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ.* In hoc canones veteres conspirant, ne quis ad clericatum admitteretur, aut certe per errorem admissus deponeretur, qui pœnitentiæ publicæ erat aliquando subjectus. Ita concilium Nicænum: *Quicunque ex iis, qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promoverunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico canoni non præjudicat. Ii enim cogniti deponuntur.* Et concilium Carthaginense IV. *Ex pœnitentibus (quamvis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a cle-*

Epist. 185. ad Bonif.

Can. 10.

Can. 68.

a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens episcopus ordinaverit talem, etiam ab episcopatus sui, ordinandi dumtaxat, potestate privetur.

Can. 3. Concilium Epaonense: *Pœnitentiam professi ad clericatum penitus non vocantur.*

Conc. Tolet. I. C. 2. *De ecclef. dogm. c.* 72.

Intelligitur hic pœnitentia publica & solemnis: *Pœnitentem dicimus, qui publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Et GENNADIUS dicit: *Clericum non ordinandum, qui publica pœnitentia mortalia crimina deflet.* Nec tamen laudatus paulo ante canon Nicænus, nec alter ejusdem concilii proxime præcedens expresse meminit publicæ pœnitentiæ:

Can. 9. *Si qui citra examinationem promoti sunt presbyteri, vel examinati peccata sunt confessi, eisque confessis, præter canonem moti homines manus imposuerunt, eos canon non admittit. Quod est enim a reprehensione alienum, defendit ecclesia.* Et concilium Neocæsariense:

Can. 9. *Si presbyter, qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis propter aliud ejus bonæ vitæ studium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impositione tolli.* Obscurum est de qua manuum impositione agatur. In concilio Gerundinensi ita habetur:

C. 10. *Qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ publicæ in ecclesia non subdiderit; si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.* Et concilium Carthaginense V.

C. 11. *Confirmatum est, ut si quando pres-*

presbyteri vel diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis, imponatur. Et S. LEO P. „ Alienum est a „ consuetudine ecclesiastica, ut qui in presby- „ terali honore aut in diaconi gradu fuerint „ consecrati, hi pro crimine aliquo suo per „ manus impositionem remedium accipiant „ pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica „ traditione descendit, secundum quod scri- „ ptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit* „ *pro eo?* Unde hujusmodi lapsis ad promo- „ vendam misericordiam DEI privata est ex- „ petenda secessio, ubi illis satisfactio, si fue- „ rit digna, sit etiam fructuosa. *Epist. 92. ad Rusticum.*

Meminit tantum majorum ordinum presbyteratus & diaconatus; & in concilio Toletano I. non omnino pœnitentibus ad minores ordines, impeditur accessus: *Placuit, ut pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut usus exegerit, & tunc inter ostiarios deputentur, vel inter lectores.* Ad majores ergo ordines ordinaria hæc erat & rata irregularitas. *Can. 2.*

Quibus aliæ adjungi possunt ex crimine; & novo jure decretalium imprimis notandum est, quod suspensus ab officio seu ministerio sacro, si eidem se culpabiliter ingesserit, irregularitatem contrahat: cum talis veteri disciplina depositus penitus ab ecclesia excisus sit, & qui cum eo communicarint similiter ab ecclesia ejecti: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus*, habet canon apostolicus, *juste propter manifesta crimina depositus, attingere sibi quondam traditum ministerium ausus fuerit, is penitus ab ecclesia excindatur.* Et conci- *C. 1. de sententia & re jud. in 6. C. 29.*

Hh lium

Can. 4. lium Antiochenum: *Si quis episcopus a synodo depositus vel presbyter vel diaconus a proprio episcopo, sacrum celebrare ausus fuerit, sive episcopus secundum praecedentem consuetudinem, sive presbyter, sive diaconus, nullam amplius spem restitutionis in alio synodo neque defensionis locum ei habere liceat. Sed & omnes, qui ei communicant, ex ecclesia ejiciantur, & maxime si quam sententiam adversus praedictos prolatam didicerunt, eis communicare ausi fuerint.* Alia ad hoc argumentum suo loco de sacramento ordinis dicentur.

§. CXXVII.

De interdicto.

Cum excommunicatione & suspensione in plerisque convenit interdictum & cessatio a divinis, quibus quarundam rerum divinarum usus, quatenus est communis fidelibus, interdicitur, intermittiturque, non vero quoad communicationem cum fidelibus.

Cap. 11. de sponsalibus &c. & de poenitent. & remiss.

Videtur interdictum cum excommunicatione convenire, quatenus est separatio a sacramentis & officiis divinis & ecclesiastica sepultura; in hoc tamen discrimen ponunt doctores, quod excommunicatio separet a divinis propter denegatam communionem fidelium cum aliis fidelibus in sacris & profanis; interdictum vero non subtrahat, aut deneget directe communionem fidelium, sed tantum divinorum dispensationem seu participationem. Addunt interdictum ferri posse in

in locum vel communitatem, ut comprehendat nocentes cum innocentibus, excommunicationem autem tantum in certas & determinatas personas nocentes. Unde qui accuratius pleniusque definiunt interdictum, addunt esse censuram in locum & personas vel utrumque simul latam.

Cap. 5. de sent. excommunic. in 6.

Distinguunt nimirum triplex interdictum, locale, personale & mixtum. Locale dicitur, quod directe fertur ad locum, ne in eo exerceantur divina: dicitur directe ferri ad locum, quia indirecte etiam fertur ad homines, quatenus eo in loco divinis interesse nequeunt. Sed tamen quia directe solum locum respicit, non personas, ideo personæ possunt alio loco divinis assistere, sacramenta accipere, atque in locis sacris alibi sepeliri.

Interdictum personale vocatur, quod dirigitur immediate & directe in personam, eique interdicit rerum quarundam divinarum usum: differtque a locali, quod non determinetur ad certum locum, sed ad certam personam: hinc dicitur ambulatorium, ac ambulare cum persona, quia quocunque in loco persona interdicta divinis interesse non potest; nullus autem propterea locus interdicto est suppositus, possuntque alii non interdicti in loco divinis interesse. Interdictum hoc revera suspensionem operatur, & in clericos decernitur vel in pœnam contumaciæ, ut sit medium eam frangendi, & clericos ad obsequium reducendi, vel ob culpam ac delictum hac pœna coercendum, vel ob accusationem seu inquisitionem ex gravi crimine contra clericum motam.

C. 10. de purgat. canon.
C. 26. de appell. 20. de verb. sign.

Mixtum ex utroque constat locali & personali, quod directe tam in locum quam in perso-

C. 10. de purgat. canon.

personam fertur, ac uterque interdicto subjacet.

Interdictum tam locale quam personale iterum subdividitur in generale & speciale. Interdictum locale generale est, quo locus a pluribus communiter inhabitatus interdicitur, veluti regnum, civitas, castrum &c. speciale est, quo particularis locus sacer, ecclesia vel capella afficitur. Interdicto locali generali civitatis, castri &c. etiam contigua ædificia continentur etsi peculiaribus muris terminata juxta decretalem BONIFACII VIII. ne facile eludatur interdictum: „ Nam „ (inquit) licet prædicta videantur alias mu„ rorum ambitu terminari, hoc tamen casu „ ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod „ fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel „ continentibus ædificiis licite celebrari, ut „ prius) expedit interpretationem fieri latio„ rem. „ De interdicto speciali similiter: „ Si „ sit ecclesia interdicto supposita vel subjecta; „ nec in capella ejus celebrari, nec in cœ„ meterio ipsius eidem ecclesiæ contiguis po„ terit sepeliri, secus si ea contigua non exi„ stant. „

C. 10. & 17. de sent. excommun. in 6.

Cit. c. 17.

Interdictum personale generale est, quod fertur directe in ipsos homines scilicet communitatem, collegium, populum &c. Et propterea locus ipse vel ecclesiæ in tali loco existentes non sunt interdictæ, quin ibidem possint divina officia celebrari, atque etiam ad ea admitti peregrini, viatores, & omnes alii habitatores loci, qui non sunt membra communitatis interdictæ, vel qui per domicilii mutationem, aut alio modo membra esse desierunt. Quin etiam in interdicto locali personæ, qui nec per se, nec per auxilium, consi-

consilium, favorem, interdicto causam dederunt, possunt licite extra locum interdictum divina audire juxta cap. 16. de sententia excomm. in 6. ubi etiam declaratur: *Si sententia interdicti proferatur in clerum, non intelligi (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus; nec etiam e converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina.*

Interdictum personale speciale est, quando aliquis aut plures interdicuntur expressis propriis nominibus aut saltem generaliter dicendo, singulos tali in causa culpabiles interdictos esse.

Huc referri potest, quod quidam primum ponunt interdicti exemplum ex S. BASILIO ob raptam virginem parentibus restituendam: „ Puellam quidem (sunt S. Præsulis verba) „ ubicumque inveneris auferens omni con- „ tentione parentibus restitue. Raptorem ve- „ ro e precibus excommunica, & ejectum pro- „ clama: quin etiam pagum, qui hominem „ illum susceperit cum puella rapta, aut ser- „ vaverit, aut armis defenderit, ipsum ora- „ tionum expertem cum omni populo effice. „ Negari non potest, quandam interdicti faciem hic apparere conformem disciplinæ illius temporis, quoad publicam pœnitentiam & excommunicandi modum. Qua de re jam S. AUGUSTINUM adduximus, & mox laudabimus, quid de excommunicatione integrarum communitatum senserit, fassus aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse. Quod refertur a GRATIANO q. *An pro peccato alicujus tota familia sit excommunicanda?* Nec excommunicationis nomen offendere debet, quod primum hic

Ep. 144. vet. ed.

C. 1. caus. 24. q. 3.

ob cognationem adhuc retentum est, etiam postquam propiora exempla censuræ interdicti, prout deinceps invaluit, habentur. Quale est apud MABILLONIUM de S. VIRGILIO in ejus vita: *Quo cognito VIRGILIUS episcopus excommunicavit eam* (ecclesiam) *& appellavit eam discordia, & omnibus presbyteris contradixit, ut nemo ibi cantaret missam, nec aliud officium DEI, & ita excommunicata permansit, quousque VIRGILIUS episcopus vixit.* Vixit autem VIRGILIUS vergente sæculo octavo, ubi & proxime superioribus sæculis vix alia occurrunt exempla, præter pauca a GREGORIO Turon. relata, e. g. ob S. PRÆTEXTATUM episcopum Rothomagensem in ecclesia ipso die Paschatis divina officia peragentem trucidatum: „Tum LEUDOVALDUS episcopus (ut rem narrat) epistolas per omnes sacerdotes direxit, & accepto concilio ecclesias Rothomagenses clausit, ut in his populus solemnia divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris.„ Idem refert, dum ecclesia S. DIONYSII esset profanata cædibus & profusione sanguinis cessatum esse a faciendo officio divino, & culpabiles, donec satisfacerent, esse excommunicatos.

Act. ord. S. Bened. Sec. III. P. II. p. 313.

Lib. VIII. hist. Francor.

Lib. V. c. 33.

Singulare est, quod de FRANCONE episcopo Aquisgranensi refert, injuste a SIGEBERTO rege condemnato ad multam auri centum solidorum, ablata etiam terra ecclesiæ; episcopo sese prosternente ad sepulchrum S. MITRIATIS, & coram contestante, non fore luminaria accendenda, nec psalmos cantandos, donec sanctus vindicaverit servos suos ab inimicis suis, & ecclesiæ reddi fecerit vio-

Lib. de gloria confess. c. 71.

lenter

lenter ufurpata ecclefiæ bona. Quibus dictis epifcopus fpinas fuper fepulchrum & aditum ecclefiæ claufum fparfit. Idem haud abfimile narrat factum LEONIS epifcopi Agathenfis fub Gothorum dominatione divinam vindictam provocantis in comitem GAMACHARIUM Arianum, qui terram ecclefiæ ufurpaverat, & epifcopo dira minatus fuerat. Ubi epifcopus, poftquam ad ecclefiam S. ANDREÆ veniens orationi fe dediffet, vigilias celebraffet, & noctem in pfalmodia & lacrimis tranfegiffet, mane ad lampades in ecclefia fufpenfas accedens omnes confregit, conteftans, non fore amplius luminare fuccendendum, donec DEUS vindictam ab hoftibus fuis fumferit, & bona domui fuæ reddiderit. Hæc fingularia & extraordinaria funt exempla illorum temporum ftirpis Merovingicæ. *Lib. de gloria martyr. c. 79.*

Illud vero non apud omnes habet fidem, quod BARONIUS narrat ex annalibus Francorum de AGAPETO P. CLOTARIO regi mandante, ut culpam GUALTERO quodam domino de Yuetot, in ecclefia crudeliter interfecto, minante papa nifi digna fatisfactione emendaret, alioquin regnum ipfius interdictum fore. Similiter, quæ ex conciliis Landavienfibus fæculi fexti & fequentium huc referri poffunt, MORINUS, qui ea refert, fuppofititia habet, earumque fynodorum auctorem ad initium fæculi duodecimi relegat, ut poffit difciplinam fæculi undecimi referre. *De pœnitent. Lib. VII. c. 17.*

Sæculi illius undecimi habetur illuftre exemplum in fynodo Lemovicenfi fecunda an. 1031. Ne quid dicam de HINCMARO Laudunenfi fæculo nono, qui clerum fuum, cum fibi obedire detrectaret, excommunicans, presbyteris omnibus fui diftrictus interdixit

missam celebrare, baptismum administrare, pœnitentiam item & viaticum etiam moribundis, & sepulturam mortuis: quod exorbitans est, cum baptismus & viaticum saltem ministrari tempore interdicto liceat. Audiamus autem qualem in laudato concilio Lemovicensi ODERICUS abbas suggesserit episcopis medicinam adversus contumaciam principum & magistratuum tunc grassantem: „Nisi de

Sess. VII.

„ pace acquieverint, ligate omnem terram Le-
„ movicensem publica excommunicatione, eo
„ videlicet modo, ut nemo nisi clericus aut
„ pauper mendicans, aut peregrinus adve-
„ niens aut infans a bimatu & infra in toto
„ Lemovicino sepeliatur, nec in alium episco-
„ patum ad sepeliendum portetur. Divinum
„ officium per omnes ecclesias latenter agatur,
„ & baptismus petentibus tribuatur. Circa
„ horam tertiam signa sonent in ecclesiis om-
„ nibus, & omnes proni in faciem preces
„ pro tribulatione & pace fundant. Pœniten-
„ tia & viaticum in exitu mortis tribuatur.
„ Altaria per omnes ecclesias, sicut in Para-
„ sceve, nudentur: & cruces, & ornamenta
„ abscondantur: quia signum luctus & tristitiæ
„ omnibus est. Ad missas tantum, quas unus-
„ quisque sacerdotum januis ecclesiarum ob-
„ seratis fecerit, altaria induantur, & iterum
„ post missas nudentur. Nemo in ipsa excom-
„ municatione uxorem ducat. Nemo alteri o-
„ sculum det &c.„ ADEMARUS Engolismensis vocat hanc *observantiam novam*. Et

Epist. 94.

IVO Carnotensis vocat interdictum *remedium insolitum*. Vixque pauca in epistolis GREGORII VII. occurrunt exempla. Deinceps magis & magis sunt frequentata & jure canonico ad certam formam revocata, quin tamen

ALE-

ALEXANDER III. ut quibusdam visum, eorum auctor haberi debeat

§. CXXVIII.

Abusus & rigorem interdictorum ecclesia ac summi pontifices tollere studuerunt, varia etiam indulta & privilegia concedendo successu temporum. Ejusque moderamine.

Tum ob novitatem, cum etiam inde, quod innocentes interdictis generalibus plerumque innodentur, acriter passim Protestantes in hoc censuræ genus invehuntur; alio tamen fundamento & cavillationis causa, quod legitimam ecclesiasticam potestatem & jus coactivum omne ecclesiæ demant, præsertim erga reges & principes, quibus jus sacrorum adscribunt: ob quorum potissimum contumaciam hoc censuræ genus stringitur, dum aliter ad officium revocari nequeunt rebelles, contumaces, & censuras ecclesiasticas contemnentes, ut saltem sic flectantur, & sibi timeant, aut a suis subditis ad hoc inducantur.

Nonnunquam pluribus annis integra regna hoc in malo contabuerunt. Sic MARIANA scribit de Lusitania interdicto supposita ob dimissam ab ALPHONSO uxorem MATHILDEM: *Interdictum tenuisse duodecim annos scribunt*, sunt verba MARIANÆ, *dum neque rex mutat, neque consequentes pontifices de justissima indignatione remittunt, regiæ improbitatis pœnam innocentes populi sustinent.* Hoc est quod maxime in interdicto offendit, cum tamen non directe puniantur inno- *An.* 1259. *Lib. III. de rebus Hispan. c.* 12.

centes, ſed damnum per accidens tantum ſentiant, quatenus & quamdiu in loco vel communitate interdicta verſantur; quia, ut diximus, extra locum interdictum divina audire poſſunt juxta jam citatum cap. 16. de ſententia excommun. in 6. Alias vero nihil communius eſt in rebus humanis & moderna providentia, quam ut promiſcue innocentes cum nocentibus mala ſentiant in publicis calamitatibus; quemadmodum hic fieri ſolet ob publicam aliquam & gravem cauſam, quando rectores & perſonæ publicæ ſunt culpæ obnoxii, & ſatisfacere renuunt.

Atque hinc etiam patet, quid ad id dicendum, quod ex S. AUGUSTINO afferunt, & nos jam retulimus de excommunicatione, ubi multitudo ſocia eſt etiam criminis, non ſtringenda; diſcrimen enim attendendum eſt excommunicationem inter & interdictum. Vel hinc enim, ne innocens forte cum nocente pœnam excommunicationis ſubeat, commoda eſt interdicti cenſura, quæ neminem directe ferit, nec ulli coram DEO nocet; qui peccati haud particeps luget malum publicum & patienter ſuſtinet. Secus ac in excommunicatione contingit. Unde potius ſequi, quantum licet, ecclesia conſilium S. AUGUSTINI dici poteſt, integram multitudinem non excommunicando, ſed ad mali ſenſum & indignationem juſtam provocando bonos & innocentes; malos autem & nocentes terrendo per interdictum. „ Ita enim (dicere cum S. AU-
„ GUSTINO licet) ſalva pace corrigitur,
„ & medicinaliter uritur. Propterea de illo
„ dixit, quem tali medicina ſanari voluerat,
„ ſatis hæc eſt correptio a multis. Neque enim
„ poteſt eſſe ſalubris a multis correctio, niſi
„ cum ille corripitur, qui non habet ſociam

Lib. III. cont. Parmen. c. 2.

„ multi-

multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, „ quam dolor & gemitus; ut per illud signum, „ quod EZECHIELI sancto revelatur, illæsi „ evadere ab illorum vastatione mereantur. „ Est censura interdicti publici luctus quoddam genus, grande illud quidem, quod bonum quemcunque & religiosum maxime debeat percellere. Atque vel hinc ecclesia cavit, ne quæ exacerbatio interveniat, aut iniquitas: „ Quicunque ergo (jam a concilio Toletano „ XIII. est cautum) sacerdotum vel ministrorum deinceps causa cujuslibet doloris vel „ amaritudinis permotus, aut altare divinum „ vel vestibus sacris exuere præsumserit, aut „ qualibet alia lugubri veste accingi, seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo DEI subtraxerit, vel extingui præceperit, aut quodcunque lugubritatis in templo DEI induxerit, atque (quod „ pejus est) occasionem nutrierit, unde de „ templis Domini aut officia consueta desint, „ aut oblatio singularis sacrificii videatur in „ aliquo defraudari, si eum antea veræ pœnitudinis coram metropolitano satisfactio non „ purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta superiorem sententiam Domini, „ & loci sui dignitate se noverit & hoc honore privari. „ *Can. 7.*

Romani pontifices mala, quæ ex interdicto provenire queant, attendentes multum mitigarunt, imprimis BONIFACIUS VIII, qui ea recenset, & cordi habet: *Quia ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.* *C. 24. de sentent. excomun. in 6.*

tur. Jam antea summi pontifices ALEXANDER III. & INNOCENTIUS III. varia remiserunt non solum ut baptismum parvulorum & pœnitentias morientium celebrare liceat; sed etiam tempore interdicti populo prædicari verbum DEI, & parvulis dari sacramentum confirmationis, ut clerici decedentes, qui tamen servarint interdictum in cœmeterio ecclesiæ sine campanarum pulsione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur. Et in conventualibus ecclesiis bini & bini vel simul tres horas canonicas valeant legere, non cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita remissa, quod exterius audiri non possit. Cruce signatis & peregrinis porro indulgetur etiam ut benevalentibus detur pœnitentia cum postulaverint. GREGORIUS IX. permittit ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, missarum solemnia celebrare causa conficiendi corporis Domini, quod excedentibus in pœnitentia non negatur. BONIFACIUS VIII. adhuc plus indulsit: „Quod tempore „interdicti ab homine, vel a jure prolati, „non tantummodo morientes, sed etiam vi- „ventes tam sani etiam quam infirmi ad pœ- „nitentiam (quæ propter pronitatem & fa- „cilitatem hominum ad peccandum, summe „necessaria est) licite admittantur, dum ta- „men excommunicati non fuerint, quos ad- „mitti (præterquam in mortis articulo) no- „lumus ad eandem. Illis etiam propter quo- „rum culpam, dolum vel fraudem lata est „sententia interdicti, vel qui ad perpetran-

C. 43. de sent. excommun.
C. 11. de pœnit. & remiss.

C. 57. de sent. excomm.

C. 24. eod. t. in 6.

„dum

dum delictum, cujus occasione ipsum in- „
terdictum est latum, præbuerunt auxilium, „
consilium, favorem: nisi de ipso delicto (si „
sint tales, quod id facere valeant) prius „
satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam „
dederint cautionem, aut si satisfacere ne- „
queunt, vel hujusmodi cautionem præsta- „
re juraverint &c. Adjicimus præterea quod „
singulis diebus in ecclesiis & monasteriis „
missæ celebrentur, & alia dicantur divina „
officia sicut prius: submissa tamen voce &c. „
In festivitatibus vero Natalis Domini, Pa- „
schæ, ac Pentecostes, & assumptionis Vir- „
ginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & ja- „
nuis apertis alta voce divina officia solemni- „
ter celebrentur, excommunicatis prorsus „
exclusis, sed interdictis admissis: quibus ob „
reverentiam dictarum solemnitatum (ut ipsi „
ad humilitatis gratiam & reconciliationis af- „
fectum facilius inclinentur) præfatis diebus „
participationem permittimus divinorum: sic „
tamen quod illi propter quorum excessum „
interdictum hujusmodi est prolatum, altari „
nullatenus appropinquent. „

In concilio Lateranensi IV. varia privilegia quibusdam ordinibus religiosis leguntur concessa, ut si ad locum interdictum venirent, in eorum jucundo adventu semel in anno una saltem aperiretur ecclesia, ut exclusis speciatim excommunicatis, divina celebrarent officia. Refertur hoc in decretalibus GREGORII IX. *c. 24. de privilegiis & excessibus privilegiatorum*, & mox aliud subjungitur, in favorem pontificalis officii, ut cum communi terræ fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis suppressa voce, non pulsatis campanis cele-

C. 25. de privil. & excess. privil.

celebrare divina offiicia, nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. Ordines ac monasteria varia diversa acceperunt privilegia tum circa interdicta generalia, cum etiam ne ullius episcopi interdicto subjici possint. Quale privilegium INNOCENTIUS capellæ regis Angliæ, & GREGORIUS IX. capellis regiis Franciæ indulsit. Singulare etiam est, quod LEO X. CAROLO V. pro ordine aurei velleris dedit.

An. 1516.

§. CXXIX.

De legitimo ordine in censuris infligendis.

Censuræ, quoniam medicinales sunt, præcipitandæ non sunt, legitimo juris ordine infligendæ, justaque apud superiorem potest interponi causa ante censuram latam.

Cap. 1. de sent. excom. in 6.

Cum medicinalis sit excommunicatio, decernit concilium Lugdunense sub INNOCENTIO IV. *non mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat; caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas . . . Et hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus obser-*

observari. Ibidem ab eodem qui legitima pollent potestate & jurisdictione monentur, *ut nec in specie nec in genere pro culpis & offensis præteritis vel præsentibus excommunicationum sententias absque competenti monitione præmissa promulgent, & si contra præsumserint, injustas noverint esse illas.* Jam antea in concilio Lateranensi sub INNOCENTIO III. circa idem fuit constitutum, „Ne quis in aliquem excommunicationis „sententiam, nisi competenti admonitione „præmissa, & personis præsentibus idoneis „per quas si necesse fuerit, possit probari mo- „nitio, promulgare præsumat; quodsi con- „tra præsumserit, etiamsi justa fuerit excom- „municationis sententia, ingressum ecclesiæ „per mensem unum sibi noverit interdictum, „alia nihilominus pœna mulctandus, si visum „fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne „ad excommunicationem cujusquam absque „manifesta & rationabili causa procedat: ad „quam si taliter forte processerit, & requisi- „tus humiliter processum hujusmodi non cu- „raverit absque gravamine revocare, grava- „tus apud superiorem deponat de injusta ex- „communicatione querelam: qui (si absque „periculo moræ potest) ad excommunicato- „rem illum cum suo mandato remittat, in- „tra competentem terminum absolvendum: „alioquin ipse per se vel per alium (prout „viderit expedire) sufficienti cautione rece- „pta munus ei absolutionis impendat.„ Alioquin vero censuræ per appellationem subsequentem minime suspenduntur juxta decretalem BONIFACII VIII. „Sane sicut ex- „communicatio sic ab officio vel ab ingressu „ecclesiæ lata suspensio; aut ipsius effectus „per

C. 5. eod. tit. in 6.

C. 48. de sent. excom.

C. 20. de sent. excom. in 6.

" per appellationem sequentem minime su" spenduntur. " Nec etiam valet juxta eundem: " Si appellationem eandem intra tem" pus ad ipsam prosequendam ab homine, vel " a jure statutum, non fuerit, ut debuit, pro" secutus. " Quin tamen excommunicationis sententia post appellationem legitimam promulgata, per negligentiam appellantis, appellationem suam minime prosequentis ratificetur, nec etiam convalescat. Jam antea ab INNOCENTIO III. fuit cautum: si quis recurrat ad archiepiscopum questus, se a suo episcopo fuisse excommunicatum post jam interpositam a se appellationem in causa; vel in forma excommunicationis errorem intolerabilem patenter fuisse expressum, ad probationem admittendum esse, etiamsi non petat absolutionem, sed donec de allegatis constiterit, in aliis actis non judicialibus citandum esse. In aliis vero causis, nisi absolutionem petat, non debere audiri &c.

C. 14. eod. t. in 6.

§. CXXX.

Et absolutione ab iisdem.

Absolutio a censuris eadem auctoritate fit, qua infliguntur, ab illis, qui hac potestate gaudent, aut quibus illi eam concesserunt, præsertim in censuris a jure latis, & pro foro interno.

Ea constans & rata semper fuit in ecclesia lex, ut censura solvere illi soli competeret, qui eam inflixit. *Si quis presbyter*, habet canon apostolicus, *aut diaconus, ab episcopo segregatus sit, hunc ab alio recipi non liceat, prater*

Can. 33.

præterquam ab eo, qui eum ſegregavit; niſi forſitan, qui ſegregavit illum, mortuus fuerit. Concilium Illiberitanum: *Placuit cunctis, ut ab eo epiſcopo quis accipiat communionem, a quo abſtentus in crimine aliquo fuerit. Quodſi alius epiſcopus præſumſerit eum admittere, illo adhuc minime faciente vel conſentiente, a quo fuerat communione privatus, ſciat ſe ejusmodi cauſas inter fratres cum ſtatus ſui periculo præſtaturum.* Concilium Nicænum: *De his qui communione privantur ſeu ex clero ſeu ex laico ordine ab epiſcopis, per unamquamque provinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur non recipiantur ab aliis. Requiratur, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet epiſcopi vitio videantur a congregatione ſecluſi. Ut hoc ergo decentius requiratur, bene placuit annis ſingulis per quamcunque provinciam bis in anno concilia celebrari, aut communiter omnibus ſimul epiſcopis provinciæ congregatis, diſcutiantur hujusmodi quæſtiones, & ſic qui ſuo peccaverint evidenter epiſcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, uſquequo vel in communi vel epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam.* Concilium Antiochenum poſtea hunc renovavit canonem: *Si quis a proprio epiſcopo fuerit excommunicatus, ne prius ab aliis ſuſcipiatur, quam fuerit a proprio epiſcopo ſuſceptus, vel facta ſynodo accedens ſe defenderit, & perſuaſa ſynodo aliam ſententiam retulerit.* Ita ergo firma fuit cenſura eccleſiaſtica, donec abſolutio ab eo, qui eam tulit, fuiſſet impertita, aut ſynodus provincialis, interceſſiſſet, ſi forte injuſta fuiſſet, aut jam eatenus ſatisfeciſſe reus judicatus eſſet, ut abſolutionem mereretur accipere.

Can. 53.

Can. 5.

Can. 6.

Jus hoc revocatum est hodie, cessantibus conciliis provincialibus, cum aliis ad tribunal superius metropoliticum & Romanum. Qua de re ita INNOCENTIUS IV. statuit: „ Sane si certum est excommunicationis sententiam esse justam, velut cum propter manifestum excessum est in aliquem promulgata: „ superior judex (nisi periculum sit in mora) „ excommunicatum ad excommunicatorem „ prorsus remittere debet: nec debet eum absolvere nisi excommunicator requisitus maliciose illi absolutionis beneficium deneget „ exhibere. Si vero constet, hujusmodi sententiam esse injustam, nequaquam remittendus est ad suum excommunicatorem excommunicatus, sed debet sine difficultate aliqua mox absolvi. Quodsi dubitetur, „ utrum justa sit vel injusta, superior (nisi excommunicatori deferat) relaxare juxta formam ecclesiæ potest illam: quamquam honestius & convenientius agat, si ei deferat „ in hoc casu. Ubi etiam superiori competit „ de excommunicatione cognoscere, absolutio seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, „ licet forsitan sit justa: quoniam etsi contra „ jus ligatoris, non tamen contra jus constitutionis absolvit. „ A censuris, a superioribus regularibus & abbatibus, qui sunt judices ordinarii suorum regularium, appellatio ad episcopum pertinet.

C. 7. §. 3. *de sent. excom. in 6.*

Quodsi mortuus fuerit, qui censuram tulit, non propterea exspirat censura, sed jus absolvendi ad successorem devolvitur, ut habetur apud GRATIANUM ex concilio Epaonensi: *Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem successori licebit absolvere.* Capitulum

C. 28.

cathe-

cathedrale, quia succedit in jurisdictionem episcopi; sede vacante eadem pollet auctoritate. Secus sciscunt auctores de capitulis regularibus & collegiatis sede vacante, ubi regulariter ad ordinarium devolvitur jurisdictio. *C. un. de majorit. & obed. in 6.*

Extrema necessitas seu articulus mortis, nulli hic subest legi aut reservationi: *Atque adeo*, sunt concilii Tridentini verba: *omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt. Quodsi tamen periculum evadat & convalescat, superiorem censuram ferentem accedere debet, ut satisfactionem præstet, ab eoque etiam in foro externo absolutionem impetret.* Quia altera illa absolutio tantum pro foro interno fuit: & qui reconvalescens non se præsentarit episcopo cessante impedimento quam cito commode potuerit, in eandem sententiam recidere ipso jure decernit BONIFACIUS VIII. *Sess. XIV. de pœnit. c. 7.* *C. 22. de sent. excom. in 6.*


A censuris jure latis, si non sint reservatæ, proprius episcopus aut parochus absolvere potest, quemadmodum & ab excommunicatione minori. Ita expresse habetur cap. Nuper 29. de sent. excommunicationis: *A suo episcopo vel proprio sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere; quamvis enim & tunc non judicis sed juris sententia excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* Ex quibus verbis colligunt doctores confessarium, qui habet auctoritatem absolvendi quoad forum internum, etiam ab ejusmodi censuris posse absolvere. Unde solet in formula absolutionis hodie usitata præmitti absolutio a censuris: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicatio-*

nis, *ſuſpenſionis & interdicti*, *in quantum indiges*, *& ego poſſum.* Quæ vocatur abſolutio *ad cautelam*, ne abſolutio ſacramentalis propter cenſuram a pœnitente contractam invaliditatis periculo exponatur. Hinc etiam in reſcriptis, bullis & privilegiis apoſtolicis ſolet poni hæc formula: *Te ab omni vinculo excommunicationis*, *quod incurriſti*, *abſolventes*, *vel abſolutum fore cenſentes.* Nimirum ut additur: *Ad effectum præſentium conſequendum*, *& non alias.*


Quoad cenſuras reſervatas reſervans eoipſo abſolutionem ſibi vindicat. Nihilominus in concilio Tridentino epiſcopis id eſt datum privilegium, ut in omnibus cenſuris & irregularitatibus occultis ſummo pontifici reſervatis abſolvere & diſpenſare valeant. Similia privilegia diverſi ordines religioſi mendicantes imprimis, & qui communionem privilegiorum cum illis habent, a ſummo pontifice per ſpeciales bullas habent, ad quos in dubio pro majori ſecuritate & tranquillanda conſcientia recurrendum eſt in ſacro tribunali. BARBOSA ex variis canonibus & bullis ad 88. hujusmodi reſervatas ſummo pontifici collegit, & in ſola bulla Cœnæ Domini 20. habentur. Attendendum autem volunt doctores ad conſuetudinem locorum circa receptionem talium cenſurarum & promulgationem legitimam præſertim quoad cenſuras, juxta ea, quæ paulo ante diximus. Unde ſunt qui cenſeant doctores, etiam bullam Cœnæ, ſicut in Gallia, ita & in Germania non eſſe receptam, licet Romæ quotannis promulgetur.

Seſſ. XXIV. de reform. c. 6.

De officio epiſcopi P. III. alleg. 5. n. 57.



INDEX



INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

nc

Eusta-

I.

cum

L.

Libel.

M.

N.

O.

CHRI-

quin-

Q.

R.

S.

T.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. Lin. 15. pro *propositorum*, lege præpositorum. Pag. 15. lin. 17. pro *coactioni*, lege coactione. Pag. 61. lin. 9. pro *imperatorum*, lege imperatorem. Pag. 69. lin. lin. 26. pro *in justo*, lege injusto. Pag. 178. lin. 8. pro *procati*, lege procaci. Pag. 205. lin. 20. pro *correxerant*, lege correxerint. Pag. 215. lin. 6. pro *dilapiduntur*, lege dilapidantur. Pag. 231. lin. 9. pro *consulerint*, lege consuluerint. Pag. 234. lin. 32. pro *conservetur*, lege conserventur. Pag. 264. lin. 27. pro *qui*, lege quæ. Pag. 280. lin. 26. pro *conatibus*, lege conatus. Pag. 296. lin. 2. pro *longe*, lege longo. Pag. 346. lin. 4. pro *præpositi*, lege propositi. Pag. 350. lin. 12. pro *translationes*, lege transactiones. Pag. 482. lin. 6. pro *alio*, lege alia. Pag. 489. lin. 15. pro *princiceps*, lege principes.

